

1942

Burmanne
NTFD

P. OVIDII NASONIS

OPERA,

E TEXTU BURMANNI;

CUM NOTIS BENTLEII

HACTENUS INEDITIS, NECNON

HARLESII, GIERIGII, BURMANNI, LEMAIRII,

ET ALIORUM SELECTISSIMIS.

VOLUMEN SECUNDUM.

OXONII,

IMPENSIS TALBOYS ET WHEELER; ET
GULIELMI PICKERING, LONDINI.

M DCCC XXV.

P. OVIDII NASONIS

ARTIS AMATORIÆ

LIBER SECUNDUS.

Dicite, Iö Pæan: et, iö, bis dicite, Pæan:
  Decidit in casses præda petita meos.
Lætus amans donet viridi mea carmina palmâ:
  Præferar Ascræo Mæonioque seni.
Talis ab armiferis Priameïus hospes Amyclis
  Candida cum raptâ conjuge vela dedit.
Talis erat, qui te curru victore ferebat,
  Vecta peregrinis Hippodamia rotis.
Quid properas, juvenis? mediis tua pinus in undis
  Navigat: et longe, quem peto, portus abest.
Non satis est venisse tibi me vate puellam.
  Arte meâ capta est: arte tenenda meâ est.

1. *Iö Pæan.*] In Balliolensi erat Glossa: *Iö* est vox exultantium venatorum, qui capta fera *Iö Pæan* inclamabant, eo quod is sit Deus venatoriæ artis; cujus soror Diana venatrix quoque esse dicitur. In Metamorphoseon iv. 513. autem legitur de Athamante furente: *Clamat, iö comites, his retia tendite silvis.* vid. ad iii. Met. 713. et Cuper. i. Obs. i. Burm.

4. *Præferor Ascræo, Mæonioque seni.*] Homerus ante Romam conditam fuit. Ex historia igitur *seni*: Hesiodus etiam. Auctor M. Tullius in procemio lib. i. Tuscul. Disputat. Ciof.

5. *Priameius hospes.*] Paris, Priami filius, qui hospitio benigne exceptus a Menelao, illius conjugem rapuit. *Amyclis.* Amyclæ, urbs in Laconia, non longe a Lacedæmone; unde Castor et Pollux et soror Helena, modo Lacedæmone, Amyclis modo, dicuntur nati. Amar.

8. *Vecta peregrinis Hippodamia rotis.*] Usus est hoc carmine in epist. Hermiones ad Oresten. 70. quam omnium optime exposuit Parrhasius lib. iii. in Claud. Ciofanus. vid. ad iii. Amor. ii. 15.

Nec minor est virtus, quam quærere, parta tueri.
Casus inest illic: hic erit artis opus.
Nunc mihi, si quando, Puer et Cytherêa, favete:
Nunc Erato: nam tu nomen amoris habes.
Magna paro; quas possit Amor remanere per artes
Dicere, tam vasto pervagus orbe puer.
Et levis est, et habet geminas, quibus evolet, alas.
Difficile est illis imposuisse modum.
Hospitis effugio præstruxerat omnia Minos.
Audacem pennis reperit ille viam.
Dædalus ut clausit conceptum crimine matris
Semibovemque virum, semivirumque bovem;
Sit modus exsilio, dixit, justissime Minos:
Accipiat cineres terra paterna meos.
Et quoniam in patriâ, fatis agitatus iniquis,
Vivere non potui, sit mihi posse mori.

16. *Nunc, Erato,* &c.] Non ideo tantum Musam hanc Naso invocat, quia nomen ab Amore, *ἀπὸ τοῦ ἔρωτος*, et versibus præest amatoriis; sed quia bellis etiam, quæ non rara inter amantes consurgunt. Sic prælia dicturus Maro, quæ ex amore Turni et Æneæ in Laviniam exorta, Erato, non Calliopen, in hanc partem operis sociam advocat: vide Æneid. librum vii. 37:

Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum.

18. *Orbe puer.*] *Tam*, ad *pervagus*, an ad *vasto orbe* referendum? Douza.

19. *Quibus evolet, alas.*] *Avolet* Regius et alii complures cum primâ editione. quod sequor. Heinsius. Non movendam puto vocem, *evolat*, quæ notat evadere manus prendere cupientium, et in altum, vel ex conspectu volare. Burm.

21. *Præcluserat omnia Minos.*] *Præstruxerat* meliores libri magno numero. rectius. nam *clausit* mox sequitur. Dædalus ipse lib. viii. Met. 185. de Minotauro:

——Terras licet, inquit, et undas
Obstruat: at cœlum certe patet. ibimus illac:
Omnia possideat, non possidet aëra Minos. Heins.

Hospitis effugio, &c.] Dædalai, qui ad Minoëm confugerat, capite damnatus ab Areopago, ob occisam sororis filium Talaum, qui non imparem se quondam in arte, qua præcellebat Dædalus, futurum minabatur. Dædalum autem Minos, in ipso, quem struxerat, labyrintho cum Icaro filio inclusit, quia Pasiphaën, Tauri amore furentem, suæ artis ope juverat. Amar.

28. *Da mihi posse mori.*] *Sit mihi* Jureti excerpta: eleganti Græcismo, *γένοιτο, ἔστω, ἐνδέχοιτο.* sic contra, *Non est, οὐκ ἔστι. Non sit, Ne sit, μὴ γένοιτο, μὴ δ' ἔστω. οὐκ ἔστι*, pro non licet, non datur. Heins.

Da reditum puero, senis est si gratia vilis:
Si non vis puero parcere, parce seni.
Dixerat hæc. sed et hæc, et multo plura licebat
Dicere: regressus non dabat ille viro.
Quod simul ac sensit, Nunc, ô nunc, Dædale, dixit,
Materiam, quâ sis ingeniosus, habes.
Possidet en terras, et possidet æquora Minos:
Nec tellus nostræ, nec patet unda fugæ.
Restat iter cœlo: cœlo tentabimus ire.
Da veniam cœpto, Juppiter alte, meo.
Non ego sidereas adfecto tangere sedes.
Qua fugiam dominum nulla, nisi ista, via est.
Per Styga detur iter: Stygias tranabimus undas.
Sint mihi naturæ jura novanda meæ.
Ingenium mala sæpe movent. quis crederet um-
Aërias hominem carpere posse vias? [quam,
Remigium volucres disponit in ordine pennas:
Et leve per lini vincula nectit opus:
Imaque pars ceris adstringitur igne solutis:
Finitusque novæ jam labor artis erat.
Tractabat ceramque puer pennasque renidens,
Nescius hæc humeris arma parata suis.
Cui pater, His, inquit, patria est adeunda carinis:
Hac nobis Minos effugiendus ope.

45. *In ordine pennas.*] Alas remigium quoque Græci vocant nonnunquam. sic Æschylus Agamemnone, de Avibus, *στροφοδινοῦνται πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι. εἰρεσίαν πτερῶν* Lucianus dixit in Timone de Mercurio: *ὁ μὲν ἀπελήλυθεν, ὡς δοκεῖ. Τεκμαίρομαι γὰρ τῇ εἰρεσίᾳ τῶν πτερῶν.* sic et *alarum remigium* Virgilius in hac eadem de Dædalo Fabula. Heins.

50. *Arma parata.*] Francius malebat, *vincla,* ut bis terve vocat. vel, *dona.* sed perperam, adludit enim ad navium *arma* vel *armamenta,* ut vocabantur. nam mox *carinam* vocat et *remigium* supra, et vers. 64. *vela.* ut Græci ὅπλα Hesiod. ἔργ. 627. Apollon. i. 369. et ceteri passim. unde *armare* et *exarmare* classem et similia obvia. Burm.

Aëra non potuit Minos; alia omnia clausit.
  Quem licet, inventis aëra rumpe meis.
Sed tibi nec virgo Tegeæa, comesque Bootæ
  Ensiger Orion adspiciendus erit.
Me pennis sectare datis. ego prævius ibo.
  Sit tua cura sequi: me duce tutus eris.
Nam sive ætherias vicino sole per auras
  Ibimus, impatiens cera caloris erit.
Sive humiles propiore freto jactabimus alas,
  Mobilis æquoreis penna madescet aquis.
Inter utrumque vola: ventos quoque, nate, timeto;
  Quâque ferent auræ, vela secunda dato.
Dum monet, aptat opus puero, monstratque moveri:
  Erudit infirmas ut sua mater aves.
Inde sibi factas humeris adcommodat alas:
  Inque novum timide corpora librat iter.
Jamque volaturus parvo dedit oscula nato:
  Nec patriæ lacrimas continuere genæ.
Monte minor collis, campis erat altior æquis:
  Hinc data sunt miseræ corpora bina fugæ.
Et movet ipse suas, et nati respicit alas
  Dædalus; et cursus sustinet usque suos.
Jamque novum delectat iter: positoque timore
  Icarus audaci fortius arte volat.
Hos aliquis, tremulâ dum captat arundine pisces,
  Vidit; et inceptum dextra reliquit opus.

55. *Sed tibi nec virgo Tegeæa,* &c.] Calisto Lycaonis Arcadiæ regis filia, dicta sic a Tegea urbe. Fabul. vid. apud Nostrum, Metam. ii. et Fast. ii. 156. Meminit quoque Pausan. Arcad. iii. sub finem. Amar.

Comesque Bootæ.] Novi illa Hesychii, Βοώτης, ὁ Ὠρίων. et Βοωτεῖν, ἀροτριᾷν. ὅτε ὁ Ὠρίων δύνη Λάκωνες. Ubi Orion cum *Bootä* confunditur. quomodo alii cum Icario unum faciunt. Heins.

78. *Inceptum dextra reliquit opus.*] *Relinquit* nonnulli; unus Vatican. *re-*

Jam Samos à lævâ fuerant Naxosque relictæ,
Et Paros, et Clario Delos amata Deo.
Dextra Lebynthos erant, silvisque umbrosa Ca-
Cinctaque piscosis Astypalæa vadis: [lymne,
Cum puer, incautis nimium temerarius ausis,
Altius egit iter, deseruitque ducem.
Vincla labant; et cera Deo propiore liquescit:
Nec tenues ventos brachia mota tenent.
Territus e summo despexit in æquora cœlo:
Nox oculis pavido venit oborta metu.
Tabuerant ceræ; nudos quatit ille lacertos:
Et trepidat; nec, quo sustineatur, habet.

misit: alter Regius, *remittit.* Ego nihil muto: *relinquere* enim *τῷ inceptum* optime respondet. Donatus ad illa Terentii Andr. ii. v. 1.

Herus me, relictis rebus, jussit Pamphilum observare.

"Imponitur manus rebus, quum *perficitur* id quod cœperit: *relinquuntur* vero res, quum imperfectæ relinquuntur;" ut Virg. iii. Georg. 519.

Atque opere in medio defixa reliquit *aratra.* AMAR.

81. *Dextra Lebynthos erat, silvisque umbrosa Pachynne.*] Nulla usquam insula *Pachynne;* ideo *Calymna* non Strabone solum, sed ipso etiam eodem Ovidio authore legendum, qui octavo Metamor. de eodem Icaro verba faciens cum aliis nonnullis carminibus, quibus hic utitur, tum hoc prope totum sumit:

Dextra Lebynthos erat, fœcundaque melle Calymna. NAUGERIUS.

Pro *Calydna* Regius veterrimus, *Palimne:* prima editio cum nonnullis scriptis, *Palymne.* Forte pro *Calymne:* tam enim Calymnam, quam Calydnam inter insulas recenset Stephanus. Certe lib. viii. Met.

Dextra Lebinthos erat, fœcundaque melle Calymna.

Occurrit in eadem hac narratione, sive, *Calymne,* ut libri meliores agnoscunt constanter, nisi quod *Calydne* in uno Regio illic offendi: alii, *Calynne* et *Calyne:* apud Strabonem quoque sub finem lib. x. non constant sibi codices, qui modo hanc, modo illam lectionem agnoscunt. De melle tamen Calymnio subscribit Ovidianæ lectioni, in Metamorph. *Ἅπαν μὲν οὖν τὸ νησιωτικὸν μέλι, ὡς ἐπιτοπολὺ ἀστεῖόν ἐστι, καὶ ἐνάμιλλον τῷ Ἀττικῷ. τὸ δὲ ἐν ταῖς νήσοις, διαφερόντως· μάλιστα δὲ τὸ Καλύμνιον.* At Plinius, libro xi. cap. 13. de melle: "Ibi optimum semper, ubi optimorum caliculis florum conditur. Atticæ regionis hic et Siculæ Hymetto et Hybla ab locis, mox Calydna insula." Eustathius ad illa Homeri Il. B. 184. *νήσους τε Καλύδνας,* inter alia, *νῆσοι αἱ Καλύδναι εἰσὶν, ἃς ἕτεροι διὰ τοῦ μ' γράφουσι Καλύμνας· ὅτι δὲ ἀγαθὸν μέλι τὸ Καλύδνιον. κ.τ.λ.* Deinde, ubi diversas sententias retulit de his insulis, *Καλύδναι νῆσοι κατά τίνας αἱ Σποράδες, ὧν μία Καλύμνα.*

Decidit; atque cadens, Pater, ô pater, auferor, inquit.
Clauserunt virides ora loquentis aquæ.
At pater infelix, jam non pater, Icare, clamat,
Icare, clamat, ubi es? quove sub axe volas?
Icare, clamabat: pennas adspexit in undis.
Ossa tegit tellus; æquora nomen habent.
Non potuit Minos hominis compescere pennas:
Ipse Deum volucrem detinuisse paro.
Fallitur, Hæmonias si quis decurrit ad artes;
Datque, quod a teneri fronte revellet equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeïdes herbæ:
Mixtaque cum magicis nænia Marsa sonis.
Phasias Æsoniden, Circe tenuisset Ulixen,
Si modo servari carmine possit amor.
Nec data profuerint pallentia philtra puellis.
Philtra nocent animis; vimque furoris habent.
Sit procul omne nefas. ut ameris, amabilis esto:
Quod tibi non facies, solave forma dabit.

92. *Clauserunt virides.*] Imitatio Propertiana ex lib. iii. Eleg. v. 10.

Cum moribunda niger clauderet ora liquor. BURM.

102. *Mistaque cum magicis mersa venena sonis.*] Scaliger, *Mistaque cum magicis nænia Marsa sonis* scribebat. De quo alibi. Gruterus ex Palatinis *Marsa venena* scribebat. DAN. HEINSIUS. *Marsa* legendum omnino cum prima editione et scriptis quamplurimis. Sed necdum sanum præstiterim locum, nisi cum optimo Regio et excerptis Scaligeri ac Puteani reponas, *nænia Marsa.* Cantus enim magicus Marsorum serpentibus fatalis creditus. Atque ita lib. vi. Fastorum 141. optimi codices, de strigibus.

Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt,
Næniaque in volucres Marsa figurat anus.

Hinc *serpentum domitores Marsos* appellant Plinius ac Gellius. eosque originem a Marso Circes filio ducere testantur, ut artis magicæ peritia, qua vulgo male audiebant, in iis nequaquam sit miranda. Marsos ob artis cognationem cum Psyllis frequenter veteres conjungebat, quo modo Plinius lib. xv. cap. ii. et Gellius lib. xvi. cap. xi. HEINS.

107. *Ut ameris, amabilis esto.*] Ex communi usu et sermone repetitum. P. Syrus, *si vis amari, ama.* quod Seneca in sententiam Ovidii egregie docet Epist. ix. *Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine. si vis amari, ama.* BURM.

Sis licet antiquo Nireus adamatus Homero;
  Naïadúmque tener crimine raptus Hylas;
Ut dominam teneas, nec te mirere relictum,
  Ingenii dotes corporis adde bonis.
Forma bonum fragile est; quantumque accedit ad [annos
  Fit minor; et spatio carpitur ipsa suo.
Nec violæ semper, nec hiantia lilia florent,
  Et riget amissa spina relicta rosâ.
Et tibi jam cani venient, formose, capilli:
  Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Jam molire animum, qui duret, et adstrue formæ:
  Solus ad extremos permanet ille rogos.
Nec levis ingenuas pectus coluisse per artes
  Cura sit; et linguas edidicisse duas.
Non formosus erat, sed erat facundus Ulixes:
  Et tamen æquoreas torsit amore Deas.

109. *Sic licet antiquo Nireus adamatus Homero.*] *Scilicet* quinque libri. unus, *si licet*, alius, *sic licet*. Scribe, *sis licet*, atque ita Moreti codex. Licet, inquit, Nireum ab Homero tantopere laudatum æques pulchritudine, aut Hylan. respexit illa:

Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ
  Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν.

Quare Thersiten Lucianus apud inferos cum Nireo colloquentem sic inducit, ἓν μὲν ἤδη τοῦτ' ἔχω, ὅτι ὅμοιος εἰμί σοι, καὶ οὐδὲν τηλικοῦτον διαφέρεις, ἡλίκον σε Ὅμηρος ἐκεῖνος ὁ τυφλὸς ἐπήνεσεν, ἁπάντων εὐμορφώτατον προσειπών. hinc Νιρέως εὐμορφότερος adagium apud Græcos, et Νιρέως καλλίων. Heins.

115. *Nec semper violæ, nec semper lilia florent.*] *Cincia lilia* Bernens. unus, *nec semper lilia florent* alter, *hiantia* habebat et Francof. pro varia lectione. quam confirmat et Martial. xi. Epist. 19.

Nec Boletus hiare, non mariscæ
Ridere, aut violæ patere possunt.
Burm.

119. *Jam molire animum, qui duret, et astrue formam.*] Recte *adstrue formæ* optimus Regius cum Scaligeri excerptis et septem aliis. hoc est, *superadde*, sic *novum veteri ædificio adstruere* dixit Columella. neque aliter optimi Latinitatis auctores. Heins.

120. *Permanet.*] *Pertinet* unus Bernensis, de quo cogitandum, nam pro *pertingere*, quo hodie perperam utuntur, veteres usos hoc verbo docuimus ad Quinctil. ii. de Inst. Orat. 4. Burm.

124. *Æquoreas torsit amore deas.*] Scribe, *æquoream Deam*. nisi et Circe deabus æquoreis accensenda. Heinsius. *traxit amore* Vatican.

O quoties illum doluit properare Calypso;
Remigioque aptas esse negavit aquas!
Hæc Trojæ casus iterumque iterumque rogabat.
Ille referre aliter sæpe solebat idem.
Litore constiterant: illic quoque pulchra Calypso
Exigit Odrysii fata cruenta ducis.
Ille levi virgâ, (virgam nam forte tenebat)
Quod rogat, in spisso litore pingit opus.
Hæc, inquit, Troja est: (muros in litore fecit:)
Hic tibi sit Simoïs: hæc mea castra puta.
Campus erat, (campumque facit) quem cæde Dolonis
Sparsimus, Hæmonios dum vigil optat equos.
Illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi:
Hac ego sum raptis parte revectus equis.
Pluraque pingebat: subitus cum Pergama fluctus
Abstulit, et Rhesi cum duce castra suo.
Tum Dea, Quas, inquit, fidas tibi credis ituro,
Perdiderint undæ nomina quanta, vides?
Ergo age, fallaci timide confide figuræ,
Quisquis es: aut aliquid corpore pluris habe.

125. *O quoties illum doluit properare Calypso!*] Vid. Homer. Odyss. E. 203. sqq. et quod inde Propert. depromsit, I. Eleg. xv. 9. sqq.

130. *Exigit Odrysii fata cruenta ducis.*] Rhesi scilicet, quem *Odrysium* vocat, ab Odrysarum gente, quæ pars Thraciæ fuit, ubi regnabat. De *fatis* autem, et *cruentis* quidem, vid. Homer. Iliad. K. 434. et Penelop. Epist. 39. cum notis. Ibid. de Dolone. Amar.

138. *Captis nocte reversus equis.*] *Revectus* potiores scripti. probe. Ulysses in Sabiniana responsione:

Evasi et Thracum cæso duce prælia Rheso,
In mea captivis castra revectus equis. Heins.

Revectus etiam Bernensis, et probat locus lib. xiii. Met. 252. ubi se *ingressum curru* dicit. sed vox illa *nocte* non placet, quia ambiguam sententiam facit, et cum *hac* construi non debet. non enim noctem poterat præsentem pingere et ostendere. quare cum Hafniensi malim,

Hac ego sum captis parte reversus equis.

Raptis etiam omnes fere scripti. *rapti* enim erant, et celeritate uti debuit Ulixes, ut antequam nox abiret, reveheretur. Burm.

Dextera præcipue capit indulgentia mentes:
Asperitas odium, sævaque verba, movent.
Odimus accipitrem, quia semper vivit in armis,
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum, quia mitis, hirundo:
Quasque colat turres Chaonis ales habet.
Este procul lites, et amaræ prœlia linguæ.
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.
Lite fugent nuptæque viros, nuptasque mariti:
Inque vicem credant res sibi semper agi.
Hoc decet uxores: dos est uxoria, lites.
Audiat optatos semper amica sonos.
Non legis jussu lectum venistis in unum:
Fungitur in vobis munere legis amor.
Blanditias molles, auremque juvantia verba
Adfer, ut adventu læta sit illa tuo.
Non ego divitibus venio præceptor Amoris:
Nil opus est illi, qui dabit, arte meâ.
Secum habet ingenium, qui, cum libet, Accipe, dicit.
Cedimus: inventis plus placet ille meis.
Pauperibus vates ego sum; quia pauper amavi.
Cum dare non possem munera, verba dabam.
Pauper amet caute: timeat maledicere pauper:
Multaque, divitibus non patienda, ferat.

153. *Lite fugant.*] *Fugent* Regius et Lincolniensis cum excerptis Puteani et Scaligeri. *credant* quoque sequenti versu pro *credunt* iidem. et *res* pro *rem* meliores omnes. sequor. HEINSIUS. Ineptit hic Merula, et qui cæcum ducem fere semper sequitur, Crispinus, qui ad divortii formulam respici putant, *res tuas tibi habeto*. cum *res agi* dicantur, cum vel negotia curamus, ut procuratores, (vid. Martial. v. 62.) vel præcipue cum in foro judicia frequentamus et caussis agendis operam damus, et ita cape Remed. 144.

Res age, tutus eris.

Suet. Cæs. 45. et hinc *actus rerum* Aug. 32. quod vel tyronibus notum. sensus ergo est, credant sibi continuas, et mutuas lites esse. et hoc sequentia docent. BURM.

156. *Optatos.*] Ita Terent. Heaut. iii. iii. 50. *Optata loquere.*

Me memini iratum dominæ turbasse capillos:
Hæc mihi quam multos abstulit ira dies!
Nec puto, nec sensi tunicam laniasse; sed ipsa
Dixerat: et pretio est illa redemta meo.
At vos, qui sapitis, vestri peccata magistri
Effugite, et culpæ damna timete meæ.
Prœlia cum Parthis, cum cultâ pax sit amicâ;
Et jocus, et caussas quidquid amoris habet.
Si nec blanda satis, nec erit tibi comis amanti;
Perfer, et obdura; postmodo mitis erit.
Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus:
Frangis, si vires experiere tuas.
Obsequio tranantur aquæ: nec vincere possis
Flumina, si contra, quam rapit unda, nates.
Obsequium tigresque domat Numidasque leones.
Rustica paullatim taurus aratra subit.
Quid fuit asperius Nonacrinâ Atalantâ?
Succubuit meritis trux tamen illa viri.
Sæpe suos casus, nec mitia facta puellæ
Flesse sub arboribus Milaniona ferunt.
Sæpe tulit jusso fallacia retia collo:
Sæpe ferâ torvos cuspide fixit apros.

188. *Melaniona.*] Valde turbant in hoc nomine veteres libri. sed lege *Milaniona* cum Regio, qui libro etiam iii. 775. cum aliis melioribus, *Milanion humeris Atalantes crura ferebat.* Reliqui codices, *Minaliona*, aut *Mimaliona.* apud Græcos Μιλανίων est: ut Xenophonti de Venatione; at poëtis Μειλανίων. sic Musæus;

Παρθένος οὐ σὲ λέληθεν ἀπ' Ἀρκαδίης Ἀταλάντη,
Ἥ ποτε Μειλανίωνος ἐρασσαμένου φύγεν εὐνήν.

Atque ita Tzetzes quoque Chiliad, xii. 453. et, Scholiastes Apollonii Rhodii: Ἀταλάντη Ἰάσονος θυγάτηρ, ἣν ἔγημε Μειλανίων. ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ Ἀργεία ἡ Σχοινέως, ἣν ἔγημεν Ἱππομέδων. Ubi Ἰασίωνος θυγάτηρ scribendum est, et ἣν ἔγημεν Ἱππομένης. quanquam apud Johannem Tzetzen Chiliad. xli. cap. ccccliii. etiam Hippomedon dicitur. sed locus est mendosus. Repone igitur Ἡττᾶται Ἱππομένει, pro Ἱππομέδοντι. Heins.

Sensit et Hylæi contentum saucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.
Non te Mænalias armatum scandere silvas,
Nec jubeo collo retia ferre tuo.
Pectora nec missis jubeo præbere sagittis.
Artis erunt cauto mollia jussa meæ.
Cede repugnanti; cedendo victor abibis.
Fac modo, quas partes illa jubebit, agas.
Arguet, arguito; quidquid probat illa, probato:
Quod dicet, dicas: quod negat illa, neges.
Riserit, adride: si flebit, flere memento.
Imponat leges vultibus illa tuis.
Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos;
Tu male jactato, tu male jacta dato.
Seu jacies talos, victam ne pœna sequatur,
Damnosi facito stent tibi sæpe canes:

191. *Sensit et Ilei contentum saucius arcum.*] Ita quidem in Aldinis legitur, sed falso. *Hylæi* enim legendum; id quod ex Callimacho patet, hymno in Dianam, vers. 221. ubi de Hylæo et Rhœco centauris (quos Atalanta, eo quod vim inferre sibi tentassent, sagittis confecit) in hunc modum legitur: *οὐδὲ μὲν Ὑλαῖόν τε καὶ ἄφρονα* Ῥοῖκον ἔολπα *Οὐδέπερ ἐχθαίροντας, ἐν ἀΐδι μωμήσεσθαι* Τοξότιν· *οὐ γάρ σφιν λαγόνες συνεπιψεύσονται* Τάων *Μαιναλίη νᾶεν φόνῳ ἀκρώρεια.* Intelligimus autem hic, Poëtam illud voluisse significare, in gratiam Atalantæ Melanionem sustinuisse ab Hylæo ultro sauciari. Quod et versus innuere videtur, qui infra sequitur: *Corpora nec missis jubeo præbere sagittis,* &c. Ubi et illud obiter notandum, in quibusdam *Pectora* legi, non *Corpora.* Micyl.

196. *Artis erunt cautæ.*] In quibusdam *certe,* non *cautæ.* Naugér. Lege, *cauto.* cautis ac prudentibus, inquit, non difficilis erit ars mea. sic infra 386.

Crimina sunt cautis ista timenda viris.

Heins.

201. *Si flebit, flere.*] In Francof. erat, *flerit, deflere memento.* eleganter mehercule; subintellecto illo *si,* ut, millies. vid. i. Amor. iv. 29. *deflere* vero plus est quam *flere,* ut apparet ex usu hujus verbi ad rogum, ubi deflebantur mortui. quo forte respicit; ut nimirum, puellà flente aliquem ex suis mortuum, amatori, tamquam ad rogum, vehementius deflendum esse præcipiat. Burm.

205. *Seu jacies talos, victam ne pœna sequatur,* &c.] *Pœnam* hic exponit Merula pro dolore: ut sit sensus, *Ne victa ludo puella doleat.* Mihi vero magis placet, ut *pœnam* accipiamus pro multa, sive pecunia, quam, qui

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit;
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.
Ipse tene distenta suis umbracula virgis:
Ipse face in turbâ, quâ venit illa, locum.
Nec dubita tereti scamnum producere lecto:
Et tenero soleam deme, vel adde, pedi.
Sæpe etiam dominæ, quamvis horrebis et ipse,
Algentis manus est calfacienda sinu.

victus est, persolvere necesse habet. Ac de talis et ceteris ludorum generibus, vide quæ in secundum librum Tristium ex Polluce et aliis quibusdam annotavimus. Nam quæ hic de Venere et Coo, item de Chio et Senione tradit Merula, veterum descriptionibus non omnino respondent. Nam *caniculam*, qua unitatem significabant, alias *chium* vocabant. *Senionem* autem, qui et ἑξίτης dicebatur, et senarium numerum significabat, *coum*, plerique (ut Pollux ait) quidam etiam χιάδα, sive *jactum chium*. *Venus* autem, qua Merula septenarium numerum notari dicit, tum dicebatur, quando nullus talus eodem vultu, quo ceteri, stabat; erat queis jactus lucrosissimus, depositumque totum tollebat. Unde et Martialis dixit, lib. xiv. 14.

Cum steterit vultu nullus tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Reliqua vide loco citato: ubi et de ludo latrunculorum, et aliis quibusdam, quæ nobis viderentur, exposuimus. Micyllus. Recte Micyllus. *Pœna* est, ut ex pacto, si hoc vel illud jaciat, in medium conferat certos nummos, quos victor universos aufert. ut Augustus apud Suetonium, cap. lxxi.

206. *Damnosi canes.*] *Senioni*, qui jactus felicissimus, unio seu canis illi contrarius opponebatur. sic et Persio *damnosa canicula* de eadem re Satyra tertia, et *dexter senio*. Unio in talis κύων sive canis. in tesseris ὄνος sive asinus. Mittebantur autem tali fritillo a ludentibus in pyrgum, ne fraudi locus esset. Heins.

209. *Ipse tene distenta suis umbracula virgis.*] Vide quæ de *flabellis* et *umbellis* adnotavimus, ad Amor. iii. Eleg. ii. 38. Amar.

211. *Tereti scamnum producere lecto.*] Lipsius, lib. iii. Centur. Epist. Misc. ii. scamnum idem esse, quod sellam sive cathedram putat. sed qua ratione tunc scamnum lecto produceretur? Melius capitur de scamno, quo utebantur lectos altiores conscensuri. per *lectum* vero hic non lecticam, sed accubitorium intelligerem, quia de solea sequitur, quam posuisse accubituros, notius est, quam ut demonstrari egeat. Burm.

212. *Tenero soleam deme, vel adde pedi.*] Exequebantur hæc pueri ad pedes, et ancillæ quas, e munere, a *sandalio* vocabant. Differebat autem a calceo *solea*: calceus enim pedem totum texit; *solea*, plantam tantum: pars enim superior habenis devinciebatur. Quæ autem Latinis differentia calceum inter et *soleam*, eadem ponebatur apud Græcos inter ὑπόδημα et σανδάλιον. Amar.

Nec tibi turpe puta (quamvis tibi turpe, placebit)
  Ingenuâ speculum sustinuisse manu.
Ille, fatigatæ perdendo monstra novercæ,
  Qui meruit cœlum, quod prior ipse tulit,
Inter Iöniacas calathum tenuisse puellas
  Creditur, et lanas excoluisse rudes.
Paruit imperio dominæ Tirynthius heros.
  I nunc; et dubita ferre, quod ille tulit:
Jussus adesse foro, jussâ maturius horâ
  Fac semper venias; nec nisi serus abi.
Occurras aliquo tibi dixerit; omnia differ;
  Curre; nec inceptum turba moretur iter.
Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit:
  Tunc quoque pro servo, si vocat illa, veni.
Rure eris, et dicet, Venias, (Amor odit inertes)
  Si rota defuerit, tu pede carpe viam.
Nec grave te tempus sitiensve Canicula tardet,
  Nec via per jactas candida facta nives.
Militiæ species amor est: discedite segnes.
  Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.
Nox, et hiems, longæque viæ, sævique dolores
  Mollibus his castris, et labor omnis inest.
Sæpe feres imbrem cœlesti nube solutum;
  Frigidus, et nudâ sæpe jacebis humo.
Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheræas
  Fertur, et in parvâ delituisse casâ.

228. *Pro servo.*] Nimirum, qui facem sustineat, quem *adversitorem* dixisse veteres docet Donatus ad Ter. Adelph. i. i. *vocat* etiam recte notavit Douza proprium esse verbum, ut Ep. xx. *Ignoras tua jura, voca*. vid. ad Epist. iii. v. 100. BURM.

231. *Nec grave te tempus.*] *Frigus* explicat Merula: Atqui de hieme in pentametro agit intellige ergo tempus ex æstate in autumnum præceps, quod ventis et pluviis crebrum, et morborum fecundum. BURM.

233. *Militiæ species.*] Vide elegiam lib. i. ix. Amor. quæ incipit, *Militat omnis amans*. CIOF.

239. *Pavisse per æstus.*] In quibusdam, *per herbas*, in aliis, *Phereas*:

Quod Phœbum decuit, quem non decet? exue fastus,
Curam mansuri quisquis amoris habes.
Si tibi per tutum planumque negabitur ire,
Atque erit adpositâ janua fulta serâ;
At tu per præceps tecto delabere aperto:
Det quoque furtivas alta fenestra vias.
Læta erit, ut caussam tibi se sciet esse pericli.
Hoc dominæ certi pignus amoris erit.
Sæpe tuâ poteras, Leandre, carere puellâ;
Tranabas, animum nosset ut illa tuum.
Nec pudor ancillas, ut quæque erit ordine prima,
Nec tibi sit servos demeruisse pudor.
Nomine quemque suo (nulla est jactura) saluta:
Junge tuis humiles, ambitiose, manus.
Sed tamen et servo (levis est impensa) roganti
Porrige fortunæ munera parva tuæ.
Porrige et ancillæ, quâ pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.
Fac plebem (mihi crede) tuam: sit semper in illâ
Janitor, et thalami qui jacet ante fores.

recte omnia. NAUGERIUS. Apollo armenta Admeti pavit, non Alcestis gratia, ut hic Merula sentit, sed ipsius Admeti, quem tum juvenem etiam existentem amabat: ut Callimachus hymno in Apoll. tradit. MICYL.

257. *Porrige et ancillæ, qua pœnas luce pependit Lusa maritali Gallica veste manus.*] Primus, quod sciam, Janus Parrhasius ad Claudiani Raptum Proserpinæ, mentem Nasonis perspexit. ejus verba adscribam, cum liber ille difficulter inveniatur venalis. igitur postquam monuit, *qua luce*; non *quæ*, quod tamen membranis omnibus pertinaciter inhæret, corrigi debere, hæc addit: *Aristides Milesius de rebus Italicis libro primo.* sic ait: *Gallorum dux Atepomorus, cum Romanos longa fessos obsidione videret, postulavit, ut si salvos se vellent, matres familias et Virgines ad stuprum dederent. Senatus Retanæ ancillæ consilio ad hostes habitu dominarum submisit ancillas, datoque ab eis signo, eruptione facta Romani somno meroque depositos Gallos omnes obtruncant. parta victoria Ancillariorum diem solemnem perpetuo sanxerunt. Historiam repetit Plutarchus, Polyænusque Macedo Strategematôn octavo. Macrobius alios secutus auctores ab Aristide paullo deflexit. Ovidius amanti præcipit, ut Nonis caprotinis, quo die Galli cæsi sunt, aliquid ancillæ largiatur, ut alacrius operam navans iter affectet ad dominam.* HEINS.

260. *Qui jacet.*] *Quæ* Argentinensis. ut forte ancillam, vel anum, quæ

Nec dominam jubeo pretioso munere dones:
Parva, sed e parvis callidus apta dato.
Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant;
Adferat in calatho rustica dona puer.
Rure suburbano poteris tibi dicere missa;
Illa vel in Sacrâ sint licet emta Viâ.
Adferat aut uvas, aut quas Amaryllis amabat;
At nunc castaneas non amat illa nuces.
Quin etiam turdoque licet, missâque columbâ,
Te memorem dominæ testificere tuæ.
Turpiter his emitur spes mortis, et orba senectus.
Ah pereant, per quos munera crimen habent!
Quid tibi præcipiam teneros quoque mittere versus?
Hei mihi! non multum carmen honoris habet.
Carmina laudantur: sed munera magna petuntur.
Dummodo sit dives, barbarus ipse placet.
Aurea nunc vere sunt secula. plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
Ipse licet Musis venias comitatus, Homere;
Si nihil adtuleris, ibis, Homere, foras.

dominæ cubiculum servat, posset intelligi. BURM.

268. *At nunc castaneas nunc amat illa nuces.*] Argute avaritiam notat in puellis sui sæculi. Respicit autem illa Virgil. Eclog. ii. 52.

Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat. HEINS.

269. *Missaque corona.*] De corona turdorum capi posse Heinsius conjecerat, ut Mart. xiii. 51. Ubi lemma, *turdorum corona:*

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo;
At mihi de turdis facta corona placet.

Et iii. Epig. 47.

Illic coronam pinguibus gravem turdis.] Sed quia hic de parvis et rusticis muneribus agit, prætuli, quod in septem scriptis exstat, *missaque columba:* hoc enim aptissimum Venereis amoribus munus; ut notavimus ad Petronii cap. lxxxv. quibus adde Theocr. Idyl. v. *Ὄκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.* et quæ ibi Meursius. BURM.

271. *Emitur spes.*] Terentianum, ex Adelph. ii. 21. *spem pretio non emo.* Ita *spei emtio* apud JCtos. l. viii. sect. i. ff. de contr. Empt. *orba vero senectus* respicit captatores hæreditatum, qui orbos præcipue colebant: de quibus egregie multa Petronius cap. cxvi. et seqq. BURM.

Sunt tamen et doctæ, rarissima turba, puellæ:
Altera non doctæ turba, sed esse volunt.
Utraque laudentur per carmina: carmina lector
Commendet dulci qualiacumque sono.
His ergo, aut illis, vigilatum carmen in ipsas,
Forsitan exigui muneris instar erit.
At, quod eris per te facturus; et utile credis,
Id tua te facito semper amica roget.
Libertas alicui fuerit promissa tuorum;
Hanc tamen a dominâ fac petat ille tuâ.
Si pœnam servo, si vincula sæva remittis,
Quod facturus eras, debeat illa tibi.
Utilitas tua sit: titulus donetur amicæ.
Perde nihil: partes illa potentis agat.
Sed te, cuicumque est retinendæ cura puellæ,
Attonitum formâ fac putet esse suâ.
Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus:
Sive erit in Coïs, Coä decere puta:
Aurata est, ipso tibi sit pretiosior auro:
Gausapa si sumsit, gausapa sumta proba.

294. *Partes illa potentis agat.*] Non potuit hæc intelligere Gallicanum illud Crispini cacumen, qui *potentis*, divitis explicat, cujus est dare, non accipere. Quis paullo literatior non intelligat mentem poëtæ esse hanc; ita hæc scena agatur, ut illa videatur omnia a te posse impetrare, etiam quæ tu ægre concederes, nisi deprecaretur pro servo et aliis amica; ita illa potens sit apud te specie, cum etiam sine ejus precibus per te hoc facturus fuisses. Burm.

298. *Sive erit in Coïs, Coä decere puta.*] De *Cois vestibus* abunde te docere poterunt eruditissimæ Broukhusii in Propert. lib. i. Eleg. iii. 2. notæ, et quos ibi adducit auctores. Burm. Ubique fere *Coa vestis* pro bombycina accipitur, et in Co insula eadem bombycina fiebant, ut Plinius docet, ii. 23. Ceterum, diversæ insulæ *Cos* et *Ceos*. Amar.

300. *Gausapa si sumsit.*] Agnoscunt tria Grammatici: *Gausapa*, *Gausape*, *Gausapum*. Fuit vestimentum ex pingui ac densa lana compactum, et ex una tantum parte villosum; nam quod utrinque villos habebat, *amphimallum* græce dictum est. Plinius, viii. 49. Amar.

Adstiterit tunicata; Moves incendia; clama:
  Sed timidâ, caveat frigora, voce roga.
Compositum discrimen erit; discrimina lauda:
  Torserit igne comam; torte capille place.
Brachia saltantis, vocem mirare canentis:
  Et, quod desierit, verba querentis habe.
Ipsos concubitus, ipsum venerere licebit,
  Quod juvat; et querulâ gaudia voce notes.
Ut fuerit torvâ violentior illa Medusâ;
  Fiet amatori lenis et æqua suo.
Tantum, ne pateas verbis simulator in illis,
  Effice: nec vultu destrue dicta tuo.
Si latet ars, prodest; adfert deprensa pudorem:
  Atque adimit merito tempus in omne fidem.
Sæpe sub autumno (cum formosissimus annus,
  Plenaque purpureo subrubet uva mero;

301. *Moves incendia.*] Me incendis, quia rara veste et magnam partem nuda conspiceris. quæ notanda fuere propter Crispinum, qui solita sibi sollertia interpretatur, *vous mourez de chaud.* BURM.

303. *Compositum discrimen.*] In Hafniensi et Francofurtensi, *cum positum discrimen erit.* quod præstare puto. *componere* enim certum ornatum notat, cum crines in cincinnos et gradus sunt flexi, sed de illo hic nondum agitur, sed in sequenti pentametro. neque *discrimen* aliud notare videtur, quam capillum pectine extricatum et discriminatum, et divisum in duas vel plures partes. BURM.

308. *Et querula gaudia voce notes.*] Forte legendum:

Et quæ dat gaudia, voce proba.

Illa gaudia, quæ tibi dat, te juvare proba blanda et amatoria voce; sed ut ipse postea puellis præcipit, lib. iii. Art. 755.

Nec blandæ voces jucundaque murmura cessent. AMAR.

310. *Lenis et æqua.*] Hæc duo etiam Horatius conjungit lib. iii. Od. 18.

Lenis incedas, abeasque parvis
Æquus alumnis.

Sed male hic *æquus* explicuit Merula, et Cnippingium, in errorem inductum, jactare hic intempestivam eruditionem impulit. *æquus* est favens, benevolus. ut Trist. i. 2.

Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

et ita millies. BURM.

312. *Destrue dicta.*] Ita Seneca iii. de Benef. 8. *Horum quomodo judex inibit æstimationem, cum sermo, et dubitatio, et vultus meriti gratiam destruant.* vid. ad Quinctil. ii. de Instit. Orat. 17. BURM.

Cum modo frigoribus premimur, modo solvimur [æstu)
Aëre non certo corpora languor habet.
Illa quidem valeat: sed, si male firma cubarit,
Et vitium cœli senserit ægra sui;
Tunc amor et pietas tua sit manifesta puellæ:
Tunc sere, quod plenâ postmodo falce metas.
Nec tibi morosi veniant fastidia morbi;
Perque tuas fiant, quæ sinet ipsa, manus.
Et videat flentem; nec tædeat oscula ferre:
Et sicco lacrimas combibat ore tuas.
Multa vove; sed cuncta palam: quotiesque libebit,
Quæ referas illi, somnia læta vide.
Et veniat, quæ lustret anus lectumque locumque:
Præferat et tremulâ sulphur et ova manu.
Omnibus his inerunt gratæ vestigia curæ:
In tabulas multis hæc via fecit iter.

322. *Tunc sere, quæ plenâ.*] *Quod plenâ* scripti potiores. Heins. *Plenâ p. lance metas* Bernens. quod non de nihilo. certe durius dictum, *plena falce. Metere plena lance* esset, tanta copia, ut lanx inde repleatur. cogitandum certe de hac locutione. Scholiast. Juv. ad Sat. vi. 204. *lancem beatam*, explicat *plenam.* Burm.

324. *Quæ sinit illa manus.*] *Sinet ipsa* iidem. subintellige, fieri. Heins.

330. *Præferat et tremulâ sulphur et ova manu.*] Prima editio cum Lincolniensi et uno Vaticano, *sulphura viva.* sed cum ovorum quoque usus in lustrationibus sit notissimus, nil hoc loco mutandum censeo. Superiori versu pro, *Et veniat*, unus Vaticanus, *Ter veniat quæ lustret anus.* ut *Ter* ad τὸ *lustret* referatur. Heins. Non spernenda Vaticani codicis lectio, *Ter veniat*; quæ proba erit, si distinguas:

Ter, veniat, quæ lustret anus lectumque locumque.

Nam terna lustratione uti solitos præter alios Broukh. ad Tibul. i. Eleg. v. ii. docuit, quem inspice, nec pœnitebit. Burm.

332. *In thalamos.*] In antiquis, *in tabulas multis.* et fortasse rectius, ut loquatur de iis, qui testamenta senum his captant artibus, quibus ipse puellas captari docet. Nauger. Mali certe auspicii foret captare hereditatem et mortem puellæ, cujus se insinuare in amorem conatur amator: neque hoc docere censendus cautissimus præceptor amoris, qui turpem hanc et sordidam artem modo vers. 271. damnavit. quare per *tabulas* meliori omine intellige sponsalia, ad quæ per officia talia multi adspiraverunt. sic Juvenal. ii. Sat. 119.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter.

Burm.

Ne tamen officiis odium quæratur ab ægrâ,
  Sit suus in blandâ sedulitate modus.
Neve cibo prohibe, nec amari pocula succi
  Porrige: rivalis misceat illa tuus.
Sed non, cui dederis a litore carbasa, vento
  Utendum, medio cum potiere freto.
Dum novus errat amor, vires sibi colligat usu:
  Si bene nutrieris, tempore firmus erit.
Quem taurum metuis, vitulum mulcere solebas:
  Sub quâ nunc recubas arbore, virga fuit.
Nascitur exiguus, sed opes adquirit eundo,
  Quâque venit, multas accipit amnis aquas.
Fac tibi consuescat: nil consuetudine majus.
  Quam tibi dum capias, tædia nulla fuge.
Te semper videat: tibi semper præbeat aurem:
  Exhibeat vultus noxque diesque tuos.
Cum tibi major erit fiducia, posse requiri;
  Tum procul, absenti cura futurus, abi.
Da requiem. requietus ager bene credita reddit:
  Terraque cœlestes arida sorbet aquas.

340. *Si bene nutrieris tempore.*] Mutavimus distinctionem Heinsianæ editionis, secuti veteres editiones:

Si bene nutrieris, tempore firmus erit.

Tempore, hic est paullatim; si nutrieris, erit firmus tempore. BURM.

343. *Opes.*] Idem significant hic *opes*, quod *vires* apud Virgil. iv. Æneïd. 1575. *vires acquirit eundo.* DOUZA.

346. *Capias.*] Inconcinne sermo hic ad puellam verteretur, cum τὸ *quam* manifeste ex lege sermonis Latini, ad *consuetudinem* sit referendum. quare insistens priscis editionibus et Patavino, et tribus aliis scriptis, lego:

Quam tibi dum capias, tædia nulla fuge.

Vel, quod mallem, *tu, dum capiat*: puella scilicet tui consuetudinem *capiat*. elegans enim locutio, *capere consuetudinem*, pro sibi facere usum, paullatim adsuescere. BURM.

351. *Requietus ager.*] Proprie: nam ita Rei Rusticæ auctores solent. Columell. ii. 99. *Atque illa vicibus annorum requietum agitatumque alternis, et quam lætissimum volunt agrum* de Arborib. cap. iii. *in agro requieto vineam ponito. requietum lac* idem lib. vii. 8. *requieta ova*, viii. 5. BURM.

Phyllida Demophoon præsens moderatius ussit:
Exarsit velis acrius illa datis.
[Penelopen absens sollers torquebat Ulixes:
Phyllacides aberat, Laodamia, tuus.]
Sed mora tuta brevis: lentescunt tempore curæ;
Vanescitque absens, et novus intrat, amor.
Dum Menelaus abest, Helene ne sola jaceret,
Hospitis est tepido nocte recepta sinu.
Qui stupor hic, Menelaë, fuit? tu solus abibas:
Isdem sub tectis hospes et uxor erant.
Accipitri timidas credis, furiose, columbas?
Plenum montano credis ovile lupo?
Nil Helene peccat; nil hîc committit adulter:
Quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.
Cogis adulterium, dando tempusque locumque.
Quo, nisi consilio est usa puella tuo?
Quid faciat? vir abest, et adest non rusticus hospes:
Et timet in vacuo sola cubare toro.
Viderit Atrides: Helenen ego crimine solvo.
Usa est humani commoditate viri.
Sed neque fulvus aper mediâ tam sævus in irâ,
Fulmineo rabidos cum rotat ore canes:
Nec lea, cum catulis lactentibus ubera præbet:
Nec brevis ignaro vipera læsa pede:
Femina quam, socii deprensa pellice lecti,
Ardet; et in vultu pignora mentis habet.

355. *Penelopen absens.*] Prior Mentelii hoc distichon non agnoscit. et abesse potest salvâ orationis serie. est enim frigidiusculum. HEINS.

356. *Phylacides aberat.*] *Phylaciden* ait Merula ab eo vocari Protesilaum, quod Phylacæ, quæ urbs Thessaliæ fuit, regnasset. At ego ab avo Phylaco dictum magis puto. fuit enim Phylacus pater Iphicli, ut et ceteri Græcorum Grammaticorum tradidere, et Eustathius in Catalogo. MICYL. vid. ad Epist. xiii. 35.

In ferrum flammasque ruit: positoque decore
  Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei.
Conjugis admissum, violataque jura maritæ,
  Barbara per natos Phasias ulta suos.
Altera dira parens (hæc est, quam cernis, hirundo)
  Adspice, signatum sanguine pectus habet.
Hoc bene compositos, hoc firmos solvit amores:
  Crimina sunt cautis ista timenda viris.
Nec mea vos uni damnat censura puellæ.
  Dî melius! vix hoc nupta tenere potest.
Ludite: sed furto celetur culpa modesto.
  Gloria peccati nulla petenda sui.
Nec dederis munus, cognosse quod altera possit:
  Nec sint nequitiæ tempora certa tuæ.
Et, ne te latebris capiat sibi femina notis,
  Non uno est omnis convenienda loco.
Et quoties scribes, totas prius ipse tabellas
  Inspice. plus multæ, quam sibi missa, legunt.
Læsa Venus justa arma movet, telumque remittit:
  Et, modo quod questa est, ipse querare, facit.
Dum fuit Atrides unâ contentus, et illa
  Casta fuit; vitio est improba facta viri.
Audierat, laurumque manu vittasque ferentem,
  Pro natâ Chrysen non valuisse suâ.

380. *Ut Aonii cornibus icta Dei.*] Veluti bacchico furore stimulata, impulsa. Vide Æn. lib. iv. 300. sqq. Amar.

381. *Violataque jura mariti.*] *Maritæ* Regius. ne bis idem dicat. Ceterum hi versus eo quo exhibemus ordine legebantur in prima editione et scriptis exemplaribus plerisque. Heins.

385. *Hoc bene compositos, hoc firmos rumpit amores: Crimina sunt cautis ista timenda viris.*] Hi duo versus in quibusdam paulo aliter leguntur. Heins.

388. *Di melius.*] Formula obvia, quam tamen non intellexit bonus ille Crispinus, hic severum Philosophum agens, qui explicat, *quæ bona, quæ mala fuerint, sciunt.* cum sit avertendi et abominandi formula. Burm.

Litore quot conchæ, tot sunt in amore dolores :
  Quæ patimur, multo spicula felle madent.
Dicta erit isse foras, quam tu fortasse videbis ;
  Isse foras, et te falsa videre, puta.
Clausa tibi fuerit promissâ janua nocte :
  Perfer et immundâ ponere corpus humo.
Forsitan et vultu mendax ancilla superbo
  Dicet, Quid nostras obsidet iste fores ?
Postibus et duræ supplex blandire puellæ ;
  Et capiti demtas in fore pone rosas.
Cum volet, accedes : cum te vitabit, abibis.
  Dedecet ingenuos tædia ferre sui.
Effugere hunc non est, quare tibi possit amica
  Dicere ? non omni tempore sensus adest.
Nec maledicta puta nec verbera ferre puellæ
  Turpe, nec ad teneros oscula ferre pedes.
Quid moror in parvis ? animus majoribus instet.
  Magna canam : toto pectore, vulgus, ades.

cuntur, ut ὁ *ἄθως*, *τοῦ ἄθω*, *τῷ ἄθω*, *τὸν ἄθω* absque *ν* : ut et *ἠῶ*, *λαγῶ*, *τέω*, et si qua similia. Atque hinc sunt casus illi, quibus Latini usi sunt : ut Virg. xii. 701. *Quantus Athos, aut quantus Eryx*. et, Georg. i. 232. *Aut Atho, aut Rhodopen*. Et hic Ovid. *Quot lepores in Atho*. Est enim Græcus dativus, quo hic pro ablativo usus est. Quod autem Merula declinat *Athon Athonis*, id nullo veterum exemplo facit. Ut autem et hoc obiter adjiciamus, tradunt tantam esse altitudinem hujus montis, ut umbram trecentorum stadiorum jaciat. Cetera vide apud Merulam. Micyl.

526. *Quid nostras obsidet iste fores.*] Vaticanus eleganter, *quis*. ut apud Stat. i. Theb. 455.

Tecto cælum prohibere quis iste
Arguit ? Heins.

Ego nihil mutem. sup. x. Amor. 8.

Ecce quid iste tuus præter nova carmina vates
Donat. Burm.

531. *Effugere hinc non est, quare tibi possit amica Dicere, non omni tempore sensus abest.*] Vulgatam retineo, modo post *τὸ dicere* ponatur interrogationis nota. Quare amica tua possit dicere, tui tædium capiens, an non licet hunc molestum effugere ? ubique adest mihi. non enim omni tempore calent et veneris cupidine fervent mulieres ; captandum tempus, cum appetunt concubitum, non interpellandæ, ubi frigent. formula vero usitata, *effugere non est*. Burm.

Ardua molimur: sed nulla, nisi ardua, virtus.
Difficilis nostrâ poscitur arte labor.
Rivalem patienter habe; victoria tecum
Stabit: eris magni victor in arce Jovis.
Hæc tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas
Dicere. nil istis ars mea majus habet.
Innuet illa, feras: scribet, ne tange tabellas:
Unde volet, veniat: quoque libebit, eat.
Hoc in legitimâ præstant uxore mariti;
Cum tener, ad partes tu quoque, somne, venis.
Hac ego, confiteor, non sum perfectus in arte.
Quid faciam? monitis sum minor ipse meis.
Mene palam nostræ det quisquam signa puellæ?
Et patiar? nec me quolibet ira ferat?
Oscula vir dederat (memini) suus: oscula questus
Sum data. barbarie noster abundat amor.
Non semel hoc vitium nocuit mihi. doctior ille,
Quo veniunt alii conciliante viro.

543. *Feras.*] *Feres* Francof. Junii, Sarravianique et Bernensis. *innuat* unus. *innuit* nonnulli. Francius tam hic quam lib. iii. 514. malebat *annuet*. male. *annuere* est nutu affirmare, *innuere* est signum capite dare. Burm.

545. *Hoc in legitima prestant.*] Si *prestent* legendum, hæc capienda ut verba amatoris, præcepto huic Nasonis repugnantis, qui calidus juventa et in iram pronus, se hoc pati et ferre negat, sed illud maritis præcipiendum, qui lenocinium facere solent. sed ego malim *præstant*, ut sit Ovidii argumentatio; si viri hoc in uxoribus præstant, quanto magis amator in amica. *hæc* erat in Micylli et Bersm. edit. et prioribus. et tredecim scriptis. Burm.

553. *Doctior ille est, Quo veniunt alii conciliante viri.*] *Viro* Regius, excerpta Jureti, et multi alii ex melioribus. optime. *veniunt*, uxores nimirum. Quo conciliante uxores veniunt alii viro. egimus jam de hoc loco initio hujus libri vers. ii. Præterea pro *doctior* opinor esse scribendum, *fortior*, quicquid obnituntur libri veteres. et id quoque jam monitum a nobis lib. i. vers. 281. Heins. Cave *τὸ doctior* moveas. Scilicet ad præcepta danda, quam provinciam ego suscepi; sed præcepta mea præstare non possum, quia in hac parte artis amatoriæ perfectus non sum; sed doctior ille est, qui hanc potest conciliaturam præstare. Burm.

Sed melius nescisse fuit. sine furta tegantur:
Ne fugiat victo fassus ab ore pudor.
Quo magis, ô juvenes, deprendere parcite vestras.
Peccent: peccantes verba dedisse putent.
Crescit amor prensis. ubi par fortuna duorum est,
In caussâ damni perstat uterque sui.
Fabula narratur toto notissima cœlo,
Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.
Mars pater, insano Veneris turbatus amore,
De duce terribili factus amator erat.
Nec Venus oranti (neque enim Dea mollior ulla est)
Rustica Gradivo, difficilisve fuit.
Ah quoties lasciva pedes risisse mariti
Dicitur, et duras igne vel arte manus!
Marte palam simulat Vulcanum imitata, decebat:
Multaque cum formâ gratia mixta fuit.

556. *Nec fugiat victo falsus ab ore pudor.*] Neapolitanus codex probe:

Ne fugiat fasso victus ab ore pudor.
HEINS.

Librarium in excudendis Heinsii notis peccasse puto: nam in Neapolitano codice erat:

Nec fugiat fasso victus amore pudor.

Quod etiam sensum facit rectum, si *ne* legatur, et ita capiatur, ne fugiat pudor et omnis verecundia, victi ab amore, quem jam palam et ante oculos tuos fert et fatetur. BURM.

561. *Fabula narratur*, &c.] Ab Homero primum, Odyss. Θ, 266—366. Ubi vidend. Eustath. et Athenæus, i. 12. iterumque xii. sub init. AMAR.

569. *Marte palam simulat*, &c.] De quo ipse queritur Vulcanus, apud Homer. l. cit. 308, in oratiuncula, qua Deos omnes convocat, Venerem cum Marte deprensuros:

Ὡς ἐμὲ χωλὸν ἐόντα Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη
Αἰὲν ἀτιμάζει κ.τ.λ.

—*Marte palam simulat Vulcanum imitata, decebat. Simul et*, Aldinæ editiones et tres libri Bersmanni: *similis*, unus Heinsii. Illud *simulat imitata* vix placet: forte,

Marte palam saltat, Vulcanum imitata, decebat;

vel simile quid; nam saltu et gestu imitabatur claudum Vulcanum: *simulare* et *imitari* unum idemque est; ideoque in scriptis sæpe confusa. *Decebat* vero absolute ponitur: ut lib. i. 533.

Clamabat flebatque simul; sed utrumque decebat.

Et passim. BURM.

Palam.] Id est coram, et vidente. sic 549.

Mene palam nostræ det quisquam signa puellæ. DOUZA.

Vid. ad Quinctil. Decl. vi. 14.

Sed bene concubitus primos celare solebant.
Plena verecundi culpa pudoris erat.
Indicio Solis (quis Solem fallere possit?)
Cognita Vulcano conjugis acta suæ.
Quam mala, Sol, exempla moves? pete munus ab illâ;
Et tibi, si taceas, quod dare possit, habet.
Mulciber obscuros lectum circaque superque
Disponit laqueos: lumina fallit opus.
Fingit iter Lemnon: veniunt ad fœdus amantes:
Impliciti laqueis nudus uterque jacent.
Convocat ille Deos. præbent spectacula capti.
Vix lacrimas Venerem continuisse putant.
Non vultus texisse suos, non denique possunt
Partibus obscœnis opposuisse manus.
Hîc aliquis ridens, In me, fortissime Mavors,
Si tibi sunt oneri, vincula transfer, ait.
Vix precibus, Neptune, tuis captiva resolvit
Corpora. Mars Threcen occupat; illa Paphon.
Hoc tibi profectum, Vulcane: quod ante tegebant,
Liberius faciunt, ut pudor omnis abest.

585. *Hic aliquis ridens, in me fortissime Mavors, Si tibi sunt oneri, vincula transfer, ait.*] Imitatio Homerica est. Nam apud Homerum Odys. Θ. 334. Mercurius hoc pacto optat, ut liceat sibi cum Venere concumbere, velle se ter totidem vincula pati, &c. Versus ipsos, quoniam festivi sunt, placuit hic subjicere:

Ἑρμῆν δὲ προσέειπεν ἄναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων.
Ἑρμεία Διὸς υἱὲ, διάκτορε, δῶτορ ἑάων,
Ἦ ῥά κεν ἐν δεσμοῖσι θέλοις κρατεροῖσι πιεσθεὶς
Εὕδειν, ἐν λέκτροισι παρὰ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ.
Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα διάκτορος Ἀργειφόντης.
Αἲ γὰρ τοῦτο γένοιτο ἄναξ ἑκατηβόλ' Ἄπολλον,
Δεσμοὶ μὲν τρὶς τόσσοι ἀπείρονες ἀμφὶς ἔχοιεν.
Ὑμεῖς δ' εἰσορόωντε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι.
Αὐτὰρ ἐγὼν εὕδοιμι παρὰ χρυσῇ Ἀφροδίτῃ. MICYL.

589. *Hoc tibi profecit, Vulcane.*] Regius, *perfecto.* ceteri plerique, *profecto.* Lege, *profectum.* quomodo jamdudum conjeci. quod Vaticanus unus confirmat. Hoc profecisti, inquit, Vulcane, ut liberius nunc faciant, postquam pudor abesse cœpit, quod tege-

Sæpe tamen demens stulte fecisse fateris:
Teque ferunt iræ pœnituisse tuæ.
Hoc vetui. vos ecce vetat deprensa Dione
Insidias illas, quas tulit ipsa, pati.
Nec vos rivali laqueos disponite: nec vos
Excipite arcanâ verba notata manu.
Ista viri captent (si jam captanda putabunt)
Quos faciunt justos ignis et unda viros.
En iterum testor: nihil hîc, nisi lege remissum,
Luditur. in nostris instita nulla jocis.

bant ante. Nam et sequenti versu scribendum, *ut pudor omnis abest*, non *et pudor*. quod scriptos editosque perperam occupavit præter Patavinum unum. Heins. *Hoc tibi pro facto*, Francof. et septem alii.—*Quod ante tegebant, liberius faciunt*. Colligit e fabula Noster, quæ ad rem suam facerent: sed longe alia mens Homero fuit, quum talia canentem apud Phæacas Demodocum induceret; nam si Athenæo fides, loco supra citato, *ὁ δὲ παρὰ Φαίαξι Δημόδοκος ᾄδει Ἄρεος καὶ Ἀφροδίτης συνουσίαν, οὐ διὰ τὸ ἀποδέχεσθαι τὸ τοιοῦτον πάθος, ἀλλ' ἀποτρέπων αὐτοὺς παρανόμων ὀρέξεων, εἰδὼς ἐν τρυφερῷ τινι βίῳ τεθραμμένους, κἀντεῦθεν ὁμοιότατα τοῖς τρόποις αὐτῶν τὰ πρὸς ἀνάπαυσιν προφέρων*. Quod ex ipsis poetæ verbis manifeste patet, qui Deos, deprenso Marte cum Venere, una voce narrat exclamasse: *Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα.*

593. *Vos ecce vetat deprensa Dione Insidias illas, quas tulit ipsa, pati.*] Sensum aptum ut cohæreat cum sequenti, in hoc disticho requiro. quid enim est, *vetat vos insidias illas pati*, cum hic præcepta dat viris, non puellis; dicendum ergo fuisset illas insidias, quas Marti posuit Vulcanus, vos rivalibus et amicis vestris Venus vetat facere, quare parum abest, quin retinuissem vulgatam, quæ est in plurimis scriptis:

Vos ecce vetat deprensa Dione
Insidias illas, quas tulit ipsa, dare.

Dare insidias navi dixit Plaut. Bacchid. ii. iii. 52. et Milit. ii. iii. 32. et alibi. nisi quis acutior nobis sensum in Heinsiana lectione videat satis aptum. in uno Heinsii codice erat, *nos ecce vetat pati*. quod posset ferri, ut Ovidius se quoque cum aliis, ut alienis thalamis insidiantes, inducat, quos vetat Venus deprehendi. *Insidias ulli, q. t. i. dare* Bartholini. etiam bene. Burm.

598. *Quos faciunt justos ignis et unda viros.*] Est sensus poëtæ, literas amatorum, si intercipiendæ adeo videntur, intercipiant illi, qui adhibitis igne et aqua justi, hoc est legitimi mariti facti sunt, non rivales, aut similis conditionis. Solebant autem in solemnibus nuptiis, quibus uxor et maritus legitime jungebantur, ignis et aqua, adhiberi, quæ utrinque sponsus et nova nupta contingerent: ad significandum, quod, ut hæc elementa potissimum ac maxime necessaria, inter se in commune tangerent: ita ceteras quoque res necessarias communes essent habituri. Micyl.

Quis Cereris ritus ausit vulgare profanis,
Magnaque Threïciâ sacra reperta Samo?
Exigua est virtus, præstare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.
O bene; quod, frustra captatis arbore pomis,
Garrulus in mediâ Tantalus aret aquâ!
Præcipue Cytherêa jubet sua sacra taceri.
Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.
Condita si non sunt Veneris mysteria cistis;
Nec cava vesanis ictibus æra sonant:
Attamen inter nos medio versantur in usu:
Sed sic, inter nos ut latuisse velint.
Ipsa Venus pubem, quoties velamina ponit,
Protegitur lævâ semireducta manu.
In medio passimque coït pecus, hoc quoque viso,
Avertit vultus sæpe puella suos.
Conveniunt thalami furtis et janua nostris:
Parsque sub injectâ veste pudenda latet.
Et si non tenebras, at quiddam nubis opacæ
Quærimus; atque aliquid luce patente minus.

607. *Præcipue Cytherea jubet sua sacra taceri.*] Tale quippiam dixit et Tibullus: i. ii. 34.

——*Celari vult sua furta Venus.*

CIOF.

609. *Condita si non sunt Veneris mysteria cistis, Nec cava vesanis ictibus aëra sonant.*] Confundit hoc loco Merula *cerimonias Cereris*, et *Canephorias*. Aliud enim Κανηφορεῖν Græcis fuit, aliud *cistæ Cereris*. Κανηφορεῖν enim puellæ Græcorum solebant, vel cum in pompa Minervæ sacris, quæ Panathenaica dicebantur, canistra capitibus imposita gerebant, quibus ea, quæ Deæ offerenda essent, continebantur: vel cum, ut apud Theocritum est Idyll. 2. mox nupturæ, Dianæ sacrificabant, virginitatis causa, quam mox depositure essent, deam placantes. *Cistæ* autem in sacris Cereris inter symbola habebantur, significantes clausa atque arcana omnia haberi debere. MICYL. Recte Micyllus, et de Canephoris virginibus jam multis egerunt viri docti. BURM.

610. *Ictibus aëra sonant.*] Retinendum *sonant*, ut sensus sit, si Veneris sacra non sunt tam occulta, aut tanta mysteria, ut Cereris et aliorum numinum, non etiam ita aperta debent esse, ut Cybeles. BURM.

Tunc quoque, cùm solem nondum prohibebat et ìmbrem
Tegula, sed quercus tecta cibumque dabat;
In nemore atque antris, non sub Jove, juncta voluptas.
Tanta rudi populo cura pudoris erat.
At nunc nocturnis titulos imponimus actis:
Atque emitur magno nil, nisi posse loqui.
Scilicet excuties omnes ubicumque puellas,
Cuilibet ut dicas, Hæc quoque nostra fuit:
Ne desint, quas tu digitis ostendere possis;
Ut quamque attigeris, fabula turpis erit.
Parva queror: fingunt quidam, quæ vera negarent,
Et nulli non se concubuisse ferunt.
Corpora si nequeunt, quæ possunt nomina tractant:
Famaque, non tacto corpore, crimen habet.
I nunc, claude fores, custos odiose, puellæ;
Et centum duris postibus adde seras.
Quid tuti superest, cum nominis extat adulter;
Et credi, quod non contigit esse, cupit?
Nos etiam veros parce profitemur amores:
Tectaque sunt solidâ mystica furta fide.
Parcite præcipue vitia exprobrare puellæ,
Utile quæ multis dissimulasse fuit.
Nec suus Andromedæ color est objectus ab illo,
Mobilis in gemino cui pede penna fuit.

626. *Atque emitur magno.*] In Bernensi uno erat, *atque emitur in nil*, quod quid sibi velit, non exputo. an aliquis glossator hoc adscripserit, indicans mores sui seculi, quo in atrio voluptates peragebantur, an aliud quid lateat nescio. mihi vulgata satis placet, quæ idem notat, quod illa apud Virgil. ii. Æneid. 104.

Hoc Ithacus velit et magno mercentur Atridæ.

Ubi vide comment. BURM.

627. *Scilicet excuties.*] Hunc versum et sequentes tres interrogative atque εἰρωνικῶς lego, exprobrandi sive increpandi figura. MICYL.

643. *Nec suus Andromedæ.*] Andromeda fusca fuisse dicitur. placuit

Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo:
Unus, qui modicam diceret, Hector erat.
Quod male fers, adsuesce; feres bene. multa vetustas
Lenit: at incipiens omnia sentit amor.
Dum novus in viridi coalescit cortice ramus,
Concutiat tenerum quælibet aura, cadet.
Mox eadem ventis, spatio durata, resistet,
Firmaque adoptivas arbor habebit opes.
Eximit ipsa dies omnes e corpore mendas:
Quodque fuit vitium, desinit esse morâ.
Ferre novæ nares taurorum terga recusant:
Adsiduo domitas tempore fallit odor.
Nominibus mollire licet mala. fusca vocetur,
Nigrior Illyricâ cui pice sanguis erit.
Si pæta est, Veneri similis: si flava, Minervæ.
Sit gracilis, macie quæ male viva suâ est,

tamen illa Perseo, qui eam ceto liberavit, et uxorem duxit. *Penna mobilis.*] Talaria designat. Perseus enim Mercurio dilectus, talaria ab eo et petasum accepit, et galeam, qua indutus ex adverso non poterat videri. Accepit et a Vulcano falcem ex adamante factam, qua Medusam Gorgona interfecit. Auctor Hyg.

645. *Omnibus Andromache.*] Andromache filia fuit Æëtionis Thebarum regis, uxorque Hectoris, grandi corpore.

650. *Aura.*] Servavit hic Poëta differentiam, quam inter *auram* et *ventum* constituunt Grammatici. quod non fecit Statius, qui sæpe pro violentiore vento, interdum etiam promiscue hac voce abusus deprehenditur. Douza. Recte quidem Douza, sed et Propertius pro vehementiori vento posuit. lib. i. Eleg. 17.

Aspice quam sævas increpet aura minas. Burm.

657. *Nominibus mollire licet mala.*] Verbis tenuare honestioribus puellæ vitia poteris. Insignis est Lucretii locus, iv. 1146. sqq. quem dum Noster æmularetur, poeticam dictionem philosophicæ severitati ingeniose subjecisse libens animadvertes:

Hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda vere.

. . . .

Nigra, μελίχροος est: immunda ac fœtida, ἄκοσμος:
Cæsia, παλλάδιον: nervosa, et lignea, δορκάς:
Parvola, pumilio χαρίτων ἴα, tota merum sal:
Magna, atque immanis, κατάπληξις, plenaque honoris;
Balba, loqui non quit, τραυλίζει: muta, pudens est:
At flagrans, odiosa, loquacula, λαμπάδιον sit, &c. Amar.

659. *Si pæta est, Veneri similis,* &c.] Locus valde affectus. agit de vi-

Dic habilem, quæcumque brevis; quæ turgida, [plenam:
Et lateat vitium proximitate boni.
Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
Consule: quæ rigidus munera Censor habet.
Præcipue, si flore caret, meliusque peractum
Tempus; et albentes jam legit illa comas.
Utilis, ô juvenes! aut hæc, aut serior ætas.
Iste feret segetes; iste serendus ager.
Dum vires annique sinunt, tolerate labores:
Jam veniet tacito curva senecta pede.
Aut mare remigiis, aut vomere findite terras;
Aut fera belligeras addite in arma manus:
Aut latus, et vires, operamque adferte puellis.
Hoc quoque militiæ est: hoc quoque quærit opes.

tiosis oculis Naso. atqui pæti oculi parum vitiosi sunt, quos in Venere tantopere commendatos fuisse constet ab ipso Paride, egregio illo formarum spectatore. Noster Remediis Amoris:

Pæta sub Idæo judice Cypris erat.

Hinc φιλομειδὴς Ἀφροδίτη passim Græcis poëtis. Sed nec flavi oculi vitiosi, imo in Pallade laudabantur. quare et γλαυκῶπις illa Homero aliisque frequentissime dicta. Auctor Priapejorum, *Minerva flavo lumine est, Venus pæto.* quod in utraque illic pulchrum ducitur. Quid ergo? Τὸ *pæta* in membranis vetustioribus non comparet. pro quo *crassa* plerique, vel *grassa*. nonnulli et *læta*, sed ii recentiores. codex Regius omnium antiquissimus, *Si crasia est Veneris similis.* etiam mendose. Mihi dubium vix est Nasonem scripsisse, *Si qua straba est, Venèri similis.* subaudi *sit*, quod sequitur proximo pentametro. *Strabo* et *strabus* dicebatur Latinis, quemadmodum Græcis στραβὸς καὶ στραβών. Nunc de Minerva videamus. pro *flava* prima editio cum sex septemve scriptis *parva*. *parva* etiam optimus Regius, et *flava* pro diversa lectione. Arondelianus *flamma*. secundus Ambrosianus *prava*. proxime verum. est enim *rava* legendum. Confido versum mendosissimum nostra industria jam bene se habere:

Si qua straba, est Veneri similis, si rava, Minervæ.

Aut sicui versus paulo durior videtur, ut est revera, is licet reponat me non obnitente:

Si straba, sit Veneri similis, si flava Minervæ.

Quomodo Nasonem nobis reliquisse propemodum persuadeor, ut credam. Heins.

664. *Munera Censor habet.*] *Quærere censor* Neapolitanus. non male, nisi forte melius, *quæ rigidus quærere Censor amat.* Gruterus conjecerat *obit.* quasi minus Latinum esset, *habere munus.* sed ita et Cicero lib. ii. de Legibus. 3. *Tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum.* sed et Latine dicitur *habeo quærere*, si Neapolitani codicis scripturam sequi libet. Burm.

Adde, quod est illis operum prudentia major:
Solus et, artifices qui facit, usus adest.
Illæ munditiis annorum damna rependunt:
Et faciunt curâ, ne videantur anus.
Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras.
Inveniat plures nulla tabella modos.
Illis sentitur non irritata voluptas:
Quod juvet, ex æquo femina virque ferant:
Odi concubitus, qui non utrumque resolvunt:
Hoc est, cur pueri tangar amore minus.
Odi quæ præbet, quia sit præbere necesse;
Siccaque de lanâ cogitat ipsa suâ.
Quæ datur officio, non est mihi grata voluptas.
Officium faciat nulla puella mihi.
Me voces audire juvat sua gaudia fassas:
Utque morer memet, sustineamque, roget.
Adspiciam dominæ victos amentis ocellos.
Langueat; et tangi se vetet illa diu.
Hæc bona non primæ tribuit natura juventæ,
Quæ cito post septem lustra venire solent.
Qui properant, nova musta bibant. mihi fundat avitum
Consulibus priscis condita testa merum.

675. *Operum prudentia.*] Scio *opus* dici præcipue de Venere, sed an *opera* plurali numero recte dicantur dubito. etsi translationem a re castrensi esse velit Broukhus. ad Tibul. i. x. 64. ego certe mallem, *rerum prudentia major:* ita passim veteres. Burm.

683. *Odi concubitus, qui non utrimque resolvunt, Hoc est cur pueri tangar amore minus.*] Ostendit poëta Noster se τὸ παιδεραστεῖν secutum non esse: atque idcirco nonnullis, qui in litteris nomen habent, odio esse, despici et nihili fieri audio: contra alios poëtas amare et suspicere. Præclarum scilicet ingenium et judicium. Ciof.

694. *Quæ cito post septem.*] Si tam tarde bona illa veniunt, et post longum usum, an illa cito venire recte dicantur videant acutiores. mihi semper hic versus corruptus visus fuit. nec juvant codices. forte *Quæ nisi post septem.* ut *nisi*, pro *non nisi* positum sit. vide quæ Gronov. ad Liv. xxxiv. 16. producit, licet in quibusdam exemplis diversum censeat. Burm.

Nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phœbo:
Et lædunt nudos prata novella pedes.
Scilicet Hermionen Helenæ præponere posses?
Et melior Gorge, quam sua mater, erat?
Ad Venerem quicumque voles attingere seram,
Si modo duraris, præmia digna feres.
Conscius ecce duos accepit lectus amantes:
Ad thalami clausas, Musa, resiste fores.
Sponte suâ, sine te, celeberrima verba loquentur:
Nec manus in lecto læva jacebit iners.
Invenient digiti, quod agant in partibus illis,
In quibus occulte spicula figit Amor.
Fecit in Andromache prius hoc fortissimus Hector;
Nec solum bellis utilis ille fuit.
Fecit et in captâ Lyrneside magnus Achilles,
Cum premeret mollem lassus ab hoste torum.
Illis te tangi manibus, Briseï, sinebas,
Imbutæ Phrygiâ quæ nece semper erant.
An fuit hoc ipsum, quod te, lasciva, juvaret,
Ad tua victrices membra venire manus?
Crede mihi, non est Veneris properanda voluptas;
Sed sensim tardâ prolicienda morâ.

700. *Et melior Gorge, quam sua mater erat.*] Althea scil. Nupserat autem Gorge Andræmoni, ex quo Oxylum suscepit, quo duce, Heraclides Peloponnesum recuperare tentaverunt. Pausan. Phoc. xxxviii. Apollodor. Bibliothec. lib. i. c. 8. AMAR.

705. *Sine te.*] *Sine me* Francof. et Moreti cum prima editione: ut sensus sit, etsi ego nihil præcipiam. sed rectius ad Musam Magistram sermo fit. deinde malim, *verba sequentur*, sponte profluent, ita *sua verba sequi* sæpe dixit, vide loca ab Heinsio adducta ad Epist. xvii. 251. *Sequi* etiam et *loqui* passim confuderunt Librarii. *celeberrima* interpretatur Douza *publica*, ut dixit lib. iii. Amor. 7. non nego. sed addo simul notare sæpe repetita, vid. ad iii. Amor. v. 3. BURM.

711. *Magnus.*] *Fortis* Aprosii et duo alii, quod perpetuum fere Achillis Epitheton. vid. Ep. xiii. 137. et i. Am. ix. 33. ubi similis varietas: sed præcessit, *fortissimus Hector*. BURM.

718. *Tarda perficienda mora.*] *Projicere* Scioppius lib. iii. Suspect. Lect. cap. 20. docet a Cicerone et aliis poni

Cum loca repereris, quæ tangi femina gaudet;
  Non obstet, tangas quo minus illa, pudor.
Adspicies oculos tremulo fulgore micantes,
  Ut sol a liquidâ sæpe refulget aquâ.
Accedent questus, accedet amabile murmur,
  Et dulces gemitus, aptaque verba loco.
Sed neque tu dominam velis majoribus usus
  Desine; nec cursus anteat illa tuos.
Ad metam properate simul. tum plena voluptas;
  Cum pariter victi femina virque jacent.
Hic tibi servandus tenor est, cum libera dantur
  Otia; furtivum nec timor urguet opus.
Cum mora non tuta est; totis incumbere remis
  Utile, et admisso subdere calcar equo.
Finis adest operi. palmam date, grata juventus;
  Sertaque odoratæ myrtea ferte comæ.
Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi,
  Æacides dextrâ, pectore Nestor erat;
Quantus erat Calchas extis, Telamonius armis,
  Automedon curru, tantus amator ego.
Me vatem celebrate, viri, mihi dicite laudes:
  Cantetur toto nomen in orbe meum.
Arma dedi vobis: dederat Vulcanus Achilli.
  Vincite muneribus, vicit ut ille, datis.

pro augeri et increbrescere: sed huic loco non congruit. *perficere* vero in hac re etiam proprium esse verbum docuit Erhard. ad Petron. lxxxvii. Burm.

725. *Sed neque tu dominam velis majoribus usus Desere.*] *Desine* scripti cum primâ editione constanter, præter codicem Arondelianum, et tres quatuorve alios recentioris notæ. Met. iii. 478.

Quo fugis? oro, mane. nec me, crudelis, amantem
Desine, clamavit. Heins.

735. *Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi,* &c.] Hæc omnia ex Homeri Iliade translata sunt: quare si qua hic in commentariis desiderantur, ea ex origine ac fontibus suis petantur. Micyl.

742. *Vincite muneribus.*] Id est per

Parcite paucarum diffundere crimen in omnes.
Spectetur meritis quæque puella suis.
Si minor Atrides Helenen, Helenesque sororem
Quo premat Atrides crimine major habet;
Si scelere Œclides Talaïonidæ Eriphyles
Vivus et in vivis ad Styga venit equis;
Est pia Penelope, lustris errante duobus,
Et totidem lustris bella gerente viro.
Respice Phyllaciden: et quæ comes isse marito
Fertur; et ante annos occubuisse suos.
Fata Pheretiadæ conjux Pagasæa redemit:
Proque sui est uxor funere lata viri.
Accipe me, Capaneu; cineres miscebimur, inquit
Iphias, in medios desiluitque rogos.

13. *Talaonidæ.*] *Talaionidæ* scribendum est, ut docuit Gronov. ad Stat. ii. Theb. 141. ubi *Talaïonides* Adrastus dicitur. Eriphyle vero, filia Talai, Biantis filii, et Adrasti soror. male Merula *Talaonis* vocat, et *Talaonem* Crispinus, multo imperitius. BURM.

14. *Vivus et in vivis.*] Expressit hic Ovidius Euripiden in supplicibus. 925.

> Καὶ μὴν τὸν Οἰκλέους γε γενναῖον τόκον,
> Θεοὶ ζῶντ᾽ ἀναρπάσαντες εἰς μυχοὺς χθονὸς,
> Αὐτοῖς τεθρίπποις, εὐλογοῦσιν ἐμφανῶς.

Ut ibi notare non neglexit Barnesius, et ex Pindaro defluxisse ad Euripiden monuit. BURM.

17. *Respice Phylaciden, et quæ comes isse marito Fertur, et ante annos occubuisse suos.*] Merula varie exponit hunc locum, post Laodamiam etiam Didonis historiam huc accommodans. Sed ego simpliciter de Protesilao et Laodamia uxore ejus totum distichon accipio. MICYL.

19. *Fata Pheretiadæ.*] Admetus Pheretis filius Thessalus Alcestin Peliæ filiam uxorem duxit: quæ tanto amore maritum dilexit, ut pro eo mortem non recusarit, quum ejus parentes id facere neglexissent. *Conjunx Pagasæa.*] Alcestis Thessala. *Pagasæ* enim sunt Pheraram emporium, dictæ (ut Strabo scribit) propter vicinos fontes, id est, pagas, qui frequentes aquarum ubertatem effundunt: vel quod eo in loco Pelias Argo navem compegerit, quæ *Pagasæa* ideo a poëtis appellata fuit, et Jason Pagasæus.

22. *Iphias in medios desiluit rogos.*] Hanc fabulam habemus in Eurip. Supplic. 8. ubi inter alia a v. 1059.

> Ἐνταῦθα γάρ τοι καλλίνικος ἔρχομαι
> Νικῶσα——
> Πάσας γυναῖκας ἃς ἐσέδρακεν ἥλιος,
> Ἀρετῇ. πόσει γὰρ συνθανοῦσα κείσομαι.
> Αὐτοῦ θανόντος Καπανέως τήνδ᾽ εἰς πυράν.

Ipsa quoque et cultu est et nomine femina Virtus.
  Non mirum, populo si favet illa suo.
Nec tamen hæ mentes nostrâ poscuntur ab arte.
  Conveniunt cymbæ vela minora meæ.
Nil, nisi lascivi per me discuntur amores:
  Femina præcipiam quo sit amanda modo.
Femina nec flammas, nec sævos discutit arcus.
  Parcius hæc video tela nocere viris.
Sæpe viri fallunt; teneræ non sæpe puellæ:
  Paucaque, si quæras, crimina fraudis habent.
Phasida, jam matrem, fallax dimisit Iäson:
  Venit in Æsonios altera nupta sinus.

De hoc barbaro τῶν ξυνθανόντων more, qui præcipue Indis fuit familiaris, docet Cicero 5. Tusculan.

23. *Ipsa quoque et cultu est et nomine femina Virtus.*] Varia *Virtutis* simulacra fuere, sed sæpius matronali habitu. Primus Virtuti fanum posuit Scipio Numantinus: deinde Marcellus, *Virtuti* simul et *Honori*, ad portam Capenam dedicavit. Ceterum, *Virtutis* et *Honoris* templa ita exstructa erant, ut per Virtutis templum ingressus esset ad ædem Honoris; ut docerent scil. nullum ad verum *honorem*, nisi per *virtutem* ipsam, aditum patere. Fuit alia Romæ Honoris et Virtutis ædes, a C. Mario, devictis Cimbris, consecrata. Meminit Vitruv. vii. Amar. Sed Liv. lib. 27. c. 26. dicit "*Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant. In quibus quod quum bello Gallico ad Clastidium ædem Honori et Virtuti vovisset, dedicatio ejus a pontificibus impediebatur; quod negabant 'unam cellam amplius quam uni Deo rite dedicari. Quia si de cœlo tacta, aut prodigii aliquid in eâ factum esset, difficilis procuratio foret: quod utri Deo divina res fieret, sciri non posset. Neque enim duobus nisi certis Deis rite una hostia fieri.' Ita addita virtuti ædes approperato opere: neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt.*" Vide etiam l. 29. c. ii. Marcellus obiit A. U. C. 540. templaque Virtutis et Honoris ab eo incœpta post 4 annos a Marcello filio dedicata sunt: Scipio vero Numantinus primum consulatum gessit A. U. C. 607.

25. *Hæ mentes nostra poscuntur ab arte.*] In undecim libris erat, *pascuntur*; in uno, *nascuntur*. quod non ineptum. ut sit sensus, illud consilium moriendi pro viris, non ex nostra arte vel præceptis oritur: non enim tam grandia trado præcepta, sed ut fine suo et modo amare discant. Burm.

33. *Phasiadem matrem.*] Recte Heinsius *jam matrem*: id est, quæ jam pepererat, cum sit aptissimum conjugii vinculum proles, ut uxor duci soleat sobolis creandæ caussa. eleganter Claudian. i. in Eutrop. 72.

Femina cum senuit, retinet connubia partu,
  Uxorisque decus matris reverentia pensat. Burm.

Vide et Aristot. Eth. Nic. lib. viii. c. 12. prope finem.

Quantum in te, Theseu, volucres Ariadna marinas
  Pavit, in ignoto sola relicta loco.
Quære, novem cur isse vias dicatur, et audi
  Depositis silvas Phyllida flesse comis.
At famam pietatis habet; tamen hospes et ensem
  Præbuit, et caussam mortis, Elissa, tuæ.
Quid vos perdiderit, dicam? nescistis amare.
  Defuit ars vobis. arte perennat amor.
Nunc quoque nescirent: sed me Cytherêa docere
  Jussit: et ante oculos constitit ipsa meos.
Tum mihi, Quid miseræ, dixit, meruere puellæ?
  Traditur armatis vulgus inerme viris.
Illos artifices gemini fecere libelli:
  Hæc quoque pars monitis erudienda tuis.
Probra Therapnææ qui dixerat ante maritæ,
  Mox cecinit laudes prosperiore lyrâ.

37. *Quære, novem cur isse vices dicatur, et audi.*] Remed. Amor. 55.

Vixisset Phyllis, si me foret usa magistro,
Et per quod novies, sæpius isset, iter.

et postea 599.

Limes erat tenuis, longâ subnubilus umbrâ,
Quo tulit illa suos ad mare sæpe pedes.
Nona terebatur miseræ via.

Alludit ad vicum in Thracia, qui inde dictus *ἐννέα δρόμοι*, postea Amphipolis; cujus Geographi passim meminerunt. de origine nominis jam dixi. Coluthus:

Φύλλιδος ἀντέλλοντα φιλήνορος ἔδρακε τύμβον,
Καὶ δρόμον ἐννεάκυκλον ἀλήμονος εἶδε κελεύθου.

et quæ sequuntur. Hyginus Fab. lix. de Phyllide et Demophoonte: *Qui die constitutâ cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad littus cucurrisse, quod ex ea ἐννέαδος Græce appellatur.* et sic locus is etiam Hesychio appellatur, cum aliis ἐννέα ὁδοὶ dicatur, ut jam vidimus. atque ita tam in Hygino quam Hesychio videtur corrigendum. Heins.

49. *Probra Therapnææ,* &c.] Stesichorum poetam designat, quem ferunt, quum maledicum in Helenam carmen et contumeliosum conscripsisset, tamdiu oculis captum fuisse, quoad per somnium *Palinodiam* recantarit, cujus quidem initium apud Platonem legere est, in *Phædr.* sed rem alii fabulosius. Claruit autem a xxxvii Olymp. ad lvi usque, qua decessit; unde colligimus illum ad summam senectutem pervenisse. Catanensis ne fuerit an Himerensis, inter scriptores ambigitur; sed *fuit tota in Græcia summo propter ingenium honore et nomine.* Cic. in Verr. *de Signis.* Laudat quoque Aristot. in Rhetoric. ubi Apologum illius inducit de equo ho-

Si bene te novi, cultas ne læde puellas;
Gratia, dum vives, ista petenda tibi.
Dixit: et e myrto (myrto nam vincta capillos
Constiterat) folium granaque pauca dedit.
Sensimus acceptis numen quoque. purior æther
Fulsit, et e toto pectore cessit onus.
Dum facit ingenium; petite hinc præcepta, puellæ,
Quas pudor, et leges, et sua jura sinunt.
Venturæ memores jam nunc estote senectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, et veros etiam nunc editis annos,
Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.
Nec, quæ præteriit, iterum revocabitur unda:
Nec, quæ præteriit, hora redire potest.

minis opem in cervum implorante. Magnifice de eo Quintil. Instit. Orat. x. i. Poemata Stesichori sex et viginti libris composita tradidit Suidas. Meminit et *ἐρωμάτων* Athenæus, xiii. nec amori mediocriter deditum adfirmat; *οὐ μετρίως ἐρωτικός*. Amar.

52. *Gratia, dum vivis, ista petenda tibi est.*] Non a diis, ut Merula exponit: sed a puellis: ut sit sensus, danda opera tibi est, dum vivis, ut hanc gratiam a puellis ineas, ne eas læsisse videaris. Micyl.

54. *Granaque pauca.*] Hoc ex Hesiodi imitatione, qui cum pauca ex Helicone folia sumsisset, ex Pastore Poëta evasit. Burm.

57. *Dum facit ingenium.*] Putabam, *ingenio*. Dum Cytherea facit ingenio, hoc est, favet. in Tristibus iii. xiv. i.

Cultor et antistes doctorum summe virorum,
Qui facis ingenio semper amice meo.

Vide quæ annotamus ad Epist. ii. vers. 39. Heins. *Dum valet ingenium* Aprosii; qui et *favet* pro varia lectione. ut etiam multi editi et scripti. sed ego nihil muto. dum ingenium, quod a numine nunc calescit, facit et promptum est, audite me tamquam vatem, qui divino monitu præcepta amoris cano. Heins. Puto, *quæ sinunt*, scil. præcepta, nam sæpe se nihil nisi legitimum præcipere dicit. *quas* Latine dici posse vix puto. posset etiam, *et pia jura*. Burm.

61. *Veros etiam nunc editis annos.*] Broukhusius ad Propertii lib. ii. Eleg. vii. 55. et iii. xx. 10. egregie ostendit *edere* hic profiteri esse, ut apud Censores facere debebant. Francius explicabat, ore et vultu præ vobis fertis, et ita Merula, Bersmannus et alii ceperunt; non quidem male: sed rectius Broukhusius: nam *edere* est publice aliquid dicere, ostendere, profiteri, ferre, &c. ita Livius. i. 35. Burm.

Utendum est ætate; cito pede labitur ætas:
  Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.
Hos ego, qui canent frutices, violaria vidi:
  Hac mihi de spinâ grata corona data est.
Tempus erit, quo tu, quæ nunc excludis amantem,
  Frigida desertâ nocte jacebis anus:
Nec tua nocturnâ frangetur janua rixâ:
  Sparsa nec invenies limina mane rosâ.
Quam cito (me miserum!) laxantur corpora rugis,
  Et perit, in nitido qui fuit ore, color!
Quasque fuisse tibi canas a virgine jures,
  Spargentur subitæ per caput omne comæ.
Anguibus exsuitur tenui cum pelle vetustas;
  Nec faciunt cervos cornua jacta senes.
Nostra sine auxilio fugiunt bona. carpite florem;
  Qui, nisi carptus erit, turpiter ipse cadet.
Adde, quod et partus faciunt breviora juventæ
  Tempora. continuâ messe senescit ager.
Latmius Endymion non est tibi, Luna, rubori;
  Nec Cephalus roseæ præda pudenda Deæ.
Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur Adonis;
  Unde habet Ænean Harmonienque suos?

68. *Hac mihi de spina.*] Imitatus auctor Epigrammatis in Anthol. lib. i. cap. c. pag. 176.

Τὸ ῥόδον ἀκμάζει βαιὸν χρόνον. ἢν δὲ παρέλθῃ,
Ζητῶν εὑρήσεις οὐ ῥόδον, ἀλλὰ βάτον. Burm.

Hac mihi de spina, &c.] Suaviter admodum in hanc sententiam Theocrit. Idyll. xxiii. 28—32:

Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.
Καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ. Amar.

81. *Faciunt breviora juventæ Tempora.*] *Seniora* Regius cum Politiani excerptis, prima editione, et quinque scriptis. nil muto. Heinsius. *Seniora* etiam Bernensis. *senex* adjectivum esse egregie ostendit Broukhusius ad Tibul. i. vii. 88. Burm.

86. *Harmoniamque Venus.*] Sic legendum ex bonis libris et veterum testimonio, et inprimis Hesiodi in Theogonia, ubi canit Martem ex Venere Harmoniam suscepisse; item Phobum, et Dimum. Et Coluthus ait, *καὶ* 'Αρμονίης 'Αφροδίτη. Ciofanus. *Hermo-*

Ite per exemplum, genus ô mortale, Dearum;
Gaudia nec cupidis vestra negate viris.
Ut jam decipiant, quid perditis? omnia constant.
Mille licet sumant; deperit inde nihil.
Conteritur ferrum, silices tenuantur ab usu.
Sufficit, et damni pars caret illa metu.
Quid vetet adposito lumen de lumine sumi,
Quisve cavo vastas in mare servet aquas?
Det tamen ulla viro mulier, non expedit, inquis.
Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?
Nec vos prostituit mea vox; sed vana timere
Damna vetat. damnis munera vestra carent.
Sed me flaminibus venti majoris iturum,
Dum sumus in portu, provehat aura levis.
Ordior a cultu. cultis bene Liber ab uvis
Provenit; et culto stat seges alta solo.
Forma Dei munus: formâ quota quæque superbit?
Pars vestrûm tali munere magna caret.
Cura dabit faciem: facies neglecta peribit;
Idaliæ similis sit licet illa Deæ.
Corpora si veteres non sic coluere puellæ;
Nec veteres cultos sic habuere viros.

niam, et *Hermionem* varie scribunt librarii, sed optimi libri, *Harmoniam*, vel *Harmonien*, ut *Leda* et *Lede* et similia. vid. Barth. ad Stat. ii. 267. et iii. 7. et Munker. ad Hygini Fab. vi. ubi etiam de ejus matre agit; et hoc nomine aliæ dictæ mulieres ita scribendum evincunt. sic *Harmonia*, ex qua Mars Amazonas creavit. Apollon. ii. Arg. 993. ubi vid. Schol. alia memoratur in Anthol. lib. iii. cap. xii. pag. 337. *Harmonia* Gelonis filia Livio xxiv. 24. vid. ad iii. Met. 133. BURM.

95. *Et tamen ulla viro mulier, non expedit, inquit.*] Nihil sensus est in hoc carmine. Scribe vel invitis membranis:

Det tamen ulla viro mulier, non expedit, inquis.

Non expedit, ut mulier ulla det viro. *Dure* pro copiam sui facere usitatum poëtis. HEINS.

98. *Munera vestra.*] *Nostra* Vossii et Bernens. et quinque alii. ut intelligat præçepta sua Poëta. ut lib. ii. 742. supr. vers. 79.

Si fuit Andromache tunicas induta valentes;
Quid mirum? duri militis uxor erat.
Scilicet Ajaci conjux ornata venires,
Cui tegimen septem terga fuere boum.
Simplicitas rudis ante fuit: nunc aurea Roma
Edomiti magnas possidet orbis opes.
Adspice, quæ nunc sunt Capitolia, quæque fuerunt;
Alterius dicas illa fuisse Jovis.
Curia, concilio quæ nunc dignissima tanto est,
De stipula, Tatio regna tenente, fuit.
Quæ nunc sub Phœbo ducibusque Palatia fulgent,
Quid, nisi araturis pascua bubus, erant?
Prisca juvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor. hæc ætas moribus apta meis.
Non quia nunc terræ lentum subducitur aurum;
Lectaque diverso litore concha venit.
Nec quia decrescunt effosso marmore montes:
Nec quia cæruleæ mole fugantur aquæ.

109. *Si fuit Andromache tunicas induta vagantes.*] Quid sibi volunt istæ *tunicæ valentes?* crassas et densas Mycillus interpretatur. sed quis Latine sic locutus est? hic vero de incultis et horridis agit. recte Micyllus *valentes* explicat. Burm.

113. *Rudis ante fuit.*] Vossianus, *illa fuit*, bene. infr. 128.

Rusticitas priscis illa superstes avis.

Fuit eleganter, pro desiit, abiit. Heins.

119. *Quæ nunc sub Phœbo*, &c.] Apollinis Actii templum intelligit, quod in Palatio Augustus ædificavit, de quo Propert. iv. Eleg. vi. ii. sqq. Amar.

Ducibusque.] Intelligit Augustum et Tiberium Merula. sed si ex calculo doctissimi Massonii Ars Amandi edita fuit A. U. C. DCCLII. eo tempore Tiberius Rhodi versabatur, et Cajo gratia Augusti florente, nescio an caute Noster Tiberio, qui longe a spe successionis aberat, adulari fuisset ausus. quare forte Cajus et Lucius intelligendi, quibus paullo post mortuis Tiberius fuit adoptatus. Cogitandum certe, quos *duces* hic intelligat Naso. Burm.

124. *Concha venit.*] Tres nostri *bacca*, quod Gronovio placebat Observat. lib. ii. cap. xxi. ex Pirckheimeriano; meliores tamen cum vulgatum amplectantur, nil ausim mutare. Nam per Conchas baccæ intelliguntur, quæ in conchis nascuntur ut plurimum. Ita et concham pro purpura ponebant. Heins. *Conchæ* vera lectio est. Tertull. de cult. feminar. lib. i. cap. 6. *Ad hoc enim conchas noverim maris poma. Quod si concha illa aliquid intrinsecus pustulat, vitium ejus magis debet esse, quam gloria.* De *Bacca* vide ad Petron. cap. lv. Burm.

Sed quia cultus adest; nec nostros mansit in annos
Rusticitas, priscis illa superstes avis.
Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aquâ.
Nec prodite graves insuto vestibus auro:
Per quas nos petitis, sæpe fugatis, opes.
Munditiis capimur: non sint sine lege capilli.
Admotæ formam dantque negantque manus.
Nec genus ornatûs unum est: quod quamque de-
Eligat; et speculum consulat ante suum. [cebit,
Longa probat facies capitis discrimina puri:
Sic erat ornatis Laodamia comis.
Exiguum summâ nodum sibi fronte relinqui,
Ut pateant aures, ora rotunda volunt.
Alterius crines humero jactentur utroque.
Talis es adsumtâ, Phœbe canore, lyrâ.
Altera succinctæ religetur more Dianæ,
Ut solet, attonitas cum petit illa feras.
Huic decet inflatos laxe jacuisse capillos:
Illa sit adstrictis impedienda comis.
Hanc placet ornari testudine Cylleneâ:
Sustineat similes fluctibus illa sinus.

131. *Insuto vestibus auro.*] *Insutum* rectum: agit enim de vestibus Phrygiis. Tertull. i. de cult. 9. Burm.

137. *Longa probat facies capitis discrimina puri.*] Discreti, sine ornatu ullo, nec tamen sine arte, capilli, puellam decent, cui facies oblonga. Idem *purum caput*, quod omnino nudum.—*Discrimina*. Vid. supr. lib. ii. 303. Amar.

139. *Exiguum summa nodum.*] Id est exiguos nodos: non enim de uno nodo agitur. *nodos* pro flexo in orbem capillo, et tortis cincinnis posuit.

141. *Crines humero jactentur.*] Talem Apollinis unam et alteram ex antiquis monumentis imaginem dedit Broukh. ad Tibull. iii. Eleg. iv. vers. 27.

147. *Testudine Cyllenea.*] De Galero, quo capilli tanquam vagina et òperculo includebantur, capit Salmasius ad Tertull. Pallium pag. 353. sed præcipue puto respicere hunc capillorum positum, ut supra caput in modum lyræ vel citharæ surgat, ita ut in duas quasi alas cresceret: illa enim Lyræ forma. Burm.

148. *Illa sinus.*] Junianus et Schef-

Sed neque ramosâ numerabis in ilice glandes;
  Nec quot apes Hyble, nec quot in Alpe feræ;
Nec mihi tot positus numero comprendere fas est;
  Adjicit ornatus proxima quæque dies.
Et neglecta decet multas coma. sæpe jacere
  Hesternam credas; illa repexa modo est.
Ars casum simulet. sic captâ vidit ut urbe
  Alcides Iölen, Hanc ego, dixit, amo.
Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Euœ,
  Sustulit in currus, Gnosi relicta, suos.
O quantum indulget vestro Natura decori,
  Quarum sunt multis damna pianda modis!
Nos male detegimur, raptique ætate capilli,
  Ut Boreâ frondes excutiente, cadunt.
Femina canitiem Germanis inficit herbis;
  Et melior vero queritur arte color.
Femina procedit densissima crinibus emtis;
  Proque suis alios efficit ære suos.

ferus, *comas*. ut *undulatas comas* intelligeret. sed glossatoris est τὸ *comas*. cum *sinus* recte etiam de crinibus fluctuantibus dicatur, qui in sinus modum humeris innatant. Burm.

150. *Hyble.*] *Hyblæ* editiones priores, sed in scriptis est *Hybla*, vel *Hyble:* nempe præpositio *in* huc debet etiam referri. vid. ad Epist. xvi. 141. et lib. i. Art. 333. Burm.

154. *Hesternam credas.*] Potes, inquit, singulis diebus crines componere. Heins.

160. *Quarum sunt multis damna pianda modis.*] *Pianda* dixit improprie, pro compensanda, et quasi dissimulanda, sive celanda. Micyl. *Pudenda* Thuaneus.

161. *Nos male detegimur.*] Nobis vero si deciderint, nulla arte reparandi capilli. Nondum enim adscititiis crinibus viri utebantur. Amar. Sed vide Polybium, lib. iii. de Annibale.

163. *Fœmina caniciem Germanis inficit herbis.*] Per Germanas herbas spumam illam, sive sapum intellexit, de quo toties Martial. lib. viii. 33. xiv. 26. et 27. et Plin. xxviii. 12. quod ex herbis compositum fuisse credidit Ovidius, et ita non de colore nigricante, sed flavo hæc infectio canitiei capienda. studebant enim maxime ut flavis capillis essent conspicuæ; ut et hodie in Hollandiæ et Frisiæ multis pagis mulieres id studere videmus. Burm.

Nec rubor est emisse palam. venire videmus
Herculis ante oculos, Virgineumque chorum.
Quid de veste loquar? nec vos, segmenta, requiro;
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubes.
Cum tot prodierint pretio leviore colores;
Quis furor est, census corpore ferre suo?
Aëris ecce color, tum cum sine nubibus aër,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas.
Ecce tibi similis, qui quondam Phryxon et Hellen
Diceris Inoïs eripuisse dolis.
Hic undas imitatus, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim Nymphas hac ego veste tegi.
Ille crocum simulat: croceo velatur amictu,
Roscida luciferos cum Dea jungit equos.

168. *Herculis ante oculos, virgineumque chorum.*] Ædem Herculis Musagetæ intelligo, quæ ad Circum Flaminium fuit, a M. Fulvio primum condita, postea a Martio Philippo instaurata. Micyl. vid. Suet. Aug. 29. et Nostrum vi. Fast. 801. et seq. Cl. Massonius vero in vita Ovidii. A°. U. C. DCCLXVII. ostendit non fuisse illum Philippum vitricum Augusti, sed alium, cui Marcia matertera Augusti nupta fuit. Heinsius conjecerat, *Pieridumque chorum*. in uno Heinsii erat, *virgineumque caput*. Bernensis et Palatinus, *thorum*. Burm.

169. *Non jam segmenta requiro.*] *Segmenta* exponit Merula, vestes simpliciter aureas. Ego vero arbitror *segmentatas* dictas, quæ hodie prætextæ a quibusdam dicuntur: hoc est, serico, aut simili aliquo panno circa oras præsutæ. Nam et monilia *segmenta*, et apud Plinium, circuli *segmenta* vocantur, a quorum similitudine etiam illa, opinor, recte segmenta vocantur, quæ in circulum oris sive extremitatibus vestimentorum foris assuuntur. Micyl.

175. *Ecce tibi similis, qui quondam Phrixon et Hellen Diceris Inois eripuisse dolis.*] Galbinum colorem, qui et aureus, intelligit Salmas. ad Vopis. Aurel. cap. 34. vid. et Turneb. iv. ad 23.

177. *Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.*] Rectius *imitatus* in uno Vaticano et Politiani excerptis. *Undulatas vestes* videtur innuere: quarum Varro apud Nonium meminit de vita P. R. *Et a quibusdam dicitur esse Virginis Fortunæ ab eo, quod duabus undulatis togis est opertum, proinde ut olim nostri Reges undulatas et prætextas togas soliti sint habere.* Heins. hanc vestem vocat Lucretius iv. 1121. *Thalassinam*. vid. Ferrar. lib. ii. de Re vest. cap. xi. et de *undulatis vestibus* lib. iii. cap. 20.

179. *Croceo velatus amictu.*] Sic sub principium lib. x. Metamorph.

Inde per immensum croceo velatus amictu
Aëra digreditur. Ciof.

Crocotam et *crocotulam* Nonius Mar-

Hic Paphias myrtos: hic purpureas amethystos,
Albentesve rosas, Threïciamve gruem.
Nec glandes, Amarylli, tuæ, nec amygdala desunt:
Et sua velleribus nomina cera dedit.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas; pigraque cedit hiems:
Lana tot, aut plures succos bibit. elige certos:
Nam non conveniens omnibus omnis erit.
Pulla decent niveas: Briseïda pulla decebant.
Cum rapta est, pullâ tum quoque veste fuit.
Alba decent fuscas: albis, Cepheï, placebas,
Sic tibi vestitæ pressa Seriphos erat.
Quam pene admonui, ne trux caper iret in alas;
Neve forent duris aspera crura pilis!
Sed non Caucaseâ doceo de rupe puellas,
Quæque bibant undas, Myse Caïce, tuas.
Quid? si præcipiam, ne fuscet inertia dentes;
Oraque susceptâ mane laventur aquâ?
Scitis et inductâ candorem quærere cerâ.
Sanguine quæ vero non rubet; arte rubet.

cellus vocat crocei coloris vestem, quomodo et *caltulam* a colore caltæ. Idem color *luteus et crocinus*. Vid. Nonium in *Luteus*. Heins.

184. *Et sua velleribus nomina cera dedit.*] Qui color *cerinus* dicitur, a quo *Cerinarii* (sive ut quidam legunt, *Carinarii*, η in α longum mutato) apud Plaut. in Aulularia. ii. v. 36. scilicet, qui cerina, id est, cerei coloris vestes tingunt, sive inficiunt. Micyl.

192. *Sic tibi vestitæ pressa Seriphos erat.*] Quasi dicat sic vestita erat, *albis* scilicet, Andromeda, quum Seriphem insulam pressit pedibus, ubi eam Perseus fertur detulisse. Seriphus autem una e Cycladibus est, et nunc *Serphone* vocatur, vel *Serphena*. Amar.

199. *Scitis et inducta candorem quærere cera.*] An *creta?* quomodo apud Martialem viii. 33.

Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ. Heins.

Creta etiam Douza ex Martiali probabat, et ita correxit jam Neapol. ad lib. ii. Fastor. 764. Petron. cap. xxiv. *Inter rugas tantum erat cretæ, ut crederes parietem tectum nimbo laborare.* ubi vid. interpretes. *Cera* tamen firmari posset ex Anth. 2. 13. pag. 205. ubi vid. Brod. Burm.

Arte, supercilii confinia nuda repletis,
  Parvaque sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare favillâ;
  Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.
Est mihi, quo dixi vestræ medicamina formæ,
  Parvus, sed curâ grande libellus opus.
Hinc quoque præsidium læsæ petitote figuræ:
  Non est pro vestris ars mea rebus iners.
Non tamen expositas mensâ deprendat amator
  Pyxidas. ars faciem dissimulata juvat.
Quem non offendat toto fæx illita vultu,
  Cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus?
Œsypa quid redolent, quamvis mittatur Athenis
  Demtus ab immundo vellere succus ovis?
Nec coram mixtas cervæ sumsisse medullas,
  Nec coram dentes defricuisse probem.
Ista dabunt faciem; sed erunt deformia visu:
  Multaque, dum fiunt turpia, facta placent.
Quæ nunc nomen habent operosi signa Myronis,
  Pondus iners quondam, duraque massa fuit.

203. *Aluta.*] *Calliblepharum*, vide Arbitrum nostrum. Douza.

213. *Œsopa quid redolent, quamvis mittantur Athenis?*] Sic vulgo quidem legitur: sed *Œsypa*, vera lectio postulat. nam et apud Suidam et apud Dioscoridem media syllaba per *y* psilon scribitur; quamquam alias iidem auctores genere non conveniant. nam Dioscorides *οἴσυπος δὲ λέγεται*, inquit, *τὸ ἐκ τῶν οἰσυπηρῶν ἐρίων λίπος.* Micyl.

215. *Sumsisse.*] *Suisse* unus Vaticanus. forte *suisse*. Heins. Nihil muta; *sumere* posset aliquis capere pro bibere medullas mixtas vino vel alio liquore. ut supr. ii. Amor. xix. 32. sed malo de pigmento ex cervina medulla aliis Medicaminibus mixta intelligere. quia *cervinæ medullæ* principatum inter medicamenta ex medullis animalium tribuit Plinius lib. xxviii. cap. 9. et hoc sensu passim medicos *sumere* et *assumere* capere docuit Rhodius in lexico Scriboniano, de interno et externo medicamento. Burm.

219. *Operosi signa Myronis.*] Cui non innotuit Bucula Myronis, in quam exstant, in Anthol. iv. c. 7. Epigramm. xxxi. e quibus sequens, quod est Juliani Ægypt. adferemus:

Πόρτιν τήνδε Μύρωνος ἰδὼν, τάχα τοῦτο βοήσεις·
Ἡ φύσις ἄπνοός ἐστιν, ἢ ἔμπνοος ἔπλετο τέχνη.

Annulus ut fiat, primo colliditur aurum:
  Quas geritis vestes, sordida lana fuit.
Cum fieret, lapis asper erat; nunc nobile signum
  Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.
Tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus;
  Aptius a summâ conspiciare manu.
Cur mihi nota tuo caussa est candoris in ore?
  Claude forem thalami, quid rude prodis opus?
Multa viros nescire decet. pars maxima rerum
  Offendat, si non interiora tegas.
Aurea quæ pendent ornato signa theatro;
  Inspice, quam tenuis bractea ligna tegat.
Sed neque ad illa licet populo, nisi facta, venire:
  Nec nisi submotis forma paranda viris.
At non pectendos coram præbere capillos,
  Ut jaceant fusi per tua terga, vetem.

Vide quoque Auson. Epigr. lvii.

224. *Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.*] Videtur ad Venerem alludere, quam ἀναδυομένην Græci vocant. quod videatur similis e mari exeunti, qualis a multis artificibus et picta et sculpta fuit, ut apud Plinium videre est. Micyl. Noster ad Statuam aliquam Romæ celebrem respicit, et quo etiam adludi infr. 401. non tamen illam, quam Merula, et eum secutus sine ullo examine Crispinus, ex Plinio innui credunt, quæ in Bruti Callaici templo fuit posita, quam Praxiteleam faciunt. cum Plinius, lib. xxvi. cap. 5. inter opera Scopæ recenseat, et Praxiteleam antecedere dicat: hæc enim prope Martem nuda posita non fuit ἀναδυομένη· nam non statim Venus, ut emersit pelago Marti fuit juncta, sed cum jam Vulcano diu fuisset nupta, ut omnibus notum. ceterum hic *sola Venus* malebat Francius. Burm.

231. *Quæ pendent.*] Forte melius legeretur, *splendent.* vid. i. Amor. x. 55. Claud. i. Stil. 262.

Splendent vipereæ squamosa pelle pharetræ.

Ubi et *pendent* alii. Burm.

232. *Quam tenuis bractea ligna tegat.*] *Tegat* jam præcessit superiori pentametro. *ligat* Farnesianus. Scribo, *linat.* ut alludatur ad derivationem vocis. *bractea* enim seu βρέκτια ἀπὸ τοῦ βρέχειν deducitur, a linendo. Hinc *bractearii*, πεταλούργοι. et *bracteatores*, πεταλοποιοί. Eleganter Arnobius *bracteolis fucari.* lib. iv. Heins.

234. *Forma paranda.*] Hafniensis, *piunda.* quod forte, pro concilianda, ut *piare mortem.* Epist. xix. 194. et *damna piare* sup. 160. Heins.

Illo præcipue, ne sis morosa, caveto
Tempore: nec lapsas sæpe resolve comas.
Tuta sit ornatrix. odi, quæ sauciat ora
Unguibus, et raptâ brachia figit acu.
Devovet, et dominæ tangit caput illa: simulque
Plorat ad invisas sanguinolenta comas.
Quæ male crinita est, custodem in limine ponat;
Orneturve Bonæ semper in æde Deæ.
Dictus eram cuidam subito venisse puellæ;
Turbida perversas induit illa comas.
Hostibus eveniat tam fœdi caussa pudoris;
Inque nurus Parthas dedecus illud eat. [pus:
Turpe pecus mutilum: turpe est sine gramine cam-
Et sine fronde frutex; et sine crine caput.
Non mihi venistis, Semele, Ledeve, docendæ:
Perque fretum falso, Sidoni, vecta bove.
Aut Helene, quam non stulte, Menelaë, reposcis;
Tu quoque non stulte, Troïe raptor, habes.
Turba docenda venit, pulchræ turpesque puellæ,
Pluraque sunt semper deteriora bonis.
Formosæ minus artis opem præceptaque curant:
Est illis sua dos, forma sine arte potens.
Cum mare compositum est, securus navita cessat,
Cum tûmet, auxiliis adsidet ille suis.

244. *Orneturve Bonæ semper in æde Deæ.*] Quo maribus adire non licebat. Hinc Tibullus, lib. i. Eleg. vii. 22. *Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.* *ἡ θεὸς γυναικεία* Græcis apud Macrobium, lib. i. cap. 11. in Saturnalibus dicitur, qui multa de opertis ejus sacris in lucem profert. Hæc Fauna Fatua Fauni uxor et soror. HEINS. Douza hæc ita capiebat, non quasi revera in æde Bonæ Deæ se ornet, sed quasi domi se ornari dissimulans, in templo se esse Amatoribus persuadeat, ubi periculum non erat, ne a procaci turba illa juvenum deprehenderetur, ut quibus fas non erat illo introire. ego explicarem, ornetur domi in secreta parte, tamquam in æde Bonæ Deæ, et neminem admittat. *Orneturque* Palatin. et Bernens. BURM.

252. *Falso bove.*] *Flavo* Palatinus. male. vid. i. Amor. iii. 23.

Rara tamen mendo facies caret. occule mendas:
  Quamque potes, vitium corporis abde tui.
Si brevis es, sedeas; ne stans videare sedere:
  Inque tuo jaceas quantulacumque toro.
Hîc quoque, ne possit fieri mensura cubantis,
  Injectâ lateant fac tibi veste pedes.
Quæ nimium gracilis, pleno velamina filo
  Sumat: et ex humeris laxus amictus eat.
Pallida purpureis tinguat sua corpora virgis:
  Nigrior ad Pharii confuge piscis opem.
Pes malus in niveâ semper celetur alutâ:
  Arida nec vinclis crura resolve suis.

261. *Menda.*] *Mendo* Regius. bene. quomodo et Remed. Amor. 417.

Tunc oculis signa quodcunque in corpore mendum est.

Et sic infra 781. scribendum puto, *carent cui pectora mendo.* ut concursus duum *a* vitetur, quem et hic vitavit. Nam alibi fœminino genere effert Noster. Heins. vid. ad lib. ii. 653.

265. *Hic quoque.*] Malim, *sic quoque.* Heins. Probo. frequens enim hujus formulæ usus, pro, licet jaceas, et abscondere velis brevitatem. sic et viii. Met. 603. *Sic quoque complectar.* ubi vulgo, *hanc quoque.* Epist. viii. 25. *sic quoque eram repetenda.* vid. i. Amor. vii. 13. plura dabimus ad Val. Flac. iv. 598. Burm.

267. *Pleno velamina filo.*] Sunt quæ Polimita Petronio cap. 40. dicuntur. vide supr. 109.

269. *Tangat sua corpora.*] *Tangere* etiam alibi pro ungere, illinere. vid. ad Epist. xix. 44. et iv Fast. 790. sed *tangat*, hic non tam placet, quia de fuco agitur, de quo rectius *tingere* dici puto. *Virgæ* hic sunt notæ fucatæ, maculæ arte ductæ, quibus faciem pallidam illinunt: ut *virgata nurus* apud Val. Flacc. ii. 158, ubi plura dicemus. illis vero virgis non tam tangitur corpus, quam tingitur. nam materiâ, ex qua illæ virgæ ducuntur, rectius posset dici tangi corpus. Burman. Per *virgas purpureas*, vacinia intelligit, quorum usus frequens apud Gallos, teste Plin. in tinctura purpurea. *Virgas* autem dixit, pro baccis ipsis, e quibus color exprimitur. Sandycem alii volunt, de qua Virg. Ecl. iv. 45. Est vero coloris seu pigmenti genus ex metallo. Amar.

271. *Pes malus in nivea semper celetur aluta.*] Albo calceo, Juvenalis Satyra vii. *nigræ* meminit *alutæ.*

Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

albos calceos Appianus videtur *Phæcasia* appellare, ubi de Antonio agit Athenis luxui indulgente: Καὶ στολὴν εἶχε τετράγωνον Ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, καὶ ὑπόδημα ἦν αὐτοῦ λευκὸν Ἀττικὸν, ὃ καὶ Ἀθηναίων ἔχουσιν ἱερεῖς καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι Φαικάσιον. Non ergo albi calcei in usu Romanis. *Phæcasianorum* meminit et Seneca libro vii. de beneficiis cap. xxi. *Pythagoricus quidam emerat a Sutore phæcasia, rem*

Conveniunt tenues scapulis analectrides altis:
  Inflatum circa fascia pectus eat.
Exiguo signet gestu quodcumque loquetur;
  Cui digiti pingues, et scaber unguis erunt.
Cui gravis oris odor, numquam jejuna loquatur;
  Et semper spatio distet ab ore viri.
Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus
  Dens tibi, ridendo maxima damna feres.
Quis credat? discunt etiam ridere puellæ:
  Quæritur atque illis hac quoque parte decor.
Sint modici rictus, sint parvæ utrimque lacunæ;
  Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetúo contendant ilia risu:
  Sed leve nescio quid femineumque sonent.
Est, quæ perverso distorqueat ora cachinno:
  Cum risu læta est altera, flere putes.
Illa sonat raucum, quiddamque inamabile stridet;
  Ut rudit ad scabram turpis asella molam.

magnam, non præsentibus nummis. Phæcasiatus miles apud Petronium. Heins.

273. *Analectides altis.*] Turnebus Adversar. lib. iv. cap. xxiii. *ometides*, humerales fascias legendum contendit, et reprehendit illos, qui *analectides* emendant, Cœlium Rhodiginum, et, qui illum sequitur, Mycillum tangens, cujus hanc conjecturam probabat tamen Gruterus. Ego ad Regii codicis, sacræ tanquam anchoræ, confugiens scripturam, *τὸ analecptrides*, geminam lectionem designare opinor, videlicet in nonnullis codicibus, *analectrides*, *ἀπὸ τοῦ ἀναλέγειν* scriptum fuisse, in nonnullis, *analeptrides*, *ἀπὸ τοῦ ἀναλαμβάνειν colligere, restringere* monens. Ego tamen, *analectrides* malim, quod earum etiam usus in lecto fuerit. ita et *ὁμολεκτρίδες, concubinæ.* olim refingebam, *anacleptides. ἀπὸ τοῦ ἀνακλέπτομαι, retrocedo.* vel, *anacletides.* Heins.

274. *Angustum circum fascia pectus eat.*] Regius alter, *Inflatum pectus.* quod verum est. Intelligit autem *Strophium*, quod *luctantes papillas vincibat*, ut cum Catullo loquar. Nonius certe *Strophium* vocat, *fasciam brevem, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet.* Heins.

281. *Discunt ridere puellæ.*] Huc forte respexit Martialis, lib. ii. Epist. 41.

Ride, si sapis, o puella ride,
Pelignus, puto, dixerat poëta.

Nam ipsa verba, quæ Martialis producit, ex deperdito alio Nasonis opere desumta esse vix puto. Burm.

Quo non ars penetrat? discunt lacrimare decenter:
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.
Quid? cum legitimâ fraudatur litera voce,
Blæsaque fit jusso lingua coacta sono:
In vitio decor est, quædam male reddere verba,
Discunt posse minus, quam potuere, loqui.
Omnibus his, quoniam prosunt, impendite curam.
Discite femineo corpora ferre gradu.
Est et in incessu pars non temnenda decoris.
Adlicit ignotos ille, fugatque viros.
Hæc movet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit; extensos fertque superba pedes.
Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti,
Ambulat; ingentes varica fertque gradus.

291. *Quo non ars penetrat.*] Imitatus est Valerius Max. lib. v. cap. iv. sect. 17. *Quo non penetrat, aut quid non excogitat pietas?* Burm.

293. *Quid, cum legitimâ.*] Quinctil. xi. Inst. Orat. 3. ex vetustis codicibus. *Nec volubilitate nimia confundenda, quæ dicimus, qua et distinctio perit et affectus, et nonnumquam etiam verba aliqua sui parte fraudantur.* ubi male Salmasius, *qui sui parte fundantur.* Burm.

302. *Excipit.*] Talem incessum amicæ suæ describit Aristænetus, lib. i. Epist. i. et comparat cupresso, aut palmæ, modico flamine agitatæ; et hoc ideo facere addit, quia forma superbior esse amat naturâ. de fluentibus vero vestibus vide Gronov. ii. Observ. 7. et ad Phæd. v. fab. i. Burm.

Extensos.] Explicat Passerat. illa Propert. lib. ii. Eleg. iii. 6. *Ibat et expenso planta morata gradu. Lento ac gravi*, vel numerato, deinde inclinat in *expanso gradu;* et tandem ex MSS. præfert *extenso gradu*, quod interpretatur, quasi cum gradibus metiretur spatium soli: sed Broukhusius apud Propertium *expensum gradum*, id est compositum, lentum præfert. ut et hic, si libri addicerent, mallem; quia mox, *ingentes gradus*, rusticæ dat, quos non decet matronæ superciliosæ et superbæ dare. et hinc *mollem* mox versu 310. vocat; quod extentis pedibus vix convenit. sed et *extensos* retinere possimus et non de ingenti, aut celeri incessu capere, sed cum alte tollit et levat pedes, nec ideo tamen properat, sed potius exultat, et mimice incedit, quod etiam *molliter* dici potest. Burm.

303. *Illa, velut conjux Umbri mariti, &c.*] In incessu rusticitatem signaturus, *Umbri* conjugem adducit, et *rubicundam* quidem. Umbri enim, qui Sabini iidem et Imbri, fuerunt omnium Italiæ populorum fortissimi, et eorum conjuges agrestes nimium. Amar.

304. *Ambulat, ingentes varica fertque gradus.*] Vir summus et flos literati orbis Isaacus Casaubonus ad Theophrasti Characteres notat, Naso-

Sed sit, ut in multis, modus hic quoque. rusticus alter
Motus; in incessu mollior alter erit.
Pars humeri tamen ima tui, pars summa lacerti
Nuda sit, a lævâ conspicienda manu.
Hoc vos præcipue, niveæ, decet. hoc ubi vidi,
Oscula ferre humero, quâ patet, usque libet.
Monstra maris Sirenes erant: quæ voce canorâ
Quamlibet admissas detinuere rates.
His sua Sisyphides auditis pene resolvit
Corpora. nam sociis illita cera fuit.
Res est blanda canor: discant cantare puellæ.
Pro facie multis vox sua lena fuit.
Et modo marmoreis referant audita theatris;
Et modo Niliacis carmina lusa modis.
Nec plectrum dextrâ, citharam tenuisse sinistrâ
Nesciat arbitrio femina docta meo.

nem tamquam parum proprie hoc loco locutum, cum naturæ rerum videatur adversari, ut mulier varica ingentes gradus possit facere. Confudit nimirum vir doctissimus *varicam* cum *vara*, cum diversa sint. *Varica*, quæ divaricat pedes, et præter justam mensuram late extendit. *Divaricare* Nonius Marcellus interpretatur *distendere*. Glossæ H. Stephani, *varicat, ὑπερβαίνει*. aliæ glossæ *varico, ῥαιβόω. varicus, ῥαιβός*. a *varis* igitur et incurvis pedibus deducitur *gressus varicus*. sed alterum naturæ vitium, alterum rusticæ consuetudinis. Heinsius.-Docta sunt et egregia, quæ Heinsius hic adfert. sed posset et capi de femina rustica et ingentis staturæ, quæ varicos gradus ferret; nam et illa statura nimia rusticitatem probat, et solent ingentes illæ feminæ deformiter et rustice incedere. sic Martial. xii. Epist. 32.

Et cum sorore cana mater ingenti.

Quod male Raderus capit de ætate. Burm.

307. *Pars humeri tamen ima tui.*] De *exsertis humeris* vide Wass. ad Sallust. Catil. xliv. ubi distinguit inter *nudare humerum* et *exserere:* hoc esse etiam proferre, jactare, educere; et ita possemus hoc præceptum Nasonis non ad exserendos humeros, sed parte tantum ima nudandos restringere, ne inverecundiæ nimiæ magister videatur. Burm.

313. *His sua Sisyphides*, &c.] Ulixes, illius Sisyphi filius, qui, illata vi, ut aiunt, Autolycæ, Laertæ conjugi, Ulixem ex ea suscepit. Quod quidem probrum ipsi Ajax objicit, Metam. xiii. 31. sqq. ubi de armis Achillis, Ulixem inter et Ajacem, solemnis disceptatio. Amar.

Saxa ferasque lyrâ movit Rhodopeïus Orpheus,
  Tartareosque lacus, tergeminumque canem.
Saxa tuo cantu, vindex justissime matris,
  Fecerunt muros officiosa novos.
Quamvis mutus erat, voci favisse putatur
  Piscis, Arioniæ fabula nota lyræ.
Disce etiam duplici genialia naulia palmâ
  Verrere: conveniunt dulcibus illa jocis.
Sit tibi Callimachi, sit Coï nota poëtæ,
  Sit quoque vinosi Teïa Musa senis.
Nota sit et Sappho: quid enim lascivius illâ?
  Cuive pater vafri luditur arte Getæ.
Et teneri possis carmen legisse Properti:
  Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum.
Dictaque Varroni fulvis insignia villis
  Vellera, germanæ, Phryxe, querenda tuæ.
Et profugum Ænean, altæ primordia Romæ;
  Quo nullum Latio clarius extat opus.
Forsitan et nostrum nomen miscebitur istis;
  Nec mea Lethæis scripta dabuntur aquis.

323. *Saxa tuo cantu, vindex justissime matris,* &c.] De Amphione agitur, Thebanæ arcis conditore, qui Antiopem matrem egregie ultus est, adligata Dirce, quæ illam diu multumque vexaverat, taurorum sylvestrium caudis. Rem varie narrant Hygin. Fabb. 7, 8. 155; et Pausan. Corinth. vi. et Boetic. xvii. Amar.

327. *Genialia naulia palmâ.*] De nabliis, et quale instrumentum id sit, Politianum vide Miscell. 14. qui de hoc loco prolixe tractavit. Micyl.

328. *Vertere.*] *Verrere* eleganter Regius et Arondelianus. quomodo et Scaliger in ora sui codicis conjecerat legendum. in eodem *nubila*. sed *naulia*, ναύλια, probum est. quæ νάβλα apud Suidam. vide et Pollucem. Heins.

330. *Teïa musa.*] Teos Oppidum Ioniæ, ab Athamante conditum. Micyl.

332. *Cuive pater.*] Terentium intelligunt interpretes, sed ego Menandrum melius Græcis Poëtis jungi puto. ut et lib. ii. Trist. 369. Græcis fere iisdem additur: ubi etiam Romæ pueris virginibusque legi solere prodit Noster Poëta. Burm.

Atque aliquis dicet, Nostri lege culta magistri
Carmina, quîs partes instruit ille duas.
Deve tribus libris, titulus quos signat Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legas.
Vel tibi compositâ cantetur Epistola voce;
Ignotum hoc aliis ille novavit opus.
O ita, Phœbe, velis; ita vos, pia numina vatum,
Insignis cornu Bacche, novemque Deæ!
Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam;
Ut moveat posito brachia jussa mero?
Artifices lateris, scenæ spectacula, amantur:
Tantum mobilitas illa decoris habet.
Parva monere pudet: talorum ducere jactus
Ut sciat, et vires, tessera missa, tuas.
Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.
Cautaque non stulte latronum prœlia ludat:
Unus cum gemino calculus hoste perit.
Bellatorque suâ prensus sine compare bellat:
Æmulus et cœptum sæpe recurrit iter.

345. *Vel tibi composita cantetur epistola voce: Ignotum hoc aliis ille novavit opus.*] Sententia est: Atque aliquis dicet, Lege carmina nostri magistri, id est Ovidii: ea scilicet, quibus ille ambas partes instruit: hoc est, tam viros, quam puellas amare docet. Micyl.

350. *Brachia jussa.*] Scio quomodo explicari et exemplis infinitis illustrari possit. Sed Schefferi codex habet, *passa*, quod præferrem, ut elegantius et doctius. Burm.

351. *Artificis lateris, scenæ spectacula amantur.*] Malo, *emuntur.* sic Trist. I. ii. 507.

Quæ mimis prodest, scena est lucrosa poëtæ:
Tantaque non parvo crimina Prætor emit.
Inspice ludorum sumtus, Auguste, tuorum.
Emta tibi magno talia multa leges.
Heins.

Nihil muto. et ita interpretor; Mimos et Magistros illos motuum mimicorum, qui quotidie in scena spectantur, etiam a viris et mulieribus amari, licet sint vilissimi: de hoc furore, quo et viri et feminæ ferebantur in pantomimos, qui lateris artifices erant, id est, docebant saltare puellas et juvenes, sæpe invehitur Seneca. Burm.

Reticuloque pilæ leves fundantur aperto:
Nec, nisi quam tolles, ulla movenda pila est.
Est genus in totidem tenui ratione redactum
Scriptula, quot menses lubricus annus habet.
Parva tabella capit ternos utrimque lapillos;
In quâ vicisse est, continuasse suos.
Mille facesse jocos. turpe est nescire puellam
Ludere: ludendo sæpe paratur amor.
Sed minimus labor est, sapienter jactibus uti.
Majus opus, mores composuisse suos.
Dum sumus incauti, studioque aperimur in ipso;
Nudaque per lusus pectora nostra patent;
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido;
Jurgiaque, et rixæ, sollicitusque dolor.
Crimina dicuntur: resonat clamoribus æther:
Invocat iratos et sibi quisque Deos.

361. *Reticuloque pilæ leves fundantur aperto.*] Aptum puellis esse pilæ lusum, apparet, quod et senibus infirmis conveniebat. vid. ad Petron. cap. xxvii. et per *reticulum* forte follem reticulatum intelligit. *levis* autem pila, quia vitrea. de pilæ lusu plura vid. apud Casaub. ad Athen. i. 12. Mag. Miscel. i. ii. et Passer. ad Propert. iii. xiv. 5. ubi Broukhusius Romanas puellas ab hoc lusu arcet, propter sequentem mox vers. 383. sed ibi *celeres pilæ* virilem ludum indicant, hic *leves* puellarem. Discrimen vero utriusque ludi me ignorare fateor. Burm.

363. *Est genus in totidem tenui ratione redactum Spicula.*] *Scriptula* Scaliger, et Salmasius ad Historiam Augustam; qui videndus. Heins. *Spicula* Bernensis codex. hunc ludum post Salmasium ad Vopisci Procul. cap. xiii. et Scaligerum ad Catalect. pag. 282. illustravit Gronovius, lib. iii. de Pecun. Vetere cap. xv. Recte mihi capere videtur Cl. Hyde, de ludo, quem nos *Triodum* appellamus. vide eum de ludis Oriental. pag. 202. et seqq. et hoc videtur etiam Merula intellexisse. Quis vero hæc ita explicet, ut omnibus satisfaciat, nisi viderit ipsum lusum, aut luserit? Burm.

367. *Mille face esse jocos.*] *Facesse* Regius et quatuor alii. Reliqui, *fac esse*. Heins.

370. *Majus opus mores composuisse suos.*] et quæ sequuntur. Eo laudandus magis hic locus, quo major, quum hæc scriberet Ovidius, aleæ furor Romanos invaserat, et ipsum in primis August. apud quem idem aulicus ac aleator. Suet. in Aug. 95. Amar.

371. *Tunc sumus incauti.*] Lege, *Dum sumus* cum prima editione et quatuor scriptis. et *aperimur in ipso*, pro *ab ipso* meliores libri. Heins.

Nulla fides; tabulæque novæ per vota petuntur:
Et lacrimis vidi sæpe madere genas.
Juppiter a vobis tam turpia crimina pellat,
In quibus est ulli cura placere viro.
Hos ignava jocos tribuit Natura puellis:
Materiâ ludunt uberiore viri.
Sunt illis celeresque pilæ, jaculumque, trochique,
Armaque, et in gyros ire coactus equus.
Nec vos Campus habet, nec vos gelidissima Virgo;
Nec Thuscus placidâ devehit amnis aquâ.
At licet, et prodest, Pompejas ire per umbras;
Virginis ætheriis cum caput ardet equis.
Visite laurigero sacrata Palatia Phœbo:
Ille Parætonias mersit in alta rates.
Quæque soror conjuxque Ducis monumenta pararunt:
Navalique gener cinctus honore caput.

377. *Nulla fides tabulis, quæ non per vota petuntur.*] Sensus intricatior, neque satisfaciunt conjecturæ Heinsii, qui etiam capiebat *tabulam* pro tabula lusoria. Sed planus erit, si sequamur unius codicis Heinsiani elegantissimam, ut mihi videtur, scripturam:

Nulla fides; tabulæque novæ per vota petuntur.

Ut indicet lusorem, qui omnia perdiderit, et plus debeat, quam solvere possit, optare novas tabulas, ut non cogatur nomen suum expedire; sed remisso debito omni, iterum integrare possit lusum: ita ut qui antea perdiderit, lucretur aliquid. de *Tabulis novis* omnia sunt notissima. Burm.

386. *Placidâ devehit amnis aqua.*] *Placida aqua* Tyberi non recte datur, cum sit rapidus. Scribe, *placitâ aquâ.* Heins. Nihil muta. sit enim licet Thybris rapidus, non omni tempore violentus ire solet. ii. Æneid. 782, *leni agmine* Thybrim *fluere* ait. Burm.

389. *Visite laurigero sacrata Palatia Phœbo.*] Ædem dicit quam Apollini Actiaco, devictis Cleopatra et Antonio, Augustus in Palatino monte dicaverat. Templum hoc fuit donis opulentissimum; si quidem Augustus aureas argenteasque statuas sibi positas ei donavit: fuit etiam opere magnificentissimum: valvæ enim erant eburneæ, auro, picturisque ornatæ, &c. Describit elegantissime Propert. ii. Eleg. xxiii. Amar.

391. *Quæque soror, conjuxque ducis.*] Porticus Octaviæ, Augusti sororis, et Liviæ conjugis, indicat. Amar.

392. *Navalique gener cinctus honore caput.*] Hoc est, M. Agrippa, qui gener Augusti fuit ex Julia (ut Suetonius tradit) et corona navali ab eodem Augusto donatus, post devictum Sextum Pompejum. Micyl.

Visite turicremas vaccæ Memphitidos aras:
  Visite conspicuis terna theatra locis.
Spectentur tepido maculosæ sanguine arenæ;
  Metaque ferventi circueunda rotâ.
Quod latet, ignotum est, ignoti nulla cupido.
  Fructus abest, facies cum bona teste caret.
Tu licet et Thamyran superes, et Amœbea cantu;
  Non erit ignotæ gratia magna lyræ.
Si Venerem Cous nusquam posuisset Apelles;
  Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.
Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poëtis?
  Hoc votum nostri summa laboris habet.
Cura Ducum fuerunt olim Regumque poëtæ:
  Præmiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque majestas, et erat venerabile nomen
  Vatibus: et largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
  Contiguus poni, Scipio magne, tibi.
Nunc ederæ sine honore jacent: operataque doctis
  Cura vigil Musis nomen inertis habet.

396. *Metaque.*] Hoc est Circus, in quo ludi Circenses atque Equestres fiebant. Micyl.

399. *Thamyran superes atque Orphea cantu.*] *Et Amœbea* scripti potiores cum primâ editione. Fuit autem Amœbeus Citharœdus Atheniensis magni nominis, cujus ex Aristeæ de Citharœdis libro meminit Athenæus lib. xiv. Zenoni coætaneum facit Plutarchus *περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς*. Heins.

400. *Ignotæ gratia magna Lyræ.*] Adlusit ad notissimum Græcorum proverbium, *τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος*. Burm.

405. *Cura Ducum fuerant.*] Poëtas olim ducibus curæ fuisse Pausanias docet in Atticis exemplo Philoxeni et Arati. Sic Euripides Archelao Macedoniæ regi, Anacreon Polycrati Samio, Simonides, Pindarus, Bacchilides Hieroni Siciliæ tyranno: iidem quoque Anacreon, et Simonides Hipparcho Pisistrati filio carissimi fuere. At Cato in Oratione M. Nobiliori objicit, quod Poëtam in Provinciam duxisset, qui Ennium eo duxerat. vide Cicer. lib. primo Tusc. Quæst. principio. Heins.

Sed famæ vigilare juvet: quis nosset Homerum,
  Ilias æternum si latuisset opus?
Quis Danaën nosset, si semper clausa fuisset;
  Inque suâ turri perlatuisset anus?
Utilis est vobis, formosæ, turba, puellæ.
  Sæpe vagos ultra limina ferte pedes.
Ad multas lupa tendit oves, prædetur ut unam:
  Et Jovis in multas devolat ales aves.
Se quoque det populo mulier speciosa videndam:
  Quem trahat, e multis forsitan unus erit.
Omnibus illa locis maneat studiosa placendi:
  Et curam totâ mente decoris agat.
Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus.
  Quo minime credas gurgite, piscis erit.
Sæpe canes frustra nemorosis montibus errant:
  Inque plagam nullo cervus agente cadit.
Quid minus Andromedæ fuerat sperare revinctæ,
  Quam lacrimas ulli posse placere suas?
Funere sæpe viri vir quæritur. isse solutis
  Crinibus, et fletus non tenuisse, decet.
Sed vitate viros cultum formamque professos;
  Quique suas ponunt in statione comas.

413. *Sed famæ invigilare juvat.*] *Vigilare* scripti potiores cum primâ editione. quomodo apud Propertium ii. Eleg. 2. *studiis vigilare severis.* Rectius quoque *juvet* Aprosianus. Juvet vos vigilare in spem famæ. HEINS.

419. *Ad multas.*] *In* Regius, Francof. et alii, ut sequenti etiam versu. quod magis feritatem et hostilem animum notat, ut *ire in aliquem* et similia. possumus et *exit* capere, e lustris suis ad rapinas prodit. BURM.

422. *Quem trahat.*] Et hoc proprie et eleganter. Tertull. i. de Cult. fem. 4. *Ornatus in cura capilli et cutis et earum partium corporis, quæ oculos trahant.* vid ad ii. Amor. xix. 10. BURM.

431. *Funere sæpe viri vir quæritur.*] Testis *Matrona* illa Ephesiana, cujus historiam Eumolpus eleganter adeo et festive narrat, apud Petron. Hanc autem historiam vere contigisse, auctor est Flavinius, apud Sarisberiensem, et Ephesi mulierem pœnas dedisse. AMAR.

Quæ vobis dicunt, dixerunt mille puellis.
Errat, et in nullâ sede moratur amor.
Femina quid faciat, cum sit vir levior ipsâ;
Forsitan et plures possit habere viros?
Vix mihi credetis; sed credite: Troja maneret,
Præceptis Priami si foret usa sui.
Sunt qui mendaci specie grassentur amoris,
Perque aditus tales lucra pudenda petant.
Nec coma vos fallat liquidâ nitidissima nardo:
Nec brevis in rugas cingula pressa suas.
Nec toga decipiat filo tenuissima: nec si
Annulus in digitis alter et alter erit.
Forsitan ex horum numero cultissimus ille
Fur sit; et uratur vestis amore tuæ.
Redde meum, clamant spoliatæ sæpe puellæ:
Redde meum, toto voce boante foro.
Has, Venus, e templis, multo radiantibus auro,
Lenta vides lites, Appiadesque Deæ.
Sunt quoque non dubiâ quædam mala nomina fa-
Deceptæ a multis crimen amantis habent. [mâ:

441. *Grassantur amoris.*] *Grassentur* meliores cum primâ editione. et *petant* sequenti versu. Heins. *Grassari* pro adulari positum videretur antique, nisi præcederet. Douza.

443. *Nec coma vos fallat liquidâ nitidissima nardo.*] Hoc est, unguento nardino, sive ipsa nardus foliata, sive spicata fuerit: his enim nominibus apud Plinium distinguitur. Micyl.

444. *Nec brevis in rugas cingula pressa suas.*] *Cingulam brevem* hic exponunt, quæ vestem ipsam arcte astringat, pluresque rugas sive plicas faciat. ut sit *cingula*, quæ alias equorum ac jumentorum proprie est, pro *cingulo* sive cinctu posita. Solitos autem cingi Romanos veteres, argumento etiam est dictum illud Syllæ de Cæsare, Puerum male præcinctum cavendum esse. Micyl. Vid. Ferrarium, lib. iii. de Re Vest. cap. 7. qui, præter Ovidium, neminem *cingulam* dixisse notat. Servius ad Virg. ix. Æneïd. 360. notat *cingulum* hominum generis neutrius esse, animalium vero feminino genere dici, *has cingulas.* Burm.

452. *Appiadesque Deæ.*] Nescio an non per Appiades Deas, Nymphas, quarum statuæ ad Aquam Appiam positæ erant, intelligat. ad fontes enim et aquarum ductus statuæ ponebantur. Burm.

453. *Sunt quoque non dubiâ.*] Locus intricatus, et cujus sensum vix

Discite ab alterius vestris timuisse querelis:
Janua fallaci nec sit aperta viro.
Parcite, Cecropides, juranti credere Theseo;
Quos faciet testes, fecit et ante, Deos.
Et tibi, Demophoon, Theseï criminis heres,
Phyllide deceptâ nulla relicta fides.
Si bene promittant, totidem promittite verbis:
Si dederint, et vos gaudia pacta date.
Illa potest vigiles flammas extinguere Vestæ;
Et rapere e templis, Inachi, sacra tuis;
Et dare mixta viro tritis aconita cicutis;
Accepto Venerem munere si qua negat.
Fert animus propius consistere, supprime habenas,
Musa; nec admissis excutiare rotis.
Verba vadum tentent abiegnis scripta tabellis.
Accipiat missas apta ministra notas.

pervideo: si de puellis agat, ut Merula capit, sensus esse posset, esse quasdam, quibus constat nullam esse habendam fidem, quæ sunt indubie mala nomina, ut creditores dicuntur, qui fidem non præstant. hæ autem, quia deceptæ sunt a multis, etiam alios volunt decipere. et ita legi posset in pentametro:

Deceptæ a multis crimen amantis amant.

Imitari amant amantem, qui eos decepit; sed incommode tunc singularis ille *amantis* additur, τῷ *multis*. quare cum Francofurtensi posset legi, *crimen amoris*. sed sequentia potius suadent, hæc omnia de viris fallacibus esse capienda, ut exemplis Ariadnes et Phyllidis deceptarum probat. quare legerem:

Sunt quoque non dubiâ quidam mala nomina famâ,
Deceptæ et multi crimen amantis habent.

Sunt quidam, quos constat esse malæ fidei, qui promissos toros et fœdera non præstant, et multi sunt, qui crimen habent amantis deceptæ, id est qui culpam hanc admiserunt jam, et ideo ab omnibus male audiunt. Burm.

455. *Discite ab alterius vestris timuisse querelis.*] *Vobis timuisse* Thomasini codex: concinnius. Heins. Nec hic sensus apertus satis: quomodo enim timebunt a querelis? *renuisse* Junian. *tenuisse* sex. in Neapolitano et Bernensi erat, *caruisse*. quare legerem,

Discite ab alterius, vobis cavisse, querelis.

A querelis deceptarum puellarum, quarum exempla mox subjiciet, discite vobis cavere. et seq. versu Regius, *nec sit*, Francof. *non sit*. probo Regii scripturam, quam Bersmannus expressit. Burm.

Inspice: quodque leges, ex ipsis collige verbis,
Fingat, an ex animo, sollicitusque roget.
Postque brevem rescribe moram. mora semper amantes
Incitat, exiguum si modo tempus habet.
Sed neque te facilem juveni promitte roganti:
Nec tamen eduro, quod petit, ore nega.
Fac timeat speretque simul: quotiesque remittes,
Spesque magis veniat certa, minorque metus.
Munda, sed e medio, consuetaque verba, puellæ,
Scribite. sermonis publica forma placet.
Ah quoties dubius scriptis exarsit amator;
Et nocuit formæ barbara lingua bonæ!
Sed quoniam, quamvis vittæ careatis honore,
Est vobis vestros fallere cura viros;
Ancillæ puerive manus ferat apta tabellas:
Pignora nec juveni credite vestra novo.
Vidi ego, pallentes isto terrore puellas,
Servitium miseras tempus in omne pati.

479. *Munda, sed e medio.*] *Blanda* unus Vaticanus. quomodo supra lib. i. 467.

Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba,
Blanda tamen, præsens ut videare loqui.

Nihil tamen temere mutandum. Heinsius. Ita apud Prop. iv. v. 43. eadem est varietas. vid. supr. 332. sed *blanda verba* aptius dedit viris, qui per blanditias aditum ad Venerem quærunt. Puellis magis *munda* conveniunt. *munda* vero opponuntur *fucatis*, ut Cicero Orat. 23. *Fucati medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur, elegantia modo et munditia remanebit.* Ita Homer. Iliad. B, 213. Thersitæ dedit: Ἔπεα ἄκοσμά τε πολλά τε. si *blanda* legas, non erat apta oppositio τῶν *sed e medio:* nam et *e medio*, semper sunt blanda. quare *blanditias* et *publica verba* conjungit Noster, lib. iii. Amor. 7. sed in *mundis* eligendis sæpe affectatio nimia apparere solet. Burm.

486. *Pignora nec juveni.*] *Juveni* rectum est, nec de servo, sed amatore debet intelligi, ut sequentia manifesto demonstrant. præcipit, ut ancilla vel puer literas missas ad amantem, et lectas referat, ne servet amator, quibus postea ut fulmine utatur. Burm.

Perfidus ille quidem, qui talia pignora servat:
Sed tamen Ætnæi fulminis instar habet.
Judice me fraus est concessa, repellere fraudem:
Armaque in armatos sumere jura sinunt.
Ducere consuescat multas manus una figuras.
Ah pereant, per quos ista monenda mihi!
Nec nisi deletis tutum rescribere ceris:
Ne teneat geminas una tabella manus.
Femina dicatur scribenti semper amator;
Illa sit in vestris, qui fuit ille, notis.
Sed libet a parvis animum ad majora referre,
Plenaque curvato pandere vela sinu;
Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument irâ; nigrescunt sanguine venæ;
Lumina Gorgoneo sævius igne micant.
I procul hinc, dixit, non es mihi, tibia, tanti;
Ut vidit vultus Pallas in amne suos.
Vos quoque si mediâ speculum spectetis in irâ;
Cognoscat faciem vix satis ulla suam.

489. *Talia munera servat.*] *Captat* Lincolniensis. quod olim non displicuit Heinsio, et de interceptis literis capiebat. ut *captare* lib. ii. 597. sed mihi *servat* probum videtur. et de amatore, qui tabellas non remittit deletas, iisque responsum suum inscripsit, sed signatas servat; ut possit omnibus puellæ scripturam ostendere, et si nolit ipsi obsequi, terrori isti semper eam habeat obnoxiam. Burm.

498. *Illa sit in vestris, qui fuit ille, notis.*] Sic scribas, ut de feminâ semper scribere videaris, cum re ipsâ de viro, et amico quidem, loquaris: quod artis summum decipiendi; sed vix poterat dici ingeniosius. Amar.

500. *Pandere.*] *Tendere* multi. *reddere* unus. *prendere* Bernensis. Sed *tendere* non male. *pandere* enim simpliciter est explicare, *tenduntur* autem vela, cum major aura implet. Epist. xiii. 15. *abreptaque vela tetendit.* et ita alibi. Burm.

505. *I procul hinc, dixit, non es mihi, tibia, tanti.*] Sub finem lib. vi. Fast.

Ars mihi non tanti est, valeas mea tibia, dixit.

Tu inde totam fabulam pete. Ciof.

Nec minus in vultu damnosa superbia vestro:
  Comibus est oculis adliciendus amor.
Odimus immodicos (expertæ credite) fastus.
  Sæpe tacens odii semina vultus habet.
Spectantem specta: ridenti mollia ride.
  Innuet; acceptas tu quoque redde notas.
Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis
  Spicula de pharetrâ promit acuta suâ.
Odimus et mœstas. Tecmessam diligat Ajax:
  Nos, hilarem populum, femina læta capit.
Numquam ego te, Andromache, nec te, Tecmessa, rogarem,
  Ut mea de vobis altera amica foret.
Credere vix videor, cum cogar credere partu,
  Vos ego cum vestris concubüisse viris.
Scilicet Ajaci mulier mœstissima dixit,
  Lux mea; quæque solent verba juvare viros;
Quid vetat a magnis ad res exempla minores
  Sumere, nec nomen pertimuisse ducis?

510. *Comibus est oculis.*] Quidam, *dulcibus.* Moreti, Junii, et duo alii, *mollibus*, quod probo. Ita *mollis oculorum petulantia* Petron. cxxvi; et μαλακὸν βλέμμα, Aristoph. Plut. Act. iv. sc. iv. 57. Paulo aliter *molles oculos* dixit, Remed. 340. Ita *comiter* et *molliter* confusa, Art. Amat. i. 710. Deinde unus Heinsii, *eliciendus amor*. Hos autem rectius fit *mollibus* oculis, quam *comibus*; sed quia *superbia* præcedit, et *mollia ridere* sequitur, nihil movemus. Burm.

520. *Amica foret.*] *Fores* rectius legatur. Heins. *Altera nupta foret.* Barthol. notandum vero *alteram* hic poni pro *alterutram*. sic apud Quinctil. lib. vii. Inst. cap. i. *Alter igitur insidiatus est. Uter? profecto Clodius.* Burm.

521. *Cum cogar credere partu.*] *Nisi cogar credere partus*, prima editio et duo scripti. Mentelianus, *nisi cogar credere partu.* Lege:

Credere vix videar, nisi cogar credere partu.

Vel, *cogant partus.* Natus enim ex Andromachâ Hectori Astyanax, ex Tecmessâ Ajaci Eurysaces, a quo Eurysacidæ, clarissima apud Athenienses familia. Heins. *Vix possum* Lincoln.

525. *Quis vetat, a magnis ad res exempla minores Sumere.*] Sensus est: Quid prohibet, magnarum rerum exempla ad res mulierum parvas accom-

Dux bonus huic centum commisit vite regendos;
  Huic equites; illi signa tuenda dedit.
Vos quoque, de nobis quem quisque sit aptus ad usum,
  Inspicite: et certo ponite quemque loco.
Munera det dives: jus qui profitebitur, adsit:
  Facundus caussam sæpe clientis agat.
Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum.
  Hic chorus ante alios aptus amare sumus.
Nos facimus placitæ late præconia formæ.
  Nomen habet Nemesis: Cynthia nomen habet.
Vesper et Eoæ novere Lycorida terræ:
  Et multi, quæ sit nostra Corinna, rogant.
Adde, quod insidiæ sacris a vatibus absunt:
  Et facit ad mores ars quoque nostra suos.
Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi:
  Contemto colitur lectus et umbra foro.
Sed facile hæremus, validoque perurimur æstu;
  Et nimium certâ scimus amare fide.
Scilicet ingenium placidâ mollimur ab arte:
  Et studio mores convenienter eunt.

modare? ut exempla ducum ad res amatorias, &c. Nam quæ Merula hic de Andromache et Tecmessâ exponit, suo modo affingit. Micyl.

527. *Huic centum commisit jure regendos.*] Optime Regius et unus Vaticanus, *vite.* quomodo Cujacius Observat. lib. xii. cap. xxxiv. ex suis scriptis. de vite, quam centurio gestabat, loquitur. Heins.

530. *Et certo ponite quemque loco.*] Suo quemque amatorem loco collocent puellas monet, quo certiorem ex illis utilitatem ducant; nec carmina petant a *divite*, vel *munera*, ab illo qui facit carmina, &c. Amar.

536. *Nomen habet Nemesis*, &c.] Apud Tibull. *Cynthia* vero, apud Propert. De Lycoride, tantopere a Gallo adamatâ, vid. Virg. Ecl. x. Amar.

541. *Nec amor nos urget habendi.*] Mihi *urit* maxime blanditur, ut amorem habendi eleganter poëta opponat amori puellæ, quo præcipuo, et solo fere urantur poëtæ. Burm.

545. *Ingenium placidâ mollitur ab arte.*] *Mollimur* optime Sarravianus cum quatuor aliis. usitatus Nasoni Græcismus. Heins. *Nostrâ ab arte* Francof. et Palatinus. *blandâ* alii cum Juniano. sed nihil move: *placida* enim *ars* melius Foro et Curiæ opponitur, quam *blanda*. i. Art. 12.

Atque animos placidâ contudit arte feros. Burm.

Vatibus Aoniis faciles estote, puellæ.
  Numen inest illis; Pïeridesque favent.
Est Deus in nobis; et sunt commercia cœli.
  Sedibus ætheriis spiritus ille venit.
A doctis pretium scelus est sperare poëtis.
  Me miserum! scelus hoc nulla puella timet.
Dissimulate tamen, nec primâ fronte rapaces
  Este. novus viso casse resistet amans.
Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas,
  Comparibus frenis, artificemque regat.
Nec stabiles annis animos, viridemque juventam
  Ut capias, idem limes agendus erit.
Hic rudis, et castris nunc primum notus Amoris,
  Qui tetigit thalamos præda novella tuos;
Te solam norit; tibi semper inhæreat uni.
  Cingenda est altis sepibus ista seges:
Effuge rivalem: vinces, dum sola tenebis.
  Non bene cum sociis regna Venusque manent.
Ille vetus miles sensim et sapienter amabit:
  Multaque tironi non patienda feret.
Nec franget postes, nec sævis ignibus uret;
  Nec dominæ teneras adpetet ungue genas.

550. *Sedibus ætheriis spiritus ille venit.*] Huc facit quod scribit M. Tullius, lib. ii. De Orat. ad Q. fratrem: *Sæpe enim audivi poëtam bonum neminem (id quod a Democrito, et Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris.* Ciof.

561. *Inhæreat.*] Neapolitanus, *militet uni.* quod elegantius est, quam ut a librario sit profectum. Militiæ vero speciem esse amorem toties Noster inculcat. Burm.

565. *Ille vetus miles,* &c.] Monuit jam viros, (lib. ii. 667.) ut mulieres præponant, quas ætas maturior, et rerum amatoriarum usus *prudentiores* effecit: idem nunc, sed aliam ob causam, mulieribus ipsis præcipit; et utrumque recte. Amar.

Sapienter.] Douza malebat *patienter,* ut sæpe alibi.

Nec scindet tunicasve suas, tunicasve puellæ:
Nec raptus flendi caussa capillus erit.
Ista decent pueros, ætate et amore calentes:
Hic fera compositâ vulnera mente feret.
Ignibus hic lentis uretur, ut humida tæda;
Ut modo montanis silva recisa jugis.
Certior hic amor est: brevis et fecundior ille.
Quæ fugiunt, celeri carpite poma manu.
Omnia tradantur. portas reseravimus hosti;
Et sit in infidâ proditione fides.
Quod datur ex facili longum male nutrit amorem.
Miscenda est lætis rara repulsa jocis.
Ante fores jaceat: Crudelis janua, clamet:
Multaque submisse, multa minanter agat.
Dulcia non ferimus: succo renovemur amaro.
Sæpe perit ventis obruta cymba suis.
Hoc est, uxores quod non patiatur amari:
Conveniunt illas, cum voluere, viri.
Obde forem; et duro dicat tibi janitor ore,
Non potes. exclusum te quoque tanget amor.

577. *Reserabimus.*] *Reseravimus* editio prima et scripti meliores. Sequenti versu iidem, *Et sit*, vel, *Et fit.* Latet aliquid. Lege:

Sit sua in infidâ proditione fides.

Sua fides, quia promiserat omnia se traditurum puellis non minus quam viris. Forte etiam legendum, *Mœnia tradantur*, pro *omnia*. Heins.

578. *Et sit in infidâ proditione fides.*] Subjungas cum præcedent. *Portas reseravimus hosti*, &c. Id est; ita vos, puellæ, quibus amantes deciperetis, artibus instruxi, ut vel *infidis*, fidem non possint deinceps non adhibere. Quapropter, addit non ita multo post: *Ponite gladios hebetes*, usitatas scilicet nimium artes: et *acutis pugnetur*, id est, *acutiori*, ut Plautus vocat, *malitia* nunc vobis utendum. Amar.

587. *Claude fores: duro dicat tibi janitor ore.*] Regius et tres alii. Sensus est, Obdantur tibi ipsi fores tuæ, et dicat tibi duro ore Janitor, Non potes admitti; dubium non est, quin te quoque, si excludaris, uxoris tuæ amor sit tacturus, quam nunc vix amas. Heins. Frustra vir clariss. qui mihi non videtur intellexisse poetæ mentem, qui puellam primum adloquitur, monetque ut forem occludat; moxque sermonem convertit ad amatorem, cui janitor, ore duro: *Non potes.* Unde fit, ut vel *exclusum*, *tangat* magis amor. Amar.

Ponite jam gladios hebetes; pugnetur acutis.
  Nec dubito, telis quin petar ipse meis.
Dum cadit in laqueos captus quoque nuper amator;
  Solum se thalamos speret habere tuos.
Postmodo rivalem, partitaque fœdera lecti
  Sentiat. has artes tolle; senescet amor.
Tum bene fortis equus reserato carcere currit;
  Cum, quos prætereat, quosque sequatur, habet.
Quamlibet extinctos injuria suscitat ignes.
  En ego (confiteor) non nisi læsus amo.
Caussa tamen nimium non sit manifesta doloris;
  Pluraque sollicitus, quam sciat, esse putet.
Incitet et ficti tristis custodia servi,
  Et nimium duri cura molesta viri.
Quæ venit ex tuto, minus est accepta voluptas.
  Ut sis liberior Thaïde, finge metus.
Cum melius foribus possis, admitte fenestrâ:
  Inque tuo vultu signa timentis habe.
Callida prosiliat, dicatque ancilla, Perîmus:
  Tu juvenem trepidum quolibet abde loco.
Admiscenda tamen Venus est secura timori;
  Ne tanti noctes non putet esse tuas.
Quâ vafer eludi possit ratione maritus,
  Quâque vigil custos, præteriturus eram.

604. *Ut sis liberior Thaïde, finge metus.*] Pro, *Quanquam sis liberior Thaïde,* id est, qualibet vulgari ac publice prostituta, quæ hunc vel illum impune admittit, tamen finge metum, &c. Sic enim hic locus exponendus videtur: non ut Merula exponit, qui de Thaïde Terentiana dictum accipit, Phædriæque exclusionem, quasi quæ metu facta sit, huc accommodat. Micyl.

607. *Callida.*] Mallem, *Pallida.* Burm.

609. *Sed miscenda tamen.*] *Admiscenda* cum prima edit. et scriptis plerisque. *timenti* etiam unus ex meis pro *timori.* argute. ut timentem seu timidam Venerem securæ opponat. Heins.

Nupta virum timeat: rata sit custodia nuptæ.
  Hoc decet: hoc leges jusque pudorque jubent.
Te quoque servari, modo quam vindicta redemit,
  Quis ferat? ut fallas, ad mea sacra veni.
Tot licet observent, (adsit modo certa voluntas)
  Quot fuerant Argo lumina, verba dabis.
Scilicet obstabit custos, ne scribere possis,
  Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ?
Conscia cum possit scriptas portare tabellas,
  Quas tegat in tepido fascia lata sinu?
Cum possit surâ chartas celare ligatas;
  Et vincto blandas sub pede ferre notas?
Caverit hæc custos: pro chartâ conscia tergum
  Præbeat; inque suo corpore verba ferat.
Tuta quoque est, fallitque oculos e lacte recenti
  Litera: carbonis pulvere tange; leges.

613. *Rata sit custodia nuptæ.*] Habeant nuptæ qui servent, et aditum omnem amatoribus præcludant, concedo equidem; quis vero ferat, te *servari*, quam modo Prætor in libertatem vindicavit? *Virgam* autem, qua libertate servi donabantur, *vindictam* tradunt quidam adpellatam fuisse, a Vindicio, qui servus Brutorum conjurationem patefecit. Liv. ii. 4, 5. Amar. Minime puto hic *nuptam* opponi solutæ et liberæ; sed matronas libertinis, quæ non justis nuptiis, sed fere concubinatu erant junctæ, nec nomen *nuptarum* aut *matronarum* merebantur; ideoque extra pœnam legis erant. et hoc sequentia docent manifeste: et Noster fere semper *nuptarum* nomine matronas intelligit. sic lib. ii. Art. 388. Medic. Fac. 26. et alibi: frequentissima etiam adulteria, si ita vocare licet, in libertinarum classe secunda committi solere docet Horatius i. Sat. ii. 47. et alibi. et hæ sunt, quæ vittæ et stolæ honore carebant, de quibus toties Noster. Burm.

615. *Te quoque servari, modo quam vindicta redemit.*] Loquitur de muliere manumissa. Ciof.

Vindicta.] Prætoris virga, quæ alio nomine *festuca* dicitur. Vide Observationes in lib. vi. Fast. Ciof.

616. *Fallas.*] Id est lateas. Douza.

622. *In medio fascia lata sinu.*] *Fascia longa* Politiani: huc pertinet Turpilii locus apud Nonium in *Strophium. Me miseram, quid agam? inter vias epistola excidit mihi. infelix inter tunicam ac strophium collocaveram.* Burm.

623. *Soleâ chartas celare ligatas.*] *Surâ* editio prima et scripti præstantiores magno numero. recte. nisi quod malim. *surâ ligatâ.* sic *vinctum pedem* mox dicet. fascia enim suræ obligabantur. Heins.

Fallet et humiduli quæ fiet acumine lini,
Et feret occultas pura tabella notas.
Adfuit Acrisio servandæ cura puellæ:
Hunc tamen illa suo crimine fecit avum.
Quid faciat custos; cum sint tot in urbe theatra?
Cum spectet junctos illa libenter equos?
Cum sedeat Phariæ sistris operata juvencæ;
Quoque sui comites ire vetentur, eat?
Cum fuget e templis oculos Bona Diva virorum,
Præterquam si quos illa venire jubet:
Cum, custode foris tunicas servante puellæ,
Celent furtivos balnea tuta viros:
Cum, quoties opus est, fallax ægrotet amica;
Et cedat lecto quamlibet ægra suo:

629. *Fallet et humiduli.*] Locus sine dubio corruptus. Heinsius olim conjecerat, *alumine nitri*; sed an recte dicatur, *alumen nitri* dubito. forte, *humiduli quæ fiet alumine limi.* fiebat enim alumen ex *aqua* et *limo* teste Plinio, lib. xxxv. 12. et Vossius, lib. i. de re Gramm. c. 40. docet alumine et succo tithymali occultas literas scribi. sed locus hic accuratius adhuc expendendus. pentametrum vero de alia fallacia capiendum puto. nam huc usque de literis in charta vel membrana oculos fugientibus egit, quod de tabellis ceratis intelligi nequit. quare, nisi *tabella* etiam de charta sumenda sit, et ita continuato sermone *pura tabella* sit, quæ nihil scriptum ostendit, hic capi posset forte, *pura tabella*, pro rasa et plana, et in qua nihil stilo exaratum appareat; et forte talis occulta ratio scribendi innuitur, qualem Justinus narrat Demaratum adhibuisse, lib. ii. cap. x. ut in ligno literæ scribantur, quæ cera superinducta deleantur. et lib. xxi. 6. ubi *vacuam ceram* vocat, quam Noster *puram tabellam.* sed nihil definio. Burm.

635. *Cum sedeat Phariæ sacris operosa juvencæ; Quoque suæ comites ire vetantur eat.*] *Sistris* scripti potiores cum prima editione. quam lectionem non est ut multis adstruam. cum de sistro Isidis res sit vel pueris notissima. Tibullus de sistris, lib. i. Eleg. iii. 23.

Quid tua nunc Isis mihi, Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties æra repulsa manu?
Heins.

Ubi vide Broukhusium, qui sistri figuram exhibet.

636. *Quoque suæ comites ire jubentur, eat.*] Merula, *suæ comites*, hoc est, inquit, aliæ matronæ. Sed melior lectio videtur eorum, qui legunt: *Quoque sui comites ire vetantur, eat.* ut *Sui comites*, de custodibus, qui illam comitantur et observant, intelligatur: qui cum sint mares, ad sacra Isidis et Bonæ Deæ haud quaquam intromittuntur. Micyl.

642. *Tollat et in lectum quamlibet illa suum.*] Aldina editio habet, *Et*

Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis,
Quasque petas, non det janua sola, vias.
Fallitur et multo custodis cura Lyæo:
Illa vel Hispano lecta sit uva jugo.
Sunt quoque quæ faciant altos medicamina som-
Victaque Lethæâ lumina nocte premant. [nos;
Nec male deliciis odiosum conscia tardis
Detinet; et longâ jungitur ipsa morâ.
Quid juvat ambages, præceptaque parva movere;
Cum minimo custos munere possit emi?
Munera (crede mihi) capiunt hominesque Deosque:
Placatur donis Juppiter ipse datis. 654
Quid sapiens faciat? stultus quoque munere gau-
Ipse vir, accepto munere, mutus erit. [det.

celet lecto quemlibet ægra suo. eadem fere sententia. Nec multum refert, opinor, hac an illa lectione utaris. Illud magis videndum, num nomen *Amica*, quod in priore versu ponitur, eo modo accipiendum sit, quo apud Terentium in Hecyra, Act. iv. Sc. 2. Pamphilus matri ait:

Tum tuas amicas te, et cognatos deserere, et festos dies,
Mea causa nolo, &c.

Ut de æquali ac nota puellæ, non de ipsa puella intelligatur. MICYL. *Amicam* hic recte capit Micyllus. BURM.

643. *Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis.*] Hoc est: Cum ipsa clavis, quæ *adulterina* dicitur, quam puella vel amator habet, doceat ac moneat suo nomine, quid agatur, sive in quem usum ac finem ipsa comparata sit. hoc est, adulteria exerceri. MICYL.

646. *Illa vel Hispano lecta sit uva jugo.*] Interpres Gallicus, qui in Delphini usum edidit, hic *Hispanum* pro immiti et minus generoso vino poni, patere ex particula *vel* docet. sed meliora docet de hac particula Janus Broukh. ad Tibul. lib. i. Eleg. ix. 53. ubi neminem, qui quidem Latine sciat, id dicere posse ostendit, sed usum ejus particulæ in re quadam præcipua esse demonstrat et Crispinum ex horreo Merulæ fæcem Laletanam depromsisse ostendit, quod et Bersmannus fecit. licet ergo sumptus in vinum Hispanum, quod generosum, validum et carum est, et avide appetitur a tali genere hominum, sit major, ne tamen cesses eum deponere vino. quod facilius efficies Hispano, quod vigiles illi et custodes amant. BURM.

653. *Munera crede mihi capiunt.*] *Captant* Farnesianus. sic Amor. lib. i. x. 28.

Non aries placitam munere captat ovem.

Parœmia Græca apud Platonem, lib. iii. de Rep.

Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας.

Euripides in Medea, 964.

Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.

HEINS.

Sed semel est custos longum redimendus in annum:
  Sæpe dabit, dederit quas semel, ille manus.
Questus eram (memini) metuendos esse sodales:
  Non tangit solos ista querela viros.
Credula si fueris, aliæ tua gaudia carpent;
  Et lepus hic aliis exagitandus erit.
Hæc quoque, quæ præbet lectum studiosa locumque;
  Crede mihi, mecum non semel illa fuit.
Nec nimium vobis formosa ancilla ministret:
  Sæpe vicem dominæ præstitit illa mihi.
Quo feror insanus; quid aperto pectore in hostem
  Nitor; et indicio prodor ab ipse meo?
Non avis aucupibus monstrat, quâ parte petatur:
  Non docet infestas currere cerva canes.
Viderit utilitas; præcepta fideliter edam.
  Lemniasi gladios in mea fata dabo.
Efficite (et facile est) ut nos credamus amari:
  Prona venit cupidis in sua vota fides.
Spectet amabilius juvenem; suspiret ab imo
  Femina; tam sero cur veniatque roget.
Accedant lacrimæ, dolor et de pellice fictus:
  Et laniet digitis illius ora suis.

663. *Quæ præbet lectum studiosa locumque.*] Quicquid pro vulgata stant libri veteres, scribe:

Cui præbes lectum studiosa locumque.

Vel *focumque*. Tangit violati hospitii sacrilegium. HEINS. Vulgata non est sollicitanda: illa amica, ad quam ut ægram invisere solebat mea, ut virum falleret, et quæ lectum et locum ad nostros amores præbet et commodat, ut supra 641. dixit, sæpe mecum fuit, et non officio tantum, sed et corpore placuit. BURM.

677. *Dolor, et de pellice fictus.*] De Pellice intellige non mariti, ut Merula exponere videtur, sed amatoris, eoque additur et *fictus*, et mox, *laniet digitis illius ora suis*, quasi quæ illum suspectum habeat. MICYL. Sed si fictus ille dolor sit, apte tegendus, ne appareat simulatio, et cur non verum de pellice amatoris sui dolorem præferret, cum revera non ament puellæ ab alia teneri suum amatorem? egregie ergo Palatinus et quatuor alii:

Accedant lacrimæ, dolor, et de pellice questus. BURM.

Jamdudum persuasus erit, miserebitur ultro:
  Et dicet, Curâ carpitur ista mei.
Præcipue, si cultus erit, speculoque placebit,
  Posse suo tangi credet amore Deas.
Sed te, quæcumque es, moderate injuria turbet;
  Neu sis auditâ pellice mentis inops.
Nec cito credideris. quantum cito credere lædat,
  Exemplum vobis non leve Procris erit.
Est prope purpureos colles florentis Hymetti
  Fons sacer, et viridi cespite mollis humus.
Silva nemus non alta facit; tegit arbutus herbam:
  Ros maris, et lauri, nigraque myrtus olent.
Nec densæ foliis buxi, fragilesque myricæ,
  Nec tenues cytisi, cultaque pinus abest.
Lenibus impulsæ Zephyris, aurâque salubri,
  Tot generum frondes, herbaque summa tremunt.
Grata quies Cephalo. famulis canibusque relictis
  Lassus in hac juvenis sæpe resedit humo.

689. *Silva nemus non alta.*] Id est licet sint arbores non altæ, tamen apta ambulationi et quieti est umbra. ita et de herbis *silvam* dixisse Virgilium, lib. i. Georg. 153. *subit aspera silva Lappæque tribulique*, notat Servius. et contra de quercu, lib. iii. Æneïd. 680. *silva alta Jovis. silvam* autem et *nemus* diversa esse videmus ii. Met. 438. Burm.

690. *Ros maris et laurus.*] *Ros maris et lauri* ex scriptis. Heins. *Flos maris* Palatin. sed *Ros maris* recte, aliter *Rosmarinus*, Græcis λιβανώτις. Burm.

692. *Nec tenues cytisi cultaque pinus abest.*] Forte, *multaque pinus abest*. Scaliger ad illa verba, *cultaque pinus*, τὸ χαμαίπιτυν, annotaverat. Dan. Heins. Intelligit *pinum domesticam*, seu *hortensem*. ac proinde *cultam* dixit, ut a sylvestri pinu distinguat. Virgil. Ecl. vii. 65.

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis.

Quod χαμαίπιτυς intelligebatur a Scaligero, ne illud quidem admiserim, cum χαμαίπιτυς inter herbas a Plinio recenseatur, et vocetur ab eo *abiga*: Pinus nusquam appelletur. Heins. et Columella lib. ix. 4. *Cytisum* et *pinum* quoque conjungit. quamquam P. Victorius, libro xxv. Var. Lect. cap. 5. qui accurate de his omnibus, ut et de versu 406. in Culice a Bembo male mutato agit, per *pinum* non arborem vastam, sed virgultum intelligit. Burm.

Quoque meos releves æstus, cantare solebat,
  Accipienda sinu, mobilis Aura, veni.
Conjugis ad timidas aliquis male sedulus aures
  Auditos memori detulit ore sonos.
Procris ut accepit nomen, quasi pellicis, Auræ,
  Excidit: et subito muta dolore fuit.
Palluit, ut seræ, lectis de vite racemis,
  Pallescunt frondes, quas nova læsit hiems.
Quæque suos curvant matura cydonia ramos;
  Cornaque adhuc nostris non satis apta cibis.
Ut rediit animus, tenues a pectore vestes
  Rumpit, et indignas sauciat ungue genas.
Nec mora; per medias sparsis furibunda capillis
  Evolat, ut thyrso concita Baccha, vias.
Ut prope perventum; comites in valle relinquit.
  Ipsa nemus tacito clam pede fortis init.
Quid tibi mentis erat, cum sic male sana lateres,
  Procri? quis attoniti pectoris ardor erat?
Jam jam venturam, quæcumque erat Aura, putabas
  Scilicet, atque oculis probra videnda tuis.
Nunc venisse piget; (neque enim deprendere velles)
  Nunc juvat. incertus pectora versat amor.

703. *Palluit, ut seræ lectis de vite racemis.*] Ita quidem legit Merula, et de uvis maturioribus serisque collectis exponit: ut ea quæ sequenti versu de frondibus sequuntur, per ellipsin, hoc est, intellecta comparatione, cum superioribus jungantur. Sed mihi verior lectio Aldina videtur, quæ ita habet: *Palluit ut seræ, lectis de vite racemis, Pallescunt frondes, &c.* ut sit sensus: Palluit, velut frondes ac folia pallescunt sub autumnum, quando jam vindemia facta est. Et magis proprie de foliis pallor intelligitur, quam de racemis, præsertim quando non omnes ejusdem coloris sunt. Micyll.

709. *Passis.*] Sparsis editiones antiquissimæ, Micylli, Bersmanni et aliæ et quadraginta fere scripti. et puto [illegible] crines, quam passos, qui et [illegible] conveniunt. vid. var. Met. [illegible] ubique fere hæc in re duo hæc verba confunduntur in scriptis. Burm.

Credere quæ jubeant, locus est, et nomen, et index;
Et quia amans semper, quod timet, esse putat.
Vidit ut oppressam, vestigia corporis, herbam;
Pulsantur trepidi corde micante sinus.
Jamque dies medius tenues contraxĕrat umbras;
Inque pari spatio vesper et ortus erant.
Ecce redit Cephalus silvis, Cyllenia proles,
Oraque fontanâ fervida spargit aquâ.
Anxia, Procri, lates. solitas jacet ille per herbas;
Et, Zephyri molles, Auraque, dixit, ades.
Ut patuit miseræ jucundus nominis error;
Et mens et rediit verus in ora color.
Surgit; et adpositas agitato corpore frondes
Movit, in amplexus uxor itura viri.
Ille feram sonuisse ratus, juveniliter arcum
Corripit: in dextrâ tela fuere manu.
Quid facis, infelix? non est fera: supprime tela.
Me miserum! jaculo fixa puella tuo est.
Hei mihi! conclamat, fixisti pectus amicum.
Hic locus a Cephalo vulnera semper habet.
Ante diem morior, sed nullâ pellice læsa:
Hoc faciet positæ te mihi, terra, levem.

721. *Vidit ut oppressam vestigia corporis herbam.*] Optime Graferi codex, *Vidit ut in pressa vestigia corporis herba.* DAN. HEINS. *Pressa herba,* in qua credebat virum cum marito concubuisse. ita passim *premere torum.* ut i. Am. iv. 15. et alibi. vid. ad Petron. cap. xviii. et *vestigia* etiam frequentissime, ubi quis jacuit, indicia dicuntur. BURM.

725. *Ecce redit Cephalus, proles Cyllenia, sylvis.*] *Sylvis Cyllenia proles.* Scaliger et Leopardus Miscell. lib. vii. cap. xxxiii. *Hellenia,* ab Hellene Æoli patre, qui Cephali proavus fuerit. Sed vulgatam lectionem non esse sollicitandam pluribus ad lib. vii. vers. 673. Met. monui. Mercuril enim filius Cephalus a nonnullis est creditus. HEINS.

740. *Hoc faciet positam te mihi terra levem.*] Rectius fortasse in nonnullis, *positæ.* NAUGER. Codex Regius mendose, *Hoc face et posita est te mihi terra livet.* Sed scribendum est, *positæ te mihi.* et sic Aprosianus. quod et e suis annotavit Naugerius. *Positi* vel *compositi* mortui. HEINS.

Nomine suspectas jam spiritus exit in auras:
  Labor iö! carâ lumina conde manu.
Ille sinu dominæ morientia corpora mœsto
  Sustinet; et lacrimis vulnera sæva lavat.
Exit, et, incauto paullatim pectore lapsus,
  Excipitur miseri spiritus ore viri.
Sed repetamus iter. nudis mihi rebus agendum est,
  Ut tangat portus fessa carina suos.
Scilicet exspectes, dum te in convivia ducam,
  Et quæras monitus hac quoque parte meos?
Sera veni; positâque decens incede lucernâ.
  Grata mora est Veneri: maxima lena mora est.
Etsi turpis eris, formosa videbere potis:
  Et latebras vitiis nox dabat ipsa tuis.
Carpe cibos digitis; est quiddam gestus edendi:
  Ora nec immundâ tota perungue manu.
Neve domi præsume dapes: et desine, citra
  Quam capies paullo, quam potes esse, minus.

745. *Dixit, et incauto.*] Scripti cum primis editionibus huic disticho sequens præponunt, *Ille sinu dominæ.* et recte. modo pro *Dixit*, rescribas *Exit*. ut sit repetitio verborum Procridis. Nam τὸ *dixit* hic locum non habet, etsi in omnibus antiquis libris legitur. quod cum viderent correctores, ordinem versuum inverterunt. Heins. forte legendum, *visit*, ut sæpe loquuntur veteres.

747. *Sed repetamus iter. nudis mihi rebus agendum est.*] Scripti plerique cum primâ editione:

Sed repetamus opus. mihi nudis rebus eundum est.

Frustra. Rutilius Itinerario:

Carmine proposito jam repetamus iter.

Heins.

752. *Grata mora venies.*] *Veniens* Regius et quatuor alii. unus, *Grata mora est Veneris.* unus Vaticanus cum primâ editione, *Grata morâ Venus est.* non male. Sed rectius Neapolitanus cum Cavalcantiano, *Grata mora est Veneri.* Heins. Ego mallem distinguere:

Grata mora est. Veneri maxima lena mora est.

Ad conciliandam Venerem mora aptissima lena.

755. *Est quidam gestus edendi.*] Diu est quod vidi *quiddam* reponi debere. ad hunc edendi gestum referri possent illa Senecæ, Epistola v. *Erit, qui gradus temperet, et buccas edentis observet.* nisi potius ibi exciderit vox aliqua, quia agit de sermone et clamore, et legendum sit, *buccas vocem edentis observet.* Burm.

757. *Neve domi præsume dapes.*] Gronovius, in notis ad Livii lib. xxxv. cap. 11. primæ editionis:

Priamides Helenen avide si spectet edentem,
Oderit; et dicat, Stulta rapina mea est.
Aptius est, deceatque magis potare puellas.
Cum Veneris puero non male, Bacche, facis.
Hoc quoque, quâ patiens caput est, animusque pedesque
Constent: nec, quæ sint singula, bina vide.
Turpe jacens mulier, multo madefacta Lyæo:
Dignaque concubitus quoslibet illa pati.
Nec somnis positâ tutum succumbere mensâ:
Per somnos fieri multa pudenda solent.
Ulteriora pudet docuisse: sed alma Dione,
Præcipue nostrum est, quod pudet, inquit, opus.

Neve domi præsume dapes, et desine citra
Quam cupis, et paullo quam potes, esse minus.

Est duplex præceptum ad eandem rem pertinens: nec venias ad cœnam ventre jam pleno, neque illic nimium celocem saburra. neque ante cœna, et desine esse citra paullo minus, quam cupis et potes. vix tamen mihi persuadeo Ovidium præcepisse puellis, ne domi præsumerent dapes, cum hoc maxime monendæ videantur, ne earum ingluviem et sordes et inopiam viderent amatores, quæ nosse omnia saluti adolescentulis esse recte censet Parmeno Terentianus, in Eunuch. act. v. sc. 4. quare puto hoc præceptum respicere famelicas, vel quæ famem tolerare eo usque non possunt, dum cibus illatus decore mensæ, et convivæ ex ordine accubuerunt, sed præcerpunt dapes, antequam alius quis cibos attigerit. sed ut verum fatear, nondum vera verborum lectio mihi apparet. in reliquis Gronovio accederem. forte:

Sæpe domi præsume dapes, et desine citra
Quam capis, et paullo quam potes adde minus.

De voce *citra* vide ad Epiced. in Drusum 50. *Adde* est in Vossiana. *ede* in tribus. sæpe antea domi cibum cape, et coram amatore desine edere antequam satura sis, et adde cibis præsumptis paullo minus, quam potes. Burm.

762. *Cum Veneris puero non male, Bacche, facis.*] Hoc est, non inutiliter aut inconvenienter jungeris cum amore. Dicimus enim, *Facit cum hac re*, pro eo quod est, utile est ad hanc rem, sive convenit cum hac re. Micyl.

763. *Hoc quoque quam patiens caput est, &c.*] Merula exponit ellipticos, pro: *Hoc quoque vide, quam patiens caput est.* Ego vero malim:

Hoc quoque, quâ patiens caput est.

Ut sit sensus: Hoc quoque eo usque facias, quod est, potes, et te vino repleas, quâ patiens caput est: id est, quatenus caput tuum potationes et crapulam ferre potest, &c. Micyl.

765. *Turpe jacens mulier.*] *Jacet* Aprosii et Mentelii prior, sed perperam. *jacens* proprie de ebria. Burm.

Nota sibi sint quæque: modos a corpore certos
  Sumite. non omnes una figura decet.
Quæ facie præsignis eris, resupina jaceto:
  Spectentur tergo, quîs sua terga placent.
Milanion humeris Atalantes crura ferebat:
  Si bona sunt, hoc sunt accipienda modo.
Parva vehatur equo: quod erat longissima, numquam
  Thebaïs Hectoreo nupta resedit equo.
Strata premat genibus, paullum cervice reflexâ,
  Femina, per longum conspicienda latus.
Cui femur est juvenile, carent cui pectora mendâ,
  Stet vir, in obliquo fusa sit ipsa toro.
Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleïa mater,
  Solvere: et effusis colla reflecte comis.
Tu quoque, cui rugis uterum Lucina notavit,
  Ut celer aversis utere Parthus equis.
Mille modi Veneris. simplex minimique laboris,
  Cum jacet in dextrum semisupina latus.
Sed neque Phœbei tripodes, nec corniger Ammon,
  Vera magis vobis, quam mea Musa, canent.
Si qua fides arti, quam longo fecimus usu;
  Credite: præstabunt carmina nostra fidem.
Sentiat ex imis Venerem resoluta medullis
  Femina: et ex æquo res juvet illa duos.
Nec blandæ voces, jucundaque murmura cessent:
  Nec taceant mediis improba verba jocis.

777. *Vehatur equo.*] Horat. ii. Sat. vii. 50.

Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum.

Mart. xi. 105.

Hectoreo quoties sederat uxor equo.

783. *Nec tibi turpe puta, crinem, ut Phylleïa mater, Solvere.*] Videtur poëta propriâ magis, quam gentili significatione, voce *Phylleïa* hoc loco usus esse, fabulamque aliquam remotiorem respexisse. De qua quia ipse hactenus nihil comperi, aut legi, locum hunc, ut est, in medio relinquo. Micyll. *Ut Phylaceïa* Bersmannus. sed frustra. vide Notas ad Epist. xiii. vers. 35. Heins.

Tu quoque, cui Veneris sensum natura negavit,
Dulcia mendaci gaudia finge sono.
Infelix, cui torpet hebes locus ille, puella es;
Quo pariter debent femina virque frui.
Tantum, cum finges, ne sis manifesta caveto:
Effice per motum luminaque ipsa fidem.
Quod juvet: et voces et anhelitus arguat oris.
Ah pudet! arcanas pars habet ista notas.
Gaudia post Veneris quæ poscet munus amantem,
Ipsa suas nolet pondus habere preces.
Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris.
Aptius in vestro corpore multa latent.
Lusus habet finem: cycnis descendere tempus,
Duxerunt collo qui juga nostro suo.
Ut quondam juvenes, ita nunc, mea turba, puellæ
Inscribant spoliis, Naso magister erat.

805. *Gaudia post Veneris*, &c.] Merula de repetenda Venere hunc locum exponit hoc ordine. *Quæ poscit munus post gaudium Veneris ab amante*, &c. Quæ si verior expositio est, malim eundem hunc ordinem inverti, verbaque ipsa sic construi: Quæ petit gaudia, scilicet altera, post munus sive officium Veneris peractum, &c. Sed est hic locus ἀμφίβολος. posset enim et de pretio sive dono exponi, hoc modo: Quæ poscit amantem, sive ab amante munus, post gaudia Veneris, scilicet peracta, &c. Quare et hunc in medio relinquamus. Micyl. *Poscet* prima editio et Regius; qui et *amantes*. Heins.

P. OVIDII NASONIS

REMEDIORUM AMORIS

LIBER UNUS.

Legerat hujus Amor titulum nomenque libelli:
 Bella mihi, video, bella parantur, ait.
Parce tuum vatem sceleris damnare, Cupido;
 Tradita qui toties, te duce, signa tuli.
Non ego Tydides, a quo tua saucia Mater
 In liquidum rediit æthera Martis equis.
Sæpe tepent alii juvenes: ego semper amavi.
 Et si, quid faciam nunc quoque, quæris; amo.
Quin etiam docui, quâ possis arte parari:
 Et quod nunc ratio est, impetus ante fuit.
Nec te, blande puer, nec nostras prodimus artes:
 Nec nova præteritum Musa retexit opus.
Si quis amat, quod amare juvat, feliciter ardens
 Gaudeat, et vento naviget ille suo.

De Remed. Amoris Liber Primus.] Codex Regius et alii nonnulli librum unum faciunt ex duobus. et recte. Noster enim ipse *libellum* vocat hujus poëmatis initio. Deinde idem Regius *Remediorum Amoris librum* inscribit. Ut ibi legendum puto. Heins.

3. *Sceleris damnare.*] Imitatio Virgil. ex Ceiri 187.

Quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanti sceleris damnare puellam?

5. *A quo tua saucia Mater.*] Quemadmodum Venus a Diomede vulnerata fuerit, scribit Homerus Iliad. E. meminit et Virgilius, lib. xi. Æneïd. Cior.

11. *Nostras prodimus.*] Malim cum Argentino, *vestras*: nam sequitur, *nostræ sentiat artis opem.* et ad Cupidinem melius refertur. Burm.

At, si quis male fert indignæ regna puellæ,
  Ne pereat, nostræ sentiat artis opem.
Cur aliquis, collum laqueo nodatus ab arto,
  E trabe sublimi triste pependit onus?
Cur aliquis rigido fodit sua viscera ferro?
  Invidiam cædis, pacis amator, habes.
Qui, nisi desierit, misero periturus amore est,
  Desinat: et nulli funeris auctor eris.
Et puer es; nec te quidquam, nisi ludere, oportet.
  Lude: decent annos mollia regna tuos.
Nam poteras uti nudis ad bella sagittis:
  Sed tua letifero sanguine tela carent.
Vitricus et gladiis et acutâ dimicet hastâ;
  Et victor multâ cæde cruentus eat.
Tu cole maternas, tuto quibus utimur, artes:
  Et quarum vitio nulla fit orba parens.
Effice nocturnâ frangatur janua rixâ;
  Et tegat ornatas multa corona fores.
Fac coëant furtim juvenes, timidæque puellæ:
  Verbaque dent cauto qualibet arte viro.
Et modo blanditias, rigido modo jurgia posti
  Dicat, et exclusus flebile cantet amans.

22. *Auctor eris.*] Forte, *auctor eas*, ut ad Cupidinem sermo sit. et ita mallem quoque mox 37. *contentus eas.* sic *erit* pro *eat.* vers. 70. in Regio codice erat, et centies alibi. BURM.

34. *Verbaque dent cauto qualibet arte viro.*] Non damno hanc lectionem. Opinor tamen scribendum, *quamlibet apta.* In Amoribus, *huic operi quamlibet aptus eram.* sic *apta verba joco* Epistola Sapphûs, Artis lib. ii. et in Fastis. *arte* pro *apta* perperam etiam alibi scriptum offendas. vide Notas lib. Artis iii. vers. 485. potest et *quamlibet* cum *cauto* conjungi. HEINS. *Dent capto* viginti codices cum prima editione. eleganter. vide inf. 108. et ad Epist. xv. 63. si enim *cauto* legatur, de marito, quem fallant uxores, intelligendum. at ego malo de puellis, quæ captos viros, et amori irretitos omni arte decipiant, interpretari. nam sequentia de amantibus agi docent. *captus* vero et *cautus* passim commutantur, ut Ep. xviii. 110. Halieut. 60. iii. Fast. 633. et alibi. BURM.

Te precor, ô vates, adsit tua laurea nobis,
Carminis, et medicæ, Phœbe, repertor opis.
Tu pariter vati, pariter succurre medenti:
Utraque tutelæ subdita cura tuæ.
Dum licet, et modici tangunt præcordia motus;
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi;
Et tuus, incipiens ire, resistat equus.
Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas:
Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tum poterat manibus summâ tellure revelli;
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.
Quale sit id, quod amas, celeri circumspice mente:
Et tua læsuro subtrahe colla jugo.

75. *Te precor incipiens, adsit,* &c.] *Incipiens* Naugerius. Ἀρχόμενος Theognis. sed *ô vates* puto rectius. Deos autem precari mos erat, ut succurrerent, subvenirent, adjuvarent. Tibul. lib. i. El. 3.

Nunc Deus, nunc succurre.

Bersman. *Incipiens.* Ex prisco exemplari Vatic. legendum est, et ratione, quam statim reperies. Ciof. Alii codices, *ô vates.* Sed Jureti excerpta, *arcitenens.* optime. Apollinem sic passim dici, Dianam quoque, qui nescit, valde is oportet peregrinus ac hospes sit in scriptis poëtarum veterum. Heins. Non tamen audeo repudiare veterem lectionem, quæ confirmatur ex seq.

Tu pariter vati, pariter succurre medenti.

Nullus hic locus telis et arcui Apollinis, quibus instruitur ad bellum, et iram exserendam: placido hic Apolline et laureato opus est, et lyram tenente. Burm.

83. *Teneras mora percoquit uvas.*] *Decoquit* scripti nonnulli, etiam ex melioribus, cum primâ editione. nil muta tamen. Germanicus Cæsar in fragmento prognosticorum inedito:

Libra tumescentes musto bene percoquit uvas.

Proprie autem *coqui* de vindemia. Hinc *coctura* dicebatur ea cœli temperies, quæ uvas maturas reddebat. Heins.

88. *Aucta suis.*] *Acta* rectius. sic infr. 106.

Et mala radices altius arbor agit.

Bersm.

Acta etiam in multis est codicibus, sed retineo tamen, *aucta:* nam *agere radices* quin dicatur eleganter, et sæpe apud Rei rusticæ scriptores occurrat (vid. ad lib. ii. Met. 588.) nullum est dubium. sed *Arbor acta viribus in immensum,* an recte dicatur probandum erat. vid. iv. Met. 659. Burm.

Nec moriens Dido summâ vidisset ab arce
  Dardanidas vento vela dedisse rates.
Nec dolor armasset contra sua viscera matrem;
  Quæ socii damno sanguinis ulta virum est.
Arte meâ Tereus, quamvis Philomela placeret,
  Per facinus fieri non meruisset avis.
Da mihi Pasiphaën; jam tauri ponet amorem:
  Da Phædram; Phædræ turpis abibit amor.
Redde Parin nobis; Helenen Menelaus habebit:
  Nec manibus Danaïs Pergama victa cadent.
Impia si nostras legisset Scylla libellos;
  Hæsisset capiti purpura, Nise, tuo.
Me duce, damnosas, homines, compescite curas:
  Rectaque cum sociis, me duce, navis eat.
Naso legendus erat, tunc cum didicistis amare;
  Idem nunc vobis Naso legendus erit.
Publicus adsertor dominis oppressa levabo
  Pectora: vindictæ quisque favete suæ.

dra. Quippe Phyllis Demophoontem, vel, ut ipse nuncupat, Acamantem, ad usque novem vias secuta est, ad amnem Strymonem, quæ civitas Amphipolis appellata mox est ab Agnone duce Athenien. Auctores Antiphon, et Androtion Atticorum, xii. *Macedoque Polyenus*, viii. *Stratagematôn, Pausanias, Harpocration, et Suidas; meminit Thucydides, aliique præterea nonnulli. Cumque illic* (ut pergit) *Acamantem diu frustra expectasset, impar amori Phyllis mortem sibi conscivit.* Hæc omnia Parrhasii verba longe opportunius ponenda erant infra lib. ii. ubi sunt ii versus, quibus lucem affert. Verum, siquid ego video, contra eam, quam tantus vir affert, opinionem nescio quid scribat Hyginus; cujus verba posui in epistola Phyllidis. Eruditiores judicabunt. Ciof.

59. *Nec dolor armasset*, &c.] De Medea, et Jasone vide quæ alibi notavi. Ciof.

69. *Compescite curas.*] *Damnosos compescite mores* unus Heinsii, quod repetitum ex lib. iii. Art. Am. 501. sed alter, *damnosas compescite flammas.* quod magis arridet. eadem diversitas infra vers. 495. et vi. Metam. 466. Burm.

73. *Vitiis suppressa levabo Pectora.*] Quantivis pretii est, quod in Regio, Puteaneo, Lincolniensi, et Scaligeri excerptis legebatur, *dominis suppressa.* Scribe, *dominis oppressa Pectora.* Ita Seneca Ep. xxxvii. *Affectus dominos:* et de Vita Beata, cap. v. *inertissima dominia* voluptates ac dolores vocat. Heins.

Majus opus superest: sed non, quia serior ægro
Advocor, ille mihi destituendus erit.
Quam læsus fuerat partem Pæantius heros,
Certâ debuerat præsecuisse manu.
Post tamen hic multos sanatus creditur annos
Supremam bellis imposuisse manum.
Qui modo nascentes properabam pellere morbos,
Admoveo tardam nunc tibi lentus opem.
Aut nova, si possis, sedare incendia tentes:
Aut ubi per vires procubuere suas.
Cum furor in cursu est, currenti cede furori.
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit,
Pugnat in adversas ire natator aquas.
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.
Adgrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Jam sinet, et veris vocibus aptus erit.
Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetet? non hoc illa monenda loco.
Cum dederit lacrimas, animumque expleverit
Ille dolor verbis emoderandus erit. [ægrum;
Temporis ars medicina fere est. data tempore pro-
Et data non apto tempore vina nocent. [sunt,

111. *Qua læsus fuerat partem.*] Quam veterrimus Regius, ut sit Græcismus, in quibus elegantiis est multus Noster. Heins.

113. *Post tamen hic* (Philoctetes) *multos sanatus creditur annos, Supremam bellis imposuisse manum.*] Hac de re hic Noster, lib. xiii. Metamorph. et Q. Smyrnæus, lib. ix. et x. prætermissorum ab Homero. *Sanatus*, a Podalirio. Idem Smyrnæus, lib. ix. Crov.

129. *Animumque expleverit ægrum.*] *Impleverit* scripti cum primâ editione. Heins. Nescio cur *expleverit* repudiandum, cum sæpius ita loqui soleant optimi scriptores. Terent. Hecyr. v. i. 29. *Exple animum iis, teque hoc crimine expedi.* et alibi. præterea non tam impletur animus lacrymis, quam expletur. Burm.

131. *Temporibus medicina valet.*] Veterrimus Regius, *Temporis ars medicina fere est.* eleganter mehercule. hoc

Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando;
 Temporibus si non adgrediare suis.
Ergo, ubi visus eris nostræ medicabilis arti,
 Fac monitis fugias otia prima meis.
Hæc, ut ames, faciunt: hæc, ut fecere, tuentur:
 Hæc sunt jucundi caussa cibusque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
 Contemtæque jacent, et sine luce, faces.
Quam platanus vino gaudet, quam populus undâ,
 Et quam limosâ canna palustris humo;
Tam Venus otia amat. qui finem quæris amoris,
 (Cedit amor rebus) res age: tutus eris.
Languor, et immodici sub nullo vindice somni,
 Aleaque, et multo tempora quassa mero,
Eripiunt omnes animis sine vulnere nervos,
 Adfluit incautis insidiosus Amor.
Desidiam puer ille sequi solet. odit agentes.
 Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.

est, ars quæ se ad temporis oportunitatem componit. sic *Temporis arma* dixit Trist. iv. El. ult.

Insolitâ cepi temporis arma manu.

Arma, ad quæ capienda temporis necessitate compellebar. Ubi frustra vir maximus *tum prius* reponit. sic i. Art. 357.

Medici quoque tempora servant.

De voce *fere* vid. ad Epist. xviii. 58. Heins.

137. *Hæc, ut fecere, tuentur.*] In nonnullis, *hæc quod fecere*. Navo. *Ut fecere* iidem. hoc est, ubi, postquam fecere, aut quemadmodum fecere, ita et tuentur. Multi alii, *quæ fecere*. Heins. vid. ad Epist. iv. 25.

141. *Quam platanus rivo gaudet.*] *Limo* tres scripti. sed Regius et Scaligeri excerpta optime, *vino*. Atque ita jam restituit exactissimus Gronovius, qui videndus Observationum lib. i. cap. v. Neque aliter Douza divinarat in ora codicis sui: hinc *platanum genialem* Noster dicit Met. x. 95. Heins.

145. *Sub nullo vindice somni.*] *Judice* editiones antiquæ et pleríque scripti. sed perperam. ii. Amor. xix. 45.

Nox mihi sub nullo vindice semper erit.

In Cantabrigiensi et alio erat, *immodici tangunt præcordia motus.* quod repetitum ex vers. 79. ut sæpe librarios fecisse deprehendimus. Burm.

148. *Adfluit.*] Viginti duo scripti, *adfuit*. sed frustra. elegans enim verbum minime movendum. sic et apud Virgilium, lib. x. Æneïd. 143. ex MSS. legendum fuit:

Adfluit et Mnestheus.

Poma dat autumnus: formosa est messibus æstas:
  Ver præbet flores: igne levatur hiems.
Temporibus certis maturam rusticus uvam
  Deligit; et nudo sub pede musta fluunt:
Temporibus certis desectas adligat herbas;
  Et tonsam raro pectine verrit humum.
Ipse potes riguis plantam deponere in hortis:
  Ipse potes rivos ducere lenis aquæ.
Venerit insitio; fac ramum ramus adoptet:
  Stetque peregrinis arbor operta comis.
Cum semel hæc animum cœpit mulcere voluptas,
  Debilibus pennis irritus exit Amor.
Vel tu venandi studium cole. sæpe recessit
  Turpiter a Phœbi victa sorore Venus.

mina torta optimus Puteaneus. quomodo *funes torti*, *capilli torti*, et alia. *retia torta* apud Tibullum, lib. iv. 111, 12. *Torquere* enim pro flectere. ut *equum* freno *torquere*. Epist. iv. vers. 46. et 79. posset et *vimina querna* legi. nam *vimina curva* non placent. sic apud Maronem, xi. 65.

Querno texuntur vimine crates.

HEINS.

Demto vimina curva cavo Mazarin. et Aprosii.

191. *Desectas alligat herbas.*] *Colligit* prima editio cum scriptis nonnullis. codex Moreti pro diversâ lectione, *aggregat*. Forte *aggerat*, ut de fœno intelligat, quod converritur et in cumulos coacervatur. quos *metam fæni*, et *fæni striam* Rei Rusticæ scriptores appellant. HEINS.

192. *Verrit humum.*] *Versat*, vel *vertit* quidam scripti. quod videtur probare Bersmannus ex illis Virgil. i. Georg. x. 1. *Quo sidere terram Vertere.* Male. nam rastris non *vertitur* terra, sed *raditur*, unde dicta *rastra*, vid. Serv. ad Virg. i. Georg. 94. versatur terra aratro, deinde jacta semina rastris obruuntur, quod proprium in hac re verbum posuit supra vers. 173. ut et Columel. ii. cap. 13. et Pallad. Aprili Tit. i. hic vero quia *tonsam humum* dicit, intelligit prata desecta, quæ verruntur, cum herbæ rastellis in unum converruntur, vel potius post fœnum avectum reliquiæ. *De pratis stipulam rastellis eradi*, ait Varro, lib. i. de R. R. 490. BURM.

195. *Ramum ramus adoptet.*] Eleganti hac translatione poëtis et Nostro præcipue usitatissima, utitur et Plinius præfatione libri xvi. *sive illæ ultro, sive ab homine didicere blandos sapores adoptione et connubio.* venustum etiam Callinici Epigramma in Anthologia, lib. i. cap. 20. ubi Pyraster inquit:

Ὀθνείοις ὄζοισι μετέμφυτος, ἥμερα θάλλω.
Οὐκ ἐμὸν ἡμετέροις κλωσὶ φέρουσα βάρος. BURM.

Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci:
Nunc tua frondosis retia tende jugis.
Aut pavidos terre variâ formidine cervos:
Aut cadat adversâ cuspide fossus aper.
Nocte fatigatum somnus, non cura puellæ,
Excipit; et pingui membra quiete levat.
Lenius est studium, studium tamen, alite captâ,
Aut lino, aut calamis præmia parva sequi.
Vel, quæ piscis edax avido male devoret ore,
Abdere supremis æra recurva cibis.
Aut his, aut aliis, donec dediscis amare,
Ipse tibi furtim decipiendus eris.
Tu tantum i, quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul, et longas carpere perge vias.
Flebis, ut occurret desertæ nomen amicæ:
Stabit et in mediâ pes tibi sæpe viâ.
Sed quanto minus ire voles, magis ire memento:
Perfer: et invitos currere coge pedes.
Nec pluvias vites: nec te peregrina morentur
Sabbata; nec damnis Allia nota suis.
Nec quot transieris, sed quot tibi, quære, supersint
Millia: nec, maneas ut prope, finge moras.

201. *Leporem pronum.*] *Parvum* unus Heinsii. male. *pronus* est celer, velox. Burm.

Sagaci.] Nescio an *prono lepori* conveniat *catulus sagax*, qui melius cubantem investigare, quam pronum sectari possit. *sequax* melius conveniret, sed offendit merito *catulo sectare sequaci.* quid ergo? reponerem, *catulo sectare fugaci*, id est celeri, veloci, de quo vocabulo vide ad Epist. iv. 46. talem vero canem Gratius ad hanc venationem instruit in Cynegetico suo vers. 183. Burm.

203. *Aut pavidos terre variâ formidine cervos.*] *Varia* formido est picta, diversis maculis et coloribus distincta: ita Firmicus, lib. viii. cap. ix. *varios casses* dixit. Burm.

210. *Abdere supremis æra recurva cibis.*] *Supremi cibi* sunt ultimi, quos pisces ex hamo capiunt, mox leto dandi, et esca homini futuri. Burm.

219. *Peregrina sabbata.*] Id est Judæa; nam imitatione Judæorum etiam Romanos hebdomadem dierum, et in eâ quosdam dies, pravâ imitatione, coluisse docet Petitus in Leges Atticas Titulo i. p. 4. Burm.

Tempora nec numera: nec crebro respice Romam.
Sed fuge. tutus adhuc Parthus ab hoste fugâ est.
Dura aliquis præcepta vocet mea; dura fatemur
Esse: sed, ut valeas, multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos, quamvis invitus, amaros
Æger; et oranti mensa negata mihi.
Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes;
Arida nec sitiens ora levabis aquâ;
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.
Sed tamen est artis strictissima janua nostræ,
Et labor est unus tempora prima pati.
Adspicis, ut prensos urant juga prima juvencos?
Ut nova velocem cingula lædat equum?
Forsitan a Laribus patriis exire pigebit.
Sed tamen exibis: deinde redire voles.
Nec te Lar patrius, sed amor revocabit amicæ,
Prætendens culpæ splendida verba suæ.
Cum semel exieris, centum solatia curæ
Et rus, et comites, et via longa dabunt.
Nec satis esse puta discedere: lentus abesto;
Dum perdat vires, sitque sine igne, cinis.
Si nisi firmatâ properabis mente reverti,
Inferet arma tibi sæva rebellis Amor.

224. *Adhuc.*] Hoc addit in adulationem Augusti, quia instabat bellum cum Parthis. vide supr. vers. 155. et i. Art. 177.

237. *A Laribus.*] E *Laribus* unus ex alter. sic *ex aggere erit* xii. Metam. 534. et sæpe easdem præpositiones addere amant veteres verbis ex illis compositis. eadem varietas iv. Pont. ix. 74.

Exeat e stygiis ut mea navis aquis.
Ubi et *e* quidam codices. Burm.

240. *Prætendens culpæ splendida verba tuæ.*] *Prætendens* primo cum primâ editione et scriptis legendum plerisque; deinde, *culpæ facta suæ* cum Sarraviano. *facta tuæ* quatuor alii, ut apud Horatium, lib. ii. Epist. i.

Scriptorum carmine fœdo
Splendida facta linunt. Heins.

Quid? quod, ut abfueris, avidus sitiensque redibis;
Et spatium damno cesserit omne tuo?
Viderit, Hæmoniæ si quis mala pabula terræ,
Et magicas artes posse juvare putat.
Ista veneficii vetus est via. noster Apollo
Innocuam sacro carmine monstrat opem.
Me duce non tumulo prodire jubebitur umbra:
Non anus infami carmine rumpet humum.
Non seges ex aliis alios transibit in agros:
Nec subito Phœbi pallidus orbis erit.
Ut solet, æquoreas ibit Tiberinus in undas:
Ut solet, in niveis Luna vehetur equis.
Nulla recantatas deponent pectora curas;
Nec fugiet vivo sulfure victus amor.
Quid te Phasiacæ juverunt gramina terræ,
Cum cuperes patriâ, Colchi, manere domo?
Quid tibi profuerunt, Circe, Perseïdes herbæ,
Cum sua Neritias abstulit aura rates?

249. *Viderit Hæmoniæ.*] Hæc vera lectio est, licet *Fallitur* sit in plerisque scriptis. atque ita loquitur Artis, lib. ii.

Fallitur Hæmonias si quis decurrit ad artes.

Adeantur notæ Pont. i. Eleg. ii. Heins.

253. *Prodire jubebitur umbra.*] Rectius fortasse in nonnullis, *videbitur.* Nauger. Non de cadaveribus mortuorum, ut Merula exponit, sed de umbris excitandis atque exhibendis loquitur poëta, quas *visiones* hodie vocant necromantici. Micyl. Male viri docti *videbitur* præferunt. potentiam enim, quam passim jactant sagæ et veneficæ, verbo *jubebitur* optime exprimit poëta. Burm.

254. *Infami.*] *Insano* Micylli editio et duo scripti. utrumque habet, quo se tueatur, sed placet magis *infami*, quia hic invidiam magicis artibus facit.

258. *Ut solet, in niveis Luna vehetur equis.*] Credebantur enim veneficæ lunam obscurare carminibus. cujus rei causâ *niveos* equos hic appellat, ut niveum et atrum inter se opponantur. Micyl.

261. *Quid te Phasiacæ.*] Sic *Phasias* passim pro Medeâ. Heins.

264. *Cum tibi Neritias abstulit hora rates.*] *Neritius* seu *Nericius*, Ithacensis aut Epirota. Homerus Iliad. B.

Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους,
Οἵ ῥ' Ἰθάκην εἶχον καὶ Νήριτον εἰνοσίφυλλον.

Et quæ sequuntur; ubi Eustathius: Νήριτον τὸ ὄρος διὰ τοῦ τ' τὸ γὰρ διὰ τοῦ κ' Νήρικον πόλις Ἠπείρου ὡς

Omnia fecisti, ne callidus hospes abiret:
Ille dedit certæ lintea plena fugæ.
Omnia fecisti, ne te ferus ureret ignis:
Longus at invito pectore sedit amor.
Vertere quæ poteras homines in mille figuras:
Non poteras animi vertere jura tui.
Diceris his etiam, cum jam discedere vellet,
Dulichium verbis detinuisse ducem:
Non ego, quod primo (memini) sperare solebam,
Jam precor, ut conjux tu meus esse velis.
Et tamen, ut conjux essem tua, digna videbar:
Quod Dea, quod magni filia Solis eram.
Ne properes oro: spatium pro munere posco.
Quid minus optari per mea vota potest?
Et freta mota vides; et debes illa timere.
Utilior velis postmodo ventus erit.
Quæ tibi caussa fugæ? non hîc nova Troja resurgit:
Non alius socios Rhesus ad arma vocat.
Hîc amor, hîc pax est; in quâ male vulneror una:
Totaque sub regno terra futura tuo est.
Illa loquebatur: navem solvebat Ulixes:
Irrita cum velis verba tulere Noti.

δεδήλωται. Idem Eustathius Neriti montis nomen deducit *ἀπὸ Νηρίτου υἱοῦ Πτερελάου* ad Odyss. P.

276. *Quod magni filia Solis erat.*] Circe Solis filia ex Perseide. Hesiodus in Theogonia:

Ἢ ἶνι Κίρκην
Δήουσιν, Πέρσης τε καὶ Ἠλίοιο θύγατρα. Ciof.

279. *Freta mota vides.*] Unus Heinsii, *magna* elegantissima nec ab inscito librario profecta lectio. *magna* enim maria ventis et fluctibus concitata. vid. Gifan. Ind. Lucret. in *mare magnum.* et nos pluribus hæc ad Valerii Flacc. lib. i. 50. sumus illustraturi. Burm.

281. *Nova Troja resurgit.*] Respicit ad primam illam insaniæ simulationem, quâ cæritum se fecerat Ulysses, ne ad Trojam cum ceteris heroibus cogeretur proficisci. Douza.

283. *In quâ.*] Id est propter quam. ut Propert. ii. xvi. 11.

In te ego et æratas rumpam, mea vita, catenas. Douza. Heinsius volebat, *a quâ.*

Ardet, et adsuetas Circe decurrit ad artes:
  Nec tamen est illis attenuatus amor.
Ergo age, quisquis opem nostrâ tibi poscis ab arte,
  Deme veneficiis carminibusque fidem.
Si te caussa potens dominâ retinebit in Urbe;
  Accipe, consilium quod sit in Urbe meum.
Optimus ille fuit vindex, lædentia pectus
  Vincula qui rupit, dedoluitque semel.
Si cui tantum animi est, illum mirabor et ipse:
  Et dicam, Monitis non eget ille meis.
Tu mihi, qui, quod amas, ægre dediscis amare;
  Nec potes, et velles posse, docendus eris.
Sæpe refer tecum sceleratæ facta puellæ;
  Et pone ante oculos omnia damna tuos.
Illud et illud habet: nec eâ contenta rapinâ
  Sub titulum nostros misit avara lares.

287. *Et assuetas Circe decurrit ad artes.*] Sic libri veteres. placet. æger Podalirius, qui Philoctetam morbo liberavit, medicus fuit æqualis diis. Q. Smyrnæus loco supra citato. Ciof.

291. *Dominâ retinebit in urbe.*] Sic bene Regius reliqui fere, *dominæ in urbe.* male. Martial. iii. 1.

Plus sane placeat, dominâ qui natus in urbe est.

Sic *dominas arces* Rutilius. sic et Græci frequenter βασιλεύουσαν πόλιν. Heins.

293. *Optimus ille fuit vindex.*] Ita et scripti; opinor tamen a Nasonis manu esse, *optimus ille sui vindex.* optimus assertor suæ libertatis. Heins.

299. *Sceleratæ facta puellæ.*] Alii, *verba*, aut *dicta*. Sarravianus, *regna.* eleganter mehercules. sic de regno amatorio supra 15.

At si quis male fert indignæ regna puellæ. Heins.

Posset et legi, *sceleratæ furta puellæ,* de iis enim agit in sequentibus. et *facta* et *furta* sæpe apud Nostrum librarii commutaverunt. vid. ad iv. Fast. 582.

301. *Nec eâ contenta rapinâ est.*] Tollatur verbum substantivum, ut melius procedat orationis tenor:

Nec eâ contenta rapinâ
Sub titulum nostros misit avara lares.

Sub titulum lares mittere est ædes venales proscribere. Per titulum tabella designatur ædibus adfixa, quæ transeuntes doceret domum esse venalem. *litteras* pro *titulo* Plautus dixit Trinummo: *Ædes venales hasce inscribit litteris,* sic et mancipiis venalibus titulus ejusmodi de collo suspendebatur, de quo ad Propertii librum iv. Eleg. v. Passeratius. Heins.

Sic mihi juravit: sic me jurata fefellit.
  Ante suam quoties passa jacere forem!
Diligit ipsa alios; a me fastidit amari.
  Institor heu noctes, quas mihi non dat, habet!
Hæc tibi per totos inacescant omnia sensus:
  Hæc refer: hinc odii semina quære tui.
Atque utinam possis etiam facundus in illis
  Esse! dole tantum; sponte disertus eris.
Hæserat in quâdam nuper mea cura puellâ:
  Conveniens animo non erat illa meo.
Curabar propriis æger Podalirius herbis:
  Et (fateor) medicus turpiter æger eram.
Profuit adsidue vitiis insistere amicæ.
  Idque mihi factum sæpe salubre fuit.
Quam mala sunt nostræ, dicebam, crura puellæ!
  Nec tamen, ut vere confiteamur, erant.
Brachia quam non sunt nostræ formosa puellæ!
  Et tamen, ut vere confiteamur, erant.
Quam brevis est! nec erat. quam multum poscit amantem!
  Hinc odio venit maxima caussa meo.
Et mala sunt vicina bonis. errore sub illo
  Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.
Quam potes, in pejus dotes deflecte puellæ:
  Judiciumque brevi limite falle tuum.
Turgida, si plena est; si fusca est, nigra vocetur.
  In gracili macies crimen habere potest.

306. *Institor.*] Horat. iii. Od. 6. *Seu vocat institor.* Et Epod. xvii. *Amata nautis multum ét institoribus.* unde apparet hoc genus contemptissimum fuisse antiquitus. DOUZA.

320. *Nec tamen.*] *Et tamen* scribe eum Puteaneo, et Argentinensi. aliter sensus non constabit. HEINS.

323. *Et mala sunt vicina bonis.*] Lego, *ut mala sunt vicina bonis:* hoc est, quemadmodum. IDEM. Livius, lib. xxii. 12. *affingens vicina virtutibus vitia.*

Et poterit dici petulans, quæ rustica non est:
  Et poterit dici rustica, si qua proba est.
Quin etiam, quacumque caret tua femina dote,
  Hanc moveat, blandis usque precare sonis.
Exige quod cantet, si qua est sine voce puella:
  Fac saltet, nescit si qua movere manum.
Barbara sermone est; fac tecum multa loquatur.
  Non didicit chordas tangere; posce lyram.
Durius incedit; face inambulet. omne papillæ
  Pectus habent tumidæ; fascia nulla tegat.
Si male dentata est; narra, quod rideat, illi.
  Mollibus est oculis, quod fleat illa, refer.
Proderit et subito, cum se non finxerit ulli,
  Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
  Omnia. pars minima est ipsa puella sui.

331. *Caret tua dote puella.*] *Tua fæmina dote* scripti fere omnes cum primâ editione. bene. ita sæpe pro amica Noster. nam *puella* mox sequitur. Heins.

334. *Fac saltet, nescit si qua movere pedem.*] *Movere manum* Regius, et pro diversâ lectione Puteaneus cum Lincolniensi. optime. *Movere manum*, χειρονομεῖν. sic et lego Met. xiv. 520.

In numerum motis manibus duxere choreas.

Jactare in numerum brachia Lucretio, lib. iv. 773. et *mollia mobiliter brachia mittere*, lib. iv. 791. Gestus enim manuum et brachiorum in saltatione puellarum plus commendabatur, quam pedum motus. Noster sic passim Art. Am. iii. 349.

Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam,
Ut moveat posito brachia docta mero.

Ita Juvenalis cum dixit Sat. vi. 63.

Chironomon Lædam molli saltante Bathyllo.

Designat gesticulatione manuum saltationem potissimum fuisse confectam. Heins.

335. *Fac tecum multa loquatur.*] Puteaneus unus, *tecum ut.* mallem, *fac tecum, et multa, loquatur.* crescet enim odium et fastidium ex multo et barbaro sermone. Burm.

337. *Omne papillæ Pectus habent: vitium fascia nulla tegat.*] Sic Martialis, xiv. 134.

Fascia luctantes dominæ compesce papillas. Heins.

Vid. ad iii. Art. 274. in Martialis loco *crescentes* legitur. in Moreto vers. 34. legitur in editionibus antiquis, *Pectora lata tument mammis.*

344. *Pars minima est.*] Livius, xxvi. 47. *minimum inter tantas opes Carthago ipsa fuerit.*

Sæpe, ubi sit, quod ames, inter tam multa requiras.
Decipit hac oculos ægide dives Amor.
Improvisus ades; deprendes tutus inermem:
Infelix vitiis excidet illa suis.
Nec tamen huic nimium præcepto credere tutum est;
Fallit enim multos forma sine arte decens.
Tum quoque, cum positis sua collinet ora venenis,
Ad dominæ vultus (nec pudor obstet) eas.
Pyxidas invenies, et rerum mille colores;
Et fluere in tepidos œsypa lapsa sinus.
Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas:
Non semel hinc stomacho nausea facta meo.
Nunc tibi, quæ medio Veneris præstentur in usu,
Eloquar. ex omni parte fugandus amor.
Multa quidem ex illis pudor est mihi dicere: sed tu
Ingenio verbis concipe plura meis.
Nuper enim nostros quidam carpsere libellos;
Quorum censurâ Musa proterva mea est.
Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe;
Quod volet, impugnent unus et alter opus.
Ingenium magni detrectat Livor Homeri:
Quisquis es, ex illo, Zoïle, nomen habes.
Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ,
Pertulit huc victos quo duce Troja Deos.

348. *Vitiis excidet ipse suis.*] Scripti, *illa.* sic et alibi Noster, ut Art. lib. i. 539.

Excidit illa metu, rupitque novissima verba. HEINS.

351. *Compositis sua cum linit ora venenis.*] *Compositis cum linit* Regius corrupte. forte pro *liverit.* ita enim dicebant quoque veteres, non *leverit* tantummodo. vel, *cum positis sua leverit ora venenis. posita venena* nempe in mensâ. HEINS. De *linendi* verbo vide supra ad lib. iii. Art. Am. vers. 232. et Casaub. et Salmas. ad Spartian. Hadrian. cap. 4. et quæ nos attulimus ad Quinctil. Decl. xiii. 5. BURM.

366. *Quisquis es.*] Recte. Non enim constabat, quis aut cujas fuisset Zoïlus. HEINS.

Summa petit livor: perflant altissima venti:
  Summa petunt dextrâ fulmina missa Jovis.
At tu, quicumque es, quem nostra licentia lædit;
  Si sapis, ad numeros exige quidque suos.
Fortia Mæonio gaudent pede bella referri.
  Deliciis illic quis locus esse potest?
Grande sonant Tragici; Tragicos decet ira cothurnos:
  Usibus e mediis soccus habendus erit.
Liber in adversos hostes stringatur Iämbus;
  Seu celer, extremum seu trahat ille pedem.
Blanda pharetratos Elegeïa cantet Amores:
  Et levis arbitrio ludat amica suo.
Callimachi numeris non est dicendus Achilles:
  Cydippe non est oris, Homere, tui.

369. *Summa petit livor.*] Vell. Paterculus libro posteriore, cap. 40. *Numquam eminentia invidiâ carent.* Ciof.

376. *Versibus e mediis.*] *Usibus e mediis* Regius. Lego, *Lusibus.* Heins. Ego *usibus* non tollerem. sensus est enim ex medio usu et consuetudine hominum comœdiam esse faciendam. *lusus* hic nihil faciunt. sic iii. Trist. iv.

Usibus edocto. Burm.

378. *Extremum seu trahat ille pedem.*] Magnus ille Nasonis interpres Crispinus versum catalecticum intelligit, cui una syllaba deest in fine. a Merula certe potuisset discere Scazonta intelligi, aut inspexisset modo Bersmanni notas, qui recte hæc explicantem laudat Politianum in Miscellaneis, cap. lxiv. sed regii scilicet illi doctores omnia e suâ penu depromere amant. Burm.

380. *Et levis arbitrio ludat amica suo.*] *Laudat* Regius. et *cantat* superiori versu. *audat* etiam quinque alii. plures, *plaudat.* unus, *laudet.* Forte scribendum:

Et levis arbitrio plaudat amica tuo.

Hoc est tuis desideriis applaudat æqua. Heins. Nihil mutem: licenter, ut velit, ludat, nemine obstante. sic Tiberius *sui arbitrii* fuisse dicitur a Suetonio cap. xviii. Burm.

381. *Non est dicendus.*] *Non est tractandus* Vossianus codex. quod non facile rejecerim: proprie enim *tractant aliquem* poëtæ, cum ejus mores, ingenium et dotes versibus diligenter describunt. quare, ego *tractandus* ab ipso Ovidio fluxisse puto. omnia vero hîc nomina, *Achilles, Andromache, Thaïs* capienda pro personis, quas poëtæ ipsos jubent agere: ut ita *comicos* et *tragicos* homines dici ostendit egregie Bentlejus ad Horat. Art. Poet. 96. Ubi *Thaida comicam* Mœcham a Propertio ita dici recte docet. Burm.

382. *Cydippe.*] Cujus nominis poëma scripserat Callimachus, ex quo fragmenta ab antiquis Grammaticis citantur. Heins. Vide Celeber. Bentlejum ad Fragmenta Callimachi, pag. 347.

Quis ferat Andromaches peragentem Thaïda partes?
Peccat, in Andromache Thaïda si quis agat.
Thaïs in Arte meâ: lascivia libera nostra est.
Nil mihi cum vittâ: Thaïs in Arte meâ est.
Si mea materiæ respondet Musa jocosæ,
Vicimus, et falsi criminis acta rea est.
Rumpere, Livor edax; jam magnum nomen habemus:
Majus erit; tantum, quo pede cœpit, eat.
Sed nimium properas: vivam modo; plura dolebis:
Et capiunt animi carmina multa mei.
Nam juvat, et studium famæ mihi crescit amore:
Principio clivi vester anhelat equus.
Tantum se nobis Elegi debere fatentur;
Quantum Virgilio nobile debet opus.

383. *Andromaches.*] Euripidem et Menandrum respicit, quorum ille Andromachen, quæ exstat, hic Thaïda Comœdiam, quæ periit, edidit. Burm.

391. *Plura dolebis.*] Plus. ut Horat. Epod. v.

O multa fleturum caput. Douza.

393. *Studium famæ mihi crescit honore.*] Lege, *famæ honoræ*, ut apud Statium, Theb. ii. 629.

Vos quoque Thespiadæ non inficiatus honorâ
Arcuerim famâ.

Et idem lib. i. Silv. iv. 95. *Honora carmina.* Heins. De voce *honorus* vide Barth. ad Stat. iv. 624. et ad laudatum locum ab Heinsio, lib. ii. ubi usitatiorem ævo barbarissanti, quam Latino vocem dicit. et certe apud Silium, Valer. Flaccum et Statium frequentissime occurrit. apud Nostrum, quod sciam, numquam. quare præferrem sane, *honestæ*, cujus glossam esse puto, *honore*, ut scribere solebant ævo deteriore librarii, pro *honoræ*. ut *honesta fama* dicatur, quæ paratur ex elegantiori eruditione. Burm.

394. *Noster anhelat equus.*] *Vester* Regius et tres alii. melius. ut ad livorem referatur. Heins.

396. *Quantum Virgilio nobile debet opus.*] Cum in veteri lib. *opos*, non *opus* scriptum sit, quinctum ante annum editis in Metamorphosin observationibus cum clarissimo Mureto, *Epos* emendavi. *Opus* cum elegis nullum prorsus hîc locum habet. *Epos* autem quid sit, non ignorant eruditi. Ciof. Recte nihil mutandum censet Heinsius. iii. Art. Amat. 338. de Æneïde Virgilii:

Quo nullum Latio clarius extat opus.

Et quot non loca congerere liceret, ubi *opus* de poëmate, etiam Epico, dicitur? Burm.

Hactenus invidiæ respondimus. attrahe lora
  Fortius; et gyro curre, poëta, tuo.
Ergo ubi concubitus, et opus juvenile petetur;
  Et prope promissæ tempora noctis erunt;
Gaudia ne dominæ, pleno si pectore sumes,
  Te capiant; ineas quamlibet ante velim.
Quamlibet invenias, in quâ tibi prima voluptas
  Desinat: a primâ proxima segnis erit.
Sustentata Venus gratissima. frigore soles,
  Sole juvant umbræ: grata fit unda siti.
Et pudet, et dicam, Venerem quoque junge figura,
  Quâ minime jungi quamque decere putes.
Nec labor efficere est. raræ sibi vera fatentur:
  Et nihil est, quod se dedecuisse putent.
Tunc etiam jubeo totas aperire fenestras,
  Turpiaque admisso membra notare die.
At, simul ad metas venit finita voluptas,
  Lassaque cum totâ corpora mente jacent;
Dum piget, et nullam malis tetigisse puellam,
  Tacturusque tibi non videare diu;

404. *A primâ.*] Imitatus hanc locutionem Juvenalis. Sat. x. 125.

Conspicuæ divina Philippica famæ
Volveris, a primâ quæ proxima.

Hujus vero præcepti salubritatem et efficacitatem docebit historia a Valerio Maximo tradita lib. vii. cap. iii. exemplo 10. *Amantissimus quidam filii, cum eum inconcessis ac periculosis facibus accensum, ab insanâ cupiditate inhibere vellet, salubris consilii astutiâ patriam indulgentiam temperavit. Petiit enim ut priusquam ad eam, quam diligebat, iret, vulgari ac permissâ Venere uteretur. Cujus precibus obsecutus adolescens, infelicem animi impetum satietate concubitus liciti resolutum, ad id, quod non licebat tardiorem pigrioremque adferens, paullatim deposuit.* Burm.

405. *Frigore soles.*] Concinnius Sarravianus et quinque alii, *frigora sole.* alii totidem, *frigora soles,* proxime verum. Heins. Ego vulgatam retinui, ut venusta servetur oppositio. *soles* vero sunt serenum, et calore gratum cœlum. ut Fast. i. 157.

Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo.

iv. Trist. viii. 31.

Si numeres anno soles et nubila toto.

et passim. Burm.

416. *Tacturusque.*] Editiones priscæ et tres scripti, *facturusque.* quod quomodo defendi posset ex iis, quæ ad

Tunc animo signa, quodcumque in corpore mendæ est:
Luminaque in vitiis illius usque tene.
Forsitan hæc aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit:
Sed, quæ non prosunt singula, multa juvant.
Parva necat morsu spatiosum vipera taurum:
A cane non magno sæpe tenetur aper.
Tu tantum numero pugna; præceptaque in unum
Contrahe: de multis grandis acervus erit.
Sed quoniam mores totidem, totidemque figuræ;
Non sunt judiciis omnia danda meis.
Quo tua non possunt offendi pectora facto;
Forsitan hoc alio judice crimen erit.
Ille quod obscænas in aperto corpore partes
Viderat; in cursu qui fuit, hæsit amor:
Ille quod, a Veneris rebus surgente puellâ,
Vidit in immundo signa pudenda toro.
Luditis, ô, si quos potuerunt ista movere.
Adflarant tepidæ pectora vestra faces.
Attrahat ille puer contentos fortius arcus:
Saucia majorem turba petetis opem.
Quid? qui clam latuit, reddente obscæna puellâ;
Et vidit, quæ mos ipse videre vetat?
Dî melius, quam nos moneamus talia quemquam!
Ut prosint, non sunt experienda tamen.

Petronii, cap. ix. et lxxxvii. notarunt viri docti, non sum nescius. et ita etiam infra Nostrum vers. 779. eodem sensu *Fecit Atrides.* tamen hic ex more Ovidii repeti debere idem verbum existimo. Burm.

431. *A Veneris rebus.*] In uno Heinsii, *in Veneris usu*, inde ille olim, *lusu* conjiciebat. ut supr. vers. 376. sed *res Veneris* ne moveas. ita sæpe Lucretius, *Rebus Venereis dediti.* Burm.

435. *Attrahat ille puer.*] Fortasse, *attrahat* rectius. Nauo. *Attrahet* scripti meliores. Heins. Ego *Attrahat* rectius puto. vos luditis et deridetis, qui modice tepetis, me, qui in his vim aliquam esse jacto ab amore revocandi; sed attrahat modo Cupido arcus, et gravius vulneret, jam validiorem medicinam petetis. Burm.

Hortor et, ut pariter binas habeatis amicas.
  Fortior est, plures si quis habere potest.
Secta bipartito cum mens discurrit utroque:
  Alterius vires subtrahit alter amor.
Grandia per multos tenuantur flumina rivos,
  Cassaque seducto stipite flamma perit.
Non satis una tenet ceratas anchora puppes:
  Non satis est liquidis unicus hamus aquis.
Qui sibi jam pridem solatia bina paravit;
  Jam pridem summâ victor in arce fuit.
At tibi, qui dominæ fueris male creditus uni,
  Nunc saltem novus est inveniendus amor.
Pasiphaës Minos in Procride prodidit ignes:
  Cessit ab Idæâ conjuge victa prior.
Amphilochi frater ne Phegida semper amaret,
  Callirhoë fecit parte recepta tori.

446. *Sectaque subducto stipite flamma perit.*] Ita Jureti codex. quod ferri non potest, cum mox præcesserit. Politiani, *Lætaque*. Regius, *Hæsaque*, vel, *Cassaque*. quod postremum amplector. Silius, lib. v. 571.

Stipulâ crepitabat inani
Ignis iners, cassamque dabat sine robore flammam. HEINS.

453. *In Prognide perdidit ignes.*] Ne dubita quin *Procride* sit scribendum. Hanc enim amavit Minos. Obiter rem tangunt Antonius Liberalis sub finem Metamorphoseôn, Apollodorus in Bibliothecâ, et Tzetzes Chiliad. i. Fab. xx. Certe Procridem ad Minoem fugisse in Cretam plures testantur, eumque ex ulcere laborantem sanasse, quos inter Hyginus in poëtico Astronomico, et Palæphatus. i. περὶ μυθῶν, præter auctores ante laudatos. HEINS.

454. *Ab Idæâ.*] Plotida intelligit Merula, quæ Cretensis, ab Idâ monte *Idæa* dicta. sed rectius Parrhasius ad Claudiani i. de Rapt. Proserp. vers. 199. de Cleopatrâ capit, quam duxit prius Phineus, sed eâ repudiatâ Idæam, Dardani Scythiæ regis filiam, duxit. Idæam hanc Schyticam Pellicem vocat Scholiastes Apollonii ad lib. ii. vers. 140. ex quâ Thynum et Maryandynum suscepit Phineus. BURM.

455. *Amphilochi frater*, &c.] Alcmæonem profecto intelligit, qui, cum occisâ matre Argo fugiens Psophidem, tunc Phegiam a Phegeo dictam, venisset, Alphesibœam Phegei filiam uxorem duxit: cui inter cetera et matris monile dono dedit. postea cum hinc etiam, quippe ubi illi in dies augesceret potius quam minueretur furor, aufugisset, consulto Delphico Oraculo, in eam regionem venit, quâ Achelous in mare irrumpit: hic et consedit ille, et Callirrhoën Acheloi filiam uxorem habuit, ex quâ Amphoterum et Acarnanem filios genuit. Cum vero mulie-

Non ego te jubeo medias abrumpere curas:
  Non sunt imperii tam fera jura mei.
Quod non es, simula; positosque imitare furores:
  Sic facies vere, quod meditatus eris.
Sæpe ego ne biberem, volui dormire videri:
  Dum videor, somno lumina victa dedi.
Deceptum risi, qui se simulabat amare;
  In laqueos auceps decideratque suos.
Intrat amor mentes usu: dediscitur usu.
  Qui poterit sanum fingere, sanus erit.
Dixerit, ut venias pactâ tibi nocte, venito.
  Veneris, et fuerit janua clausa; feras.
Nec dic blanditias, nec dic convicia posti,
  Nec latus in duro limine pone tuum.
Postera lux aderit; careant tua verba querelis:
  Et nulla in vultu signa dolentis habe.
Jam ponet fastus, cum te languere videbit:
  Hoc etiam nostrâ munus ab arte feres.
Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi.
  Propositis frenis sæpe repugnat equus.

495. *Medias abrumpere flammas.*] *Curas* prima editio cum scriptis melioribus omnino bene. *cura* enim pro amoribus. sic Dido apud Virgilium, *gravi dudum saucia curâ.* Heins.

507. *Nec dic convitia posti.*] *Nec fac* prima editio et scripti meliores magno numero. Heins. *Facere convicium*, propria est locutio, sic et ix. Met. 302.

Ingrato facio convicia demens
Vana Jovi.

Auctor tamen Moreti:

Immeritoque furens dicit convicia fumo.

Quod et hic retineo: ex more enim Ovidius repetit idem verbum. *Nec dic blanditias, rigido nec jurgia posti* duo codices. Burm.

513. *Te quoque fallet amor, dum sit tibi finis amandi.*] Regius:

Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi.

Quod secuti sumus. *falle tamen* etiam in excerptis Politiani et uno ex nostris. Non satis est, inquit, ut fallas dominam, atque illi persuadeas te non amare, sed tibi quoque ipsi persuades velim, non eo fine hæc a te agi, ut amare desinas. Heins. non video satis aptum ex his verbis sensum, nisi legas:

Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi
Præpositus. Frenis sæpe repugnat equus.

Utilitas lateat; quod non profitebere fiet.
  Quæ nimis adparent retia, vitat avis.
Ne sibi tam placeat, quo te contemnere possit;
  Sume animos: animis cedat ut illa tuis.
Janua forte patet; quamvis revocabere, transi.
  Est data nox; dubita nocte venire datâ.
Posse pati facile est; tibi ni sapientia desit;
  Promtius e facili gaudia ferre licet.
Et quisquam præcepta potest mea dura vocare?
  En etiam partes conciliantis ago.
Nam, quoniam variant animi, variamus et artes.
  Mille mali species, mille salutis erunt.
Corpora vix ferro quædam sanantur acuto:
  Auxilium multis succus et herba fuit.
Mollior es, nec abire potes, vinctusque teneris,
  Et tua sævus Amor sub pede colla premit;
Desine luctari; referant tua carbasa venti:
  Quoque vocant fluctus, hac tibi remus eat.
Explenda est sitis ista tibi, quâ perditus ardes.
  Cedimus: in medio jam licet amne bibas.

Ne tibi proponas hunc finem, te velle desinere, nam tunc amor, quo cales, repugnabit, ut equus sæpe frenis repugnat, sed falle te, et crede hæc a te non agi, ut a domina avellaris; sed ipsa consuetudine et usu paullatim dedisces amare. sic supr. 212.

Ipse tibi furtim decipiendus eris.

BURM.

517. *Ut te contemnere possit.*] Unus meus pro diversâ lectione, *quo*. recte. HEINS. Recte Heinsius constituit locum: *quo hic* valet *ut*, quemadmodum Epist. xviii. 203. et xx. 23. *sibi* vero *placere* quid sit, docuimus ad Petron. cap. xliv. HEINS.

530. *Colla premit.*] Major librorum pars, *tenet*, sed perperam. Propert. i. Eleg. i.

Et caput impositis pressit amor pedibus.

Ubi vide eruditionis elegantissimæ interpretem Broukhusium, et quos laudat. si quid mutandum, reponerem, *terit*, sed nil necesse. BURM.

531. *Referant tua carbasa venti.*] *Referent* libri meliores cum primâ editione. scribendum est, *referant sine*. nam *tua* paulo ante præcessit. nisi mavis, *sua carbasa*. et mox, *Quoque vocant*, pro *Quaque* Puteaneus. HEINS.

Sed bibe plus etiam, quam quod præcordia poscunt:
Gutture fac pleno sumta redundet aqua.
Perfruere usque tuâ, nullo prohibente, puellâ.
Illa tibi noctes auferat, illa dies.
Tædia quære. malis faciunt et tædia finem.
Jam quoque, cum credas posse carere, mane.
Dum bene te cumules, et copia tollat amorem;
E fastiditâ non juvet isse domo.
Fit quoque longus amor, quem diffidentia nutrit.
Hunc tu si quæres ponere; pone metum.
Qui timet, ut sua sit, neu quis sibi detrahat illam;
Ille Machaoniâ vix ope sanus erit.
Plus amat e natis mater plerumque duobus,
Pro cujus reditu, quod gerit arma, timet.
Est prope Collinam templum venerabile portam:
Imposuit templo nomina celsus Eryx.
Est illic Lethæus Amor, qui pectora sanat;
Inque suas gelidam lampadas addit aquam.
Illic et juvenes votis oblivia poscunt:
Et si qua est duro capta puella viro.
Is mihi sic dixit: (dubito, verusne Cupido
An somnus fuerit; sed puto somnus erat.)
O qui sollicitos modo das, modo demis, amores,
Adjice præceptis hoc quoque, Naso, tuis.

546. *Vix ope sanus erit.*] Alii libri, *tutus.* unus, *salvus.* Sed nil muta. Patavinus, *sanus erat.* Lego, *sanus eat.* Vide Notas in Elegiam de morte Drusi sub finem. Heins.

549. *Est prope Collinam templum venerabile portam: Imposuit templo nomina celsus Eryx.*] Lib. iv. Fast. 871. Strabo, lib. vi. Ciof.

550. *Celsus Eryx.*] Vide quæ notavi ex Polybio in Epistola Sapphus. Idem.

551. *Pectora sanat.*] *Fovit* unus Heinsii. *vulnera sanat.* alius mox, *inque suis g. lampadis* unus Putean. et Leidensis. tentavit olim Heinsius, *lampasin.* Vix puto. nam solet *addere* Noster cum præpositione in accusativo jungere. Heins.

557. *O qui sollicitos.*] Regius, *sollicitus:* scribendum forte, *sollicitis.* scilicet juvenibus et puellis. Burm.

Ad mala quisque animum referat sua; ponet amorem:
  Omnibus illa Deus plusve minusve dedit.
Qui Puteal Janumque timet, celeresque Kalendas,
  Torqueat hunc æris mutua summa sui.
Cui pater est durus, votis ut cetera cedant,
  Huic pater ante oculos durus habendus erit.
Hic male dotatâ pauper cum conjuge vivit:
  Uxorem fato credat obesse suo.
Est tibi rure bono generosæ fertilis uvæ
  Vinea: ne nascens uvâ sit usta time.
Ille habet in reditu navim: mare semper iniquum
  Cogitet, et damno litora fœda suo.
Filius hunc miles, te filia nubilis angant.
  Et quis non caussas mille doloris habet?

560. *Omnibus illa deus.*] *Ille* scripti plerique cum primâ editione. sed male. refer ad *mala*. HEINS.

561. *Puteal.*] Merula dictum hoc puteal Libonis putat, quia ille primus ibi subsellia posuit, et tribunal fecit, quem sine ullâ antiquitatis inquisitione aut gustu secutus, ut solet, Crispinus. sed minime tribunal fuisse, docuit egregie Torrentius ad Horat. ii. Sat. vi. 35. Ara fuit, ad quam fœneratores conveniebant, et hoc docet *Janus* adjunctus puteali. nam et ad illum fœneratores versatos docet idem Horat. ii. Sat. iii. 18.

Postquam omnis res mea fracta est
Ad medium Janum. BURM.

562. *Torqueat hunc æris mutua summa sui.*] Hoc est, anxius et sollicitus de ære, quod ipse ab aliis mutuo accepit. Merula autem, *Mutua cura*, legit, exponitque de ære, quod quis aliis mutuo dedit. Sed huic expositioni repugnare videtur, quod versu præcedenti dicitur, *Qui puteal, Janumque timet*, &c. non enim creditores, sed debitores judicem metuunt, et de tempore solutionis solliciti sunt. MICYL.

567. *Rure bono.*] Tres scripti, *rure novo*, quod minime spernendum: major enim sollicitudinis materia nasci posse videtur ex novo rure, quod nunc demum culturæ a nobis est paratum. *bonus* vero et *novus* sæpe confusa a librariis. vid. iv. Trist. ii. 40. mox, *ne crescens uva* Vatican. etiam non male. BURM.

569. *Ille habet in reditu navem.*] *Navim* Regius. sic idem cum aliis melioribus paulo. HEINS. Puto, *in reditu habere* notare, qui ex navi quotannis, ut alii ex agris, reditum capit, et inde quæstum facit. Sensus ergo est, qui nihil possidet præter unicam navem, ex quâ vitam toleret, et quæstum faciat, cogitet semper mare iniquum. BURM.

571. *Hunc filia nobilis angat.*] De τῷ *angere* egimus lib. iii. Art. 541. Sed hic in Leidensi erat, *urat*: eleganter mehercule. vide quæ ad iii.

Ut possis odisse tuam, Pari, funera fratrum
Debueras oculis substituisse tuis.
Plura loquebatur; placidum puerilis imago
Destituit somnum: si modo somnus erat.
Quid faciam? mediâ navim Palinurus in undâ
Deserit. ignotas cogor inire vias.
Quisquis amas (loca sola nocent) loca sola caveto.
Quo fugis? in populo tutior esse potes.
Non tibi secretis (augent secreta furores)
Est opus: auxilio turba futura tibi est.
Tristis eris, si solus eris: dominæque relictæ
Ante oculos facies stabit, ut ipsa, tuos.
Tristior idcirco nox est, quam tempora Phœbi:
Quæ relevet luctus, turba sodalis abest.
Nec fuge colloquium: nec sit tibi janua clausa:
Nec tenebris vultus flebilis abde tuos.
Semper habe Pyladen, qui consoletur Oresten.
Hic quoque amicitiæ non levis usus erit.
Quid nisi secretæ læserunt Phyllida silvæ?
Certa necis caussa est: incomitata fuit.
Ibat, ut Edono referens trieterica Baccho
Ire solet fusis barbara turba comis.

Art. Am. 541. hanc vero non esse levem sollicitudinem docet Lucianus in Toxari, pag. 624. Μάλιστα δὲ αὐτὸν, ἡ νέα θυγατὴρ αὐτῇ, ἐπίγαμος ἤδη καὶ ἑπτακαιδεκέτις οὖσα. Burm.

573. *Posses.*] *Possis* iidem. Heins.

574. *Substituisse tuis.*] Lego, *proposuisse*. Vulgatam tamen lectionem non damno. *Sustinuisse* aliud quid significaret; de quo vide ad Epist. viii. 56. quod hic admitti posset tamen, ut scilicet Paridem ignaviorem inducat, qui debuisset audere coram aspicere funera fratrum. sed vulgatam etiam retineo, etsi singulariter dictum sit. Burm.

589. *Semper habe Pyladen aliquem, qui curet Oresten.*] *Qui te comitetur* volebat Francius. sed nec vulgata facile spernenda. *Pyladen aliquem*, ut infra 741. *aliquis Calchas.* et *Quis Cephalus* i. Amor. xiii. 39. ubi vide *curare* autem etiam non ineleganter, pro curas levare, reficere. Cicer. Philip. ix. 3. *Multis illi in urbibus, reficiendi se et curandi potestas fuit*. et proprium esse medicorum notum est. Burm.

593. *Ibat ut Ædonio.*] *Edonio* scripti, vel, *Aonio*. quod posterius

Et modo, quâ poterat, longum spectabat in æquor:
Nunc in arenosâ lassa jacebat humo.
Perfide Demophoon, surdas clamabat ad undas:
Ruptaque singultu verba dolentis erant.
Limes erat tenuis, longâ subnubilus umbrâ:
Quo tulit illa suos ad mare sæpe pedes.
Nona terebatur miseræ via. Videris, inquit:
Et spectat zonam pallida facta suam.
Adspicit et ramos: dubitat, refugitque quod audet:
Et timet: et digitos ad sua colla refert.
Sithoni, tunc certe vellem non sola fuisses;
Non fleres positis Phyllida, silva, comis.
Phyllidis exemplo nimium secreta timete,
Læse vir â dominâ, læsa puella viro.
Præstiterat juvenis, quidquid mea Musa jubebat;
Inque suæ portu pene salutis erat.
Recidit, ut cupidos inter devenit amantes:
Et, quæ condiderat, tela resumsit Amor.

Naugerius in notis suis et Alexander Paganinus apud Ciofanum amplectuntur. quia scilicet Noster, Art. lib. i. 312.

Fertur ut Aonio concita Baccha deo. Et lib. ii. 380. *Aonii cornibus icta Dei,* dixerit. sed de Bacchis Thraciis, et cultu Bacchi in Thracia res est notissima. vide Trist. iv. Eleg. i. vers. 42. Heins. *Aonio* etiam G. Fabricius ad Virgil. xii. Æneïd. 365. quem vide. sed *referens* non debet mutari: est enim proprium in sacris verbum, quæ referuntur, et instaurantur, more antiquo et a majoribus instituto. De voce *Edono* vide Broukh. ad Propert. I. Eleg. iii. 6. et Barth. ad Stat. v. Theb. 78. Burm.

601. *Nona terebatur miseræ via: viderit, inquit, Et spectat zonam pallida facta suam.*] Hunc locum explicat Parrhasius, cujus verba et sententiam posui initio libri superioris. Ciof.

Viderit, inquit.] Optimus Patavinus, *videris.* ut se ipsam alloquatur. quomodo sæpe alias. vide notas ad Epist. x. vers. 75. de elegantiâ verbi *videris* dixi Pontic. libro i. Eleg. ii. Heins.

611. *Decidit.*] Duo, *Accidit.* Regius, *Reccidit,* pro *Recidit.* ut fere semper scribitur in vetustissimis libris, quando prima syllaba producitur. recte. *Recidit* etiam est in excerptis Scaligeri. Vide Epistol. xix. vers. 46. Heins.

612. *Et qui deciderant tela.*] *Conciderant* plerique veteres. unus, *ceciderant.* alius, *reciderant.* sed Sarravianus, alter Regius, et unus Vaticanus, *condiderat.* probe. in pharetra, videlicet. Heins.

Si quis amas, nec vis; facito contagia vites.
  Hæc etiam pecori sæpe nocere solent.
Dum spectant oculi læsos, læduntur et ipsi:
  Multaque corporibus transitione nocent.
In loca nonnumquam siccis arentia glebis
  De prope currenti flumine manat aqua.
Manat amor tectus, si non ab amante recedas:
  Turbaque in hoc omnes ingeniosa sumus.
Alter item jam sanus erat; vicinia læsit.
  Occursum dominæ non tulit ille suæ.
Vulnus in antiquum rediit male firma cicatrix;
  Successumque artes non habuere meæ.
Proximus a tectis ignis defenditur ægre:
  Utile finitimis abstinuisse locis.
Nec, quæ ferre solet spatiantem porticus illam,
  Te ferat: officium neve colatur idem.
Quid juvat admonitu tepidam recalescere mentem?
  Alter, si possis, orbis habendus erit.
Non facile esuriens positâ retinebere mensâ:
  Et multam saliens incitat unda sitim.
Non facile est visâ taurum retinere juvencâ:
  Fortis equus visæ semper adhinnit equæ.

613. *Si quis amas, nec vis.*] Illud *nec vis* non est nauci. Cum satis superque initio operis inculcarit Ovidius, se iis, qui cupiant ab amore liberari, medicinam facturum. Scripserat, ni fallor, Noster:

Si quis amas, urbis facito contagia vites.

Vel *turbæ contagia.* de qua voce paulo ante. Heins. *si quid amas* multi.

625. *Defenditur.*] *Deffunditur* vitiose unus codex. Gellius xv. i. *Docuisset te profecto Archelaus Regis Mithridatis præfectus, qua sollertia ignem defenderes.* plura de hoc verbo Heins. ad Epist. v. 16. Burm.

628. *Officium neve colatur idem.*] Obvius est sensus: ne intersis amicorum tuorum officio, ad quod puellam etiam scis venturam. *officia* sunt, cum ad gratulationes, deductiones et pompas et similia amicorum progredimur; ut *officium novorum consulum*, cum Kal. Januariis procedunt; Sueton. Cæs. xv. et passim alii. *colere officium* idem, quod *facere*, ut Horatius i. Epist. xvii. 21. Burm.

Hæc ubi præstiteris, ut tandem litora tangas,
Non satis est ipsam deseruisse tibi.
Et soror, et mater valeant, et conscia nutrix,
Et quidquid dominæ pars erit ulla tuæ.
Nec veniat servus: nec flens ancillula fictum
Suppliciter dominæ nomine dicat, Ave.
Nec, si scire voles, quid agat tamen illa, rogabis.
Profer: erit lucro lingua retenta suo.
Tu quoque, qui caussam finiti reddis amoris,
Deque tuâ dominâ multa querenda refers;
Parce queri. melius sic ulciscêre tacendo;
Dum desideriis effluat illa tuis.
Et malim taceas, quam te desisse loquaris.
Qui nimium multis, Non amo, dicit; amat.
Sed meliore fide paullatim extinguitur ignis,
Quam subito. lente desine; tutus eris.
Flumine perpetuo torrens solet acrius ire.
Sed tamen hæc brevis est, illa perennis aqua.
Fallat, et in tenues evanidus exeat auras,
Perque gradus molles emoriatur amor.
Sed modo dilectam scelus est odisse puellam:
Exitus ingeniis convenit iste feris.

640. *Suppliciter.*] *Fictum* et *suppliciter* duo adverbia dure concurrunt. Puto legendum:

Nec flens ancillula fictum
Supplicet, et dominæ nomine dicat ave.

Heins. Nulla opus emendatione, *fictum* conjungendum est vel cum *flens*, ut *dulce ridere* et similia. vel, cum *Ave* ut Martial. i. 56. *matutinum ave.* in uno erat *furtim.* etiam non male. Burm.

643. *Qui causam finito reddis amori.*] Sic pro diversâ lectione Puteaneus, qui tamen cum Regio, Scaligeri excerptis et tribus aliis, *finiti reddis amoris.* quod verum est. Tu, inquit, cum reddes causam sodalibus tuis, quare desieris amare. Heins.

646. *Melius sic te ulciscere tacendo.*] *Sic ulciscere* meliores scripti cum primis editionibus. recte. ut *τὸ et* subintelligatur. pro *tacendo* Cantabrig. *querendo.* forte, *premendo.* hoc est tegendo, et occulendo injuriam. *tacendo* minus placet, ne bis idem dicat. nam sequitur, *Et malim taceas.* Heins.

Non curare sat est. odio qui finit amorem,
  Aut amat, aut ægre desinet esse miser.
Turpe, vir et mulier, juncti modo, protinus hostes:
  Non illas lites Appias ipsa probat.
Sæpe reas faciunt, et amant. ubi nulla simultas
  Incidit, admonitu liber aberrat amor.
Forte aderam juveni: dominam lectica tenebat:
  Horrebant sævis omnia verba minis.
Jamque vadaturus, Lectica prodeat: inquit.
  Prodierat: visâ conjuge mutus erat.
Et manus, et manibus duplices cecidere tabellæ:
  Venit in amplexus: atque ita, Vincis, ait.
[Tutius est, aptumque magis, discedere pace,
  Quam petere a thalamis litigiosa fora.]
Munera quæ dederis, habeat sine lite jubeto:
  Esse solent magno damna minora bono.

660. *Appias.*] Venus ipsa genitrix, cujus templum erat in foro C. Cæsaris; sic cognominata ab aqua Appia quæ illic erat. Amar.

663. *Forte aderat juvenis.*] In veteribus, *forte aderam juveni.* Navo. Imo *aderam juveni* cum Regio, Puteaneo, uno ex meis, et primâ editione. *aderam*, advocationem, præstabam. ita illud quoque intelligendum, lib. iii. Artis 531.

Munera det dives, jus qui profitebitur, adsit.

Huc spectat locus quoque ille apud Gellium, lib. i. cap. xxii. ubi prætor ad imperitum patronum, qui se *causæ superesse* dixisset. *Tu plane, inquit, superes, non ades.* pro *lectica tenebat*, Vaticanus unus, *tenebas.* non ineleganter. Heins. *Ferebat* duo scripti. forte etiam *tegebat*, ut de *tecta lectica* cum Bersmanno capiatur. qui secutus videtur auctoritatem Lipsii. lib. i. Elector. cap. 19.

667. *Duplices tabellæ.*] Quæ vadimonii formulam continebant. vide i. Amor. xii. 23. Inepte Crispinus ex Merula sua sine ullo delectu transcribens, codicillos, quibus jura continebantur interpretatur. vellem addidissent quæ *jura* intelligant. Merula tamen addit, ut videatur forum tetigisse, *scripta utriusque, vel jura.* si non perperam, interpretatione certe ipsis Ovidii verbis obscuriore. Burm.

669. *Tutius est aptumque magis.*] Nemo mihi persuaserit hoc distichon Nasonianæ venæ fœtum esse. Heins.

671. *Munera quæ dederas, habeat sine lite, jubeto.*] Verba artis sunt: sic enim solebat dicere, qui divortium faciebat: *Abeas, valeas, tuas res tibi habeas.* Micyl.

Quod si vos aliquis conducet casus in unum,
Mente memor totâ, quæ damus arma, tene.
Nunc opus est armis; hîc, ô fortissime, pugna.
Vincenda est telo Penthesilea tuo.
Nunc tibi rivalis, nunc durum limen, amanti:
Nunc mediis subeant irrita verba Deis.
Nec compone comas, quia sis venturus ad illam:
Nec toga sit laxo conspicienda sinu.
Nulla sit ut placeas alienæ cura puellæ:
Jam facito e multis una sit illa tibi.
Sed quid præcipue nostris conatibus obstet,
Eloquar; exemplo quemque docente suo.
Desinimus tarde, quia nos speramus amari.
Dum sibi quisque placet, credula turba sumus.
At tu nec voces (quid enim fallacius illis?)
Crede, nec æternos pondus habere Deos.

682. *Jam face ut e multis una sit illa tibi.*] Scribam libenter, *Jamque face e multis.* Sed et superiori versu pro, *Nulla cura* omnino, *Multa* legendum, ut paulo ante monui. quicquid libri veteres dissentiunt:

Multa sit ut placeas alienæ cura puellæ,
Jamque face e multis illa sit una tibi.

Eo, inquit, curam converte, ut alii puellæ placeas. utque tuam illam non nisi inter multas ames, ne sola sensus tuos occupet. HEINS. Ego nullum sensum video, si Heinsianam emendationem sequamur, et inconcinne admodum a puella illa aliena, in pentametro, oratio ad illam, quam olim amaverat, convertitur, cum τὸ *illa* de eadem agi ostendat. quare vulgatam, quam omnes codices confirmant, retineo, quæ hunc optimum sensum habet. si ulla sit tibi cura placendi puellæ, quam jam non pro tua, sed pro aliena habere debes; fac ut illa sit tibi e multis una, neque præcipuam aut egregiam habeas. *aliena* est, alienata, vel tamquam extranea, ut Teren. Adel. iii. 2. *Æschinus alienus est a nostra familia.* et Hecyr. i. ii. *Quod hunc alienum ab sese vidit.* posset et legi:

Jam face de multis una sit illa tibi.

Ut *unus de nobis* et similia, de quibus vid. ad Petron. xliv. BURM.

686. *Dum sibi quisque placet.*] Malo, *placent.* vide notas Amor. lib. ii. El. xi. vers. 21. HEINS. In Menteliano erat *favet:* quod hic præferrem, non enim hic de superbia, quæ proprie facit ut sibi placeant homines, (vid. ad Petron. xliv.) sed de eo, qui sibi blanditur, caussam suam ipse agit. sic supr. 74.

Vindictæ quisque facete suæ.

Et mox. 695. *ipse favebit, cum sibi* Bersmanni editio. BURM.

Neve puellarum lacrimis moveare caveto:
  Ut flerent, oculos erudiere suos.
Artibus innumeris mens oppugnatur amantum;
  Ut lapis æquoreis undique pulsus aquis.
Nec caussas aperi, quare divortia malis:
  Nec dic, quid doleas; clam tamen usque dole.
Nec peccata refer; ne diluat. ipse favebis:
  Ut melior causså caussa sit illa tuâ.
Qui silet, est firmus: qui dicit multa puellæ
  Probra, satisfieri postulat ille sibi.
Non ego Dulichio furiales more sagittas,
  Nec rapidas ausim tinguere in amne faces.
Nec nos purpureas pueri resecabimus alas:
  Nec sacer arte meâ laxior arcus erit.
Consilium est quodcumque cano. parete canenti:
  Utque facis, cœptis, Phœbe saluber, ades.
Phœbus adest: sonuere lyræ; sonuere pharetræ.
  Signa Deum nosco per sua: Phœbus adest.
Confer Amyclæis medicatum vellus ahenis
  Murice cum Tyrio: turpius illud erit.

699. *Non ego Dulichias furiali more sagittas.*] Ego quid id *Dulichias* sibi velit non intelligo, neque aliam lectionem inveni. Naug. Scribe:

Non ego Dulichio furiales more sagittas.

Et sequenti versu pro, *raptas faces* lege, *rapidas* cum Lincolniensi libro. unus Farnesianus, *rubidas. rapidæ faces*, quomodo *rapidi ignes.* per *furiales sagittas*, Cupidinis sagittas intelligit. *Dulichio more*, more Ulyssis, quia amores suos cum Calypso et Circe, de quibus supra 263. nimis præceps abrupit. Omnia jam plana et perspicua sunt. Heins.

703. *Consilium est quodcunque cano.*] Scribe, *Concilium.* atque ita in uno codice Gallicano scriptum offendi. Hoc est nimirum, quo supra dixerat 523.

Et quisquam præcepta potest mea dura vocare,
En etiam partes conciliantis ago.

Concilium pro conciliatione, aut *conciliatu*, ut Lucretius loqui amat. Heins. Ego vero *consilium* retinui, non enim dicit vim et impetum se docere, sed rationem et prudentiam, qua paullatim dediscere possit juvenis amare. Burm.

707. *Confer Amyclæis.*] Vid. Ferrar. de Re Vest. lib. ii. cap. 7. Amyclæ Peloponnesi civitas juxta Eurotum, ubi purpureo colore imbuebantur vellera, quæ, quamvis pulchra, tamen collata cum Tyriis, de suo pretio perdere multum videbantur. Amar.

Vos quoque formosis vestras conferte puellas:
Incipiet dominæ quemque pudere suæ.
Utraque formosæ Paridi potuere videri;
Sed sibi collatam vicit utramque Venus.
Nec solam faciem; mores quoque confer et artes:
Tantum judicio ne tuus obsit amor.
Exiguum est, quod deinde canam: sed profuit illud
Exiguum multis: in quibus ipse fui.
Scripta cave relegas blandæ servata puellæ:
Constantes animos scripta relecta movent.
Omnia pone feros (pones invitus) in ignes:
Et dic, Ardoris sit rogus iste mei.
Thestias absentem succendit stipite natum.
Tu timide flammæ perfida verba dabis?
Si potes, et ceras remove. quid imagine mutâ
Carperis? hoc periit Laodamia modo.
Et loca multa nocent. fugito loca conscia vestri
Concubitus. caussas mille doloris habent.
Hîc fuit; hîc cubuit: thalamo dormivimus isto:
Hîc mihi lascivâ gaudia nocte dedit.
Admonitu refricatur amor; vulnusque novatum
Scinditur. infirmis caussa pusilla nocet.
Ut pene extinctum cinerem si sulfure tangas;
Vivet, et e minimo maximus ignis erit.

713. *Confer et artes.*] *Artem* meliores. HEINS. *Artes* rectius cum priscis editionibus et majori librorum numero. intelligit artes, quibus puellæ commendantur. ut ii. Am. x.

Artibus in dubio est hæc sit, an illa, prior.

Ita Horat. iv. Od. i. *Centum puer artium*; et passim alibi. BURM.

714. *Tantum.*] Id est dummodo. supr. ii. Amor. xv. 18.

Tantum ne signem scripta dolenda mihi. DOUZA.

721. *Thestius succendit natum.*] Althea Thestii filia, quæ filium suum Meleagrum, projecto in focum stipite, qui fata nati continebat, ita perdidit. AMAR.

723. *Quid imagine muta Carperis? hoc periit Laodamia modo.*] Laodamia periit, spectando servatam mariti Protesilai ceream imaginem.

Sic, nisi vitaris quidquid renovabit amorem,
  Flamma redardescet, quæ modo nulla fuit.
Argolides cuperent fugisse Capharea puppes;
  Teque, senex, luctus ignibus ulte tuos.
Præteritâ cautus Niseïde navita gaudet.
  Tu loca, quæ nimium grata fuere, cave.
Hæc tibi sint Syrtes; hæc Acroceraunia vita:
  Hic vomit et potat dira Charybdis aquas.
Sunt, quæ non possint aliquo cogente juberi;
  Sæpe tamen casu facta juvare solent.
Perdat opes Phædra; parces, Neptune, nepoti:
  Nec faciet pavidos taurus avitus equos.
Gnosida fecisses inopem; sapienter amasset.
  Divitiis alitur luxuriosus amor.
Cur nemo est, Hecalen; nulla est, quæ ceperit Iron?
  Nempe quod alter egens, altera pauper erat.
Non habet, unde suum paupertas pascat amorem:
  Non tamen hoc tanti est; pauper ut esse velis.
At tibi sit tanti, non indulgere theatris;
  Dum bene de vacuo pectore cedat amor.

735. *Argolides cuperent fugisse Capharea puppes.*] Docet a simili, loca quæ nocent amanti, vitanda esse. Nauplius senex, Palamedis pater, ut filii judicio iniquo Græcorum occisi necem ulcisceretur, quum illi Troja redeuntes naufragio laborarent, ex Caphareo Eubææ promontorio accendit faces, et signum dedit, quasi portus illic fuisset; qui credentes illuc navigarunt et inter asperrimos scopulos fracti et demersi perierunt. Amar.

737. *Niseïde.*] Cave ne hoc dictum de portu vel orâ Megarensi accipias. Scyllam Nisi filiam innui docuit Heinsius ad Epist. i. Sabini, v. 33.

744. *Nec faciet pavidos taurus avitus equos.*] Taurum avitum dicit, non ab avo Thesei, sed ab avo Hippolyti Neptuno. Nam et Theseus Neptuni filius fuit, idemque pater Hippolyti. Vocat autem et Euripides ταῦρον ἄγριον, a quo equi Hippolyti perterrefacti sunt: eumque, ob imprecationes ac diras Thesei in filium, mari emissum dicit. Alii autem pro tauro, vitulum marinum, sive phocam nominant. Totam fabulam habes apud Euripidem Tragœdia, quæ inscribitur Ἱππόλυτος στεφανοφόρος. Micyl.

747. *Hecale.*] Anus paupercula, quæ Theseum excepisse hospitio dicitur. Qua de re Apul.

Enervant animos citharæ, lotosque, lyræque;
  Et vox, et numeris brachia mota suis.
Illic adsidue ficti saltantur amantes;
  Quid caveas actor, quid juvet, arte docet.
Eloquar invitus: teneros ne tange poëtas.
  Submoveo dotes impius ipse meas.
Callimachum fugito; non est inimicus Amori:
  Et cum Callimacho tu quoque, Coë, noces.
Me eerte Sappho meliorem fecit amicæ:
  Nec rigidos mores Teïa Musa dedit.
Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli,
  Vel tua, cujus opus Cynthia sola fuit?
Quis potuit lecto durus discedere Gallo?
  Et mea nescio quid carmina dulce sonant.
Quod nisi dux operis vatem frustratur Apollo;
  Æmulus est nostri maxima caussa mali.
At tu rivalem noli tibi fingere quemquam:
  Inque suo solam crede jacere toro.
Acrius Hermionen ideo dilexit Orestes;
  Esse quod alterius cœperat illa viri.

753. *Lotos.*] Est arbuscula Africæ, cujus lignis ad tibias veteres utebantur; unde pro tibiis ipsis hic ponitur. AMAR.

756. *Quid caveas actor, quod juvet, arte docet.*] Locus mendosus, scripti plerique, *auctor* et *juvat*. Regius *qua juvet*. Lego:

Quas caveas actor, qua juvet arte docet.

Caveas dixit pro spectatoribus in cavea sedentibus. HEINS. Nescio an recte. *Caveam* dixisset Ovidius, si hæc ipsi mens fyisset. neque *caveas*, a *cavere*, quid huc faciat video. si enim docet quid sit vitandum, non vitandos esse mimos doceret poëta. legerem:

Qua capias, actor, quod juvat, arte docet.

Quod juvat est in uno Heinsii. Mimus docet, qua arte capias puellas, et consequaris id quod juvat, id est puellam; sic millies, *quod ames*, pro quam ames. Douza legebat:

Quid caveas actu, quid juvet, arte docent. BURM.

759. *Inimicus Amori.*] Callimachus Cyrenæus, a Batto oriundus, elegiarum scriptor elegantissimus, amatoria de Lyde composuit carmina, cui secundus Philetas, ex Coo insula maris Ægei oriundus. Perlegendos, et adsidue quidem, suaserat, Art. iii, 329. AMAR.

764. *Cynthia sola.*] Hinc apparet

P. OVIDII NASONIS

MEDICAMINA FACIEI.

FRAGMENTUM.

DISCITE, quæ faciem commendet cura, puellæ:
  Et quo sit vobis forma tuenda modo.
Cultus humum sterilem Cerealia pendere jussit
  Munera: mordaces interiere rubi.
Cultus et in pomis succos emendat acerbos;
  Fissaque adoptivas accipit arbor opes.
Culta placent. auro sublimia tecta linuntur;
  Nigra sub imposito marmore terra latet.
Vellera sæpe eadem Tyrio medicantur aëno:
  Sectile deliciis India præbet ebur.

Integrum hunc libellum fuisse ex ipso Ovidio colligimus, qui in Arte Amatoria:

Est mihi, quo dixit vestræ Medicamina formæ,
Parvus, sed curâ grande libellus, opus.

De inscriptione non satis constat. quæ vulgo circumfertur, ex hoc Ovidii versu videtur conflata. scripti, quos vidi, nullam agnoscunt, præter unum Vaticanum, qui de *Ornatu faciei* inscribit. prima tamen editio *Medicatam faciem* vocat. quid, si *Artem Medicandæ faciei* inscribamus? HEINS. Ovidio vindicavit et Vossius, lib. v. Inst. Orat. cap. iii. sect. 2. verosimile est mihi Ovidium voce *Medicaminis* usum fuisse. sic Petron. cap. cii. *puta infectam Medicamine faciem diutius durare posse.* idem cap. cxxvi. *Quo enim spectat facies Medicamine attrita.* et ita passim alii. BURM.

4. *Mordaces.*] Heinsius olim *marcentes*, id est inertes conjecerat. Marius explicat, propter spinas aduncas, quibus horrent, ita dictas. male: *mordaces* dictæ infelices herbæ, quia urunt et mordent terram, et efficiunt ne feliciores et bonæ proveniant. vid. ad Petron. xliv. ubi *mordere annonam*, et *adurere terram* illustravimus. voluerat etiam Heinsius, *mordaces hinc periere rubi*, ex cultu scilicet. BURM.

9. *Medicantur aëno.*] Unus Vaticanus, *medicata veneno;* non male, si

Forsitan antiquæ, Tatio sub rege, Sabinæ
Maluerint, quam se, rura paterna coli.
Cum matrona, premens altum rubicunda sedile,
Adsiduo durum pollice nebat opus.
Ipsaque claudebat, quos filia paverat, agnos:
Ipsa dabat virgas cæsaque ligna foco.
At vestræ teneras matres peperere puellas.
Vultis inauratâ corpora veste tegi.
Vultis odoratos positu variare capillos:
Conspicuam gemmis vultis habere manum.
Induitis collo lapides Oriente paratos:
Et quantos oneri est aure tulisse duos.
Nec tamen indignum, si vobis cura placendi,
Cum comtos habeant secula nostra viros.
Femineâ vestri poliuntur lege mariti:
Et vix ad cultus nupta, quod addat, habet.
Proin se quæque parent; nec quo venentur amores,
Refert. munditiæ crimina nulla merent.

medicanda reponas. Venenum enim omnis fucus et color, quo medicatur aliquid. Remed. 351. sed ibid. 707. *medicatum vellus ahenis* dixit. Burm.

15. *Claudebat.*] Septis et ovilibus includebat. Virgil. Eclog. vii. 14.

Neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos a lacte domi quæ clauderet agnos. Marius.

Huc respicit forte Juvenalis Sat. vi. 4.

Et pecus et dominum communi clauderet umbra. Burm.

Filia paverat.] Ergo matronarum filiæ pastorali officio fungebantur. hanc eandem priscorum Romanorum severitatem ostendit et Flaccus, lib. iii. Od. 6. Marius.

20. *Manus.*] Exemplaria manuscripta habent, *Conspicuam gemmis vultis habere manum.* quæ lectio magis mihi placet, tum quia vitatur sibilus, qui gignitur a litera *s* sæpius interposita: tum quia in una tantum manu, id est sinistra, annuli gestari consueverant. Marius.

27. *Per se quæque paret, et quos.*] Hæc fœdissime sunt inquinata. Nec video quid commodius extricari possit, quam si legas:

Proin se quæque paret; nec quo venetur amores
Refert. mundiciæ crimina nulla merent.

Vel, *mundicies meret.* ut in Amorib. iii. xi. 43. *Facta merent odium.* *Proin* una syllaba, ut apud Maronem, xi. 383. *Proinde tona eloquio.* sic et *Dein* monosyllabum. *Parare* pro *ornare*, unde,

Rure latent, finguntque comas. licet arduus illas
  Celet Athos; cultas altus habebit Athos.
Est etiam placuisse sibi quotacumque voluptas:
  Virginibus cordi grataque forma sua est.
Laudatas homini volucris Junonia pennas
  Explicat; et formâ muta superbit avis.
Sic potius nos uret amor; quam fortibus herbis,
  Quas maga terribili subsecat arte manus.
Nec vos graminibus, nec mixto credite succo:
  Nec tentate nocens virus amantis equæ.
Nec mediæ Marsis finduntur cantibus angues:
  Nec redit in fontes unda supina suos.
Et quamvis aliquis Temesæa removerit æra;
  Numquam Luna suis excutietur equis.
Prima sit in vobis morum tutela, puellæ:
  Ingenio facies conciliante placet.

paratus pro *cultu*. Propertius libro ii. El. xxiv.

Et se plus uni si qua parare potest.

De *venatu amoris* alibi dictum. Viderint acutiores. ego enim hic mihi vix satisfacio. Posset et legi:

Se sibi quæque parent, nec quo venentur amores
Refert. munditiæ crimina nulla ferent. HEINS.

Legerem:

Per se quæque parat, nec quo venetur amores
Præfert. munditiæ crimina nulla merent.

Hoc sensu, unaquæque sine ope alterius aut consilio illa parat, quibus se viros capere posse putat, neque tamen palam præ se fert, quomodo venetur, sed solis munditiis id efficit, quibus nihil peccare sibi videtur. Hoc jam sequentia docent; omnes puellas per se scire artem se commendandi; etsi nullum magistrum habent, quia etiam rusticæ et quæ in monte Atho habitant, se colere solent. BURM.

35. *Vos urget.*] Lego ex antiquorum codicum autoritate, *Nos tanget amor.* ut sit sensus: Facilius nos viros in amorem vestrum trahetis cultu corporis, quam magicis artibus. MARIUS. Scripti cum prima editione, *urget.* unus Ambrosianus, *vos uret.* Lege, *Hinc potius nos urat amor.* vide notas Amor. lib. i. Eleg. ii. vers. 17. HEINS. vid. et ad iii. Art. 541.

39. *Finduntur.*] Citat hæc Carisius, lib. i. in verbo *Anguis.* ejus verba sunt: *Anguis cum sit masculini generis, dixerunt tamen et feminini,* ut Tibullus; *Iratæ detinet anguis.* et Ovidius: *Mediæ Marsis finduntur cantibus angues.* CIOF.

41. *Temesæa æra.*] Temese in Italia. Brutiorum oppidum fuit, a Latinis *Templa* dictum, ut Plinius, lib. 3. docet. Ibi erant ærifodinæ: quas tamen suo tempore defecisse, Strabo scribit.

Certus amor morum est: formam populabitur ætas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera caussa, dolor.
Sufficit, et longum probitas perdurat in ævum;
Fertque suos annos: hinc bene pendet amor.
Disce, age, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.
Hordea, quæ Libyci ratibus misere coloni,
Exsue de paleâ tegminibusque suis.
Par ervi mensura decem madefiat ab ovis:
Sed cumulent libras ordea nuda duas.
Hæc ubi ventosas fuerint siccata per auras;
Lenta jube scabrâ frangat asella molâ.
Et, quæ prima cadunt vivaci cornua cervo,
Contere: in hæc solidi sexta face assis eat.
Jamque ubi pulvereæ fuerint confusa farinæ,
Protinus in cribris omnia cerne cavis.

50. *Perque suos annos hinc bene pendet amor.*] Hæc nihili sunt. nec juvant libri veteres. Scribe nihilominus:

Longum probitas perdurat in ævum.
Fertque suos annos. hinc bene pendet amor.

Quintilianus, lib. ii. cap. iv. *Quare mihi maturitas ne festinet quidem, nec musta in lacu statim austera sint. sic annos ferent.* ita et *ætatem ferre*. Simile mendum insedit codices Valerii Flacci, lib. i. vers. 767. ubi pro, *Talia fert lacrymans;* perperam *per lacrymas* nunc legitur.. Heins. In Valerio nihil esse mutandum ad ipsum poëtam docebimus. hic tamen facile ferimus emendationem. vide quæ olim ad Petronii cap. 43. notavimus. hinc in glossis, προσβεβηκὼς τὴν ἡλικίαν *ovifer*. lege, *ævifer*. Burm.

55. *Par ervi.*] In Helmæstadiensi, *par orobi*, cum glossa, *ordei*. Græcis ervum ὄροβος dictum, unde minus thus *orobiam* dixerunt, teste Plinio, lib. xii. 14. ab ervi figura; Salmas. Exerc. Plin. pag. 361. et idem Plinius *orobiten* Chrysocollam ab ervi quoque similitudine, lib. xxxiii. 5. dictam ait. Heins.

60. *In hac.*] Lege, *in hæc* ex vetustis exemplaribus. *in hæc* igitur, scilicet *cornua*. Marius.

62. *In numeris omnia cerne suis.*] *In mundis*, legit Domitius Marius Niger ex suis libris, vel *innumeris*. quod et alii secuti sunt. *in numeris cavis* scripti nostri cum primâ editione præter duos, qui, *in numeris suis. in*

Adjice Narcissi bis sex sine cortice bulbos,
  Strenua quos puro marmore dextra terat:
Sextantemque trahat gummi cum semine Thusco.
  Huc novies tanto plus tibi mellis eat.
Quæcumque adficiet tali medicamine vultum;
  Fulgebit speculo levior ipsa suo.
Nec tu pallentes dubita torrere lupinos,
  Et simul inflantes corpora frige fabas.
Utraque sex habeant, æquo discrimine, libras:
  Utraque da nigris comminuenda molis.

numeris conde cavis, Neapolitanus. Lego:

In cribris omnia cerne cavis.

Ita medici passim loquuntur. Noster infra:

Per densa foramina cerne.

Hinc *succernere cribris* apud Plinium xvii. 10. et *cribris incernere* apud Columellam, lib. v. 6. Heins. Plin. xxxvi. 5. *Deinde tenui cribro cernitur, postea molitur, ac deinde tenuius cribratur.*

65. *Gummi.*] Casus est rectus. Ordo enim est: *Gummi cum semine Thusco trahat sextantem.* Hic est indeclinabile, et generis neutri *gummi.* Columella tamen, lib. 13. *Qualis est gummis*, inquit. Est autem gummis lachryma arborum conglutinata, ut persici, cerasi, et similium. Scribendum videtur *gummi* per duplex mm, nam Græci κόμμι dicunt. Fiebat in Italia (ut lib. 13. docet Plin.) e gummi [illegible]. Mar.

Semine.] Semen hic proprium est [illegible] genus, non dissimile farri, quod et [illegible] appellant, ex quo [illegible] fiebat, ut docet Plin. lib. 18. Mar.

Thusco.] Quia in Thuscia [illegible] [illegible]. Mihi tamen magis placeret, [illegible]. [illegible] est, [illegible] in [illegible] [illegible] exemplar, [illegible] [illegible]. Mar.

66. *Et novies.*] Legendum est, ut in manuscriptis exemplaribus legitur, *Huc.* id est, in hæc omnia quæ supra commemoravi. *Novies tanto plus:* hoc est, una libra cum dimidia: quod efficit novem sextantes, id est, uncias decem et octo. *Tanto,* scilicet sextante. Nam dixerat paulo ante; *Sextantemque trahat.* Mar.

70. *Et simul inflantis corpora frange sere.*] *Frugifera* scripti potiores. quomodo et ex suis Ciofanus notat. unus ex nostris, *frigefere.* Helmæst. *frange fere.* Ciofani unus, *fige fece.* Ipse Nigri emendationem probat, legentis, *inflantis corpora frange fabæ.* quod et Mycillus amplectitur, et Muretus. Ego diu est quod, insistens propriis vestigiis depravatæ lectionis, emendabam:

Et simul inflantes corpora frige fabas.

Nam *instantes* habebat codex unus Patavinus. *inflantes corpora* recte *fabas* dixit, quod nihil sit flatulentius [illegible] *inflantes corpora Deos.* Est autem *frigere*, idem quod *torrere.* Producit autem primam syllabam inde liquet, quod Nonius Marcellus observet, [illegible] significat erigit, corrigere [illegible]. quod non addidisset, si in *frigis* pro *torret* eundem [illegible] obscurare opinatus esset. Heins.

Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis
  Desit, et Illyricâ quæ venit iris humo.
Da validis juvenum pariter subigenda lacertis:
  Sed justum tritis uncia pondus erit.
Addita de querulo volucrum medicamina nido
  Ore fugant maculas: Halcyonea vocant.
Pondere, si quæris, quo sim contentus in illis;
  Quod trahit in partes uncia sexta duas.
Ut coëant, apteque lini per corpora possint,
  Adjice de flavis Attica mella favis.
Quamvis tura Deos, irataque numina placent;
  Non tamen accensis omnia danda focis.
Tus ubi miscueris radenti tubera nitro;
  Ponderibus justis fac sit utrimque triens.

73. *Nitri.*] *Vitri* editiones priscæ et scripti octo. nitrum fuci genus apud Theocritum initio Syracusanorum. Heins.

74. *Iris.*] Vid. Rhod. ad Scribon. Larg. cap. xliv. lxxxix. et alibi.

75. *Juvenum.*] Ancillarum. Mar.

76. *Sed justum.*] *Et* unus. Lege, *Quis justum tritis.* Heins.

77. *Addita de.*] Id est, adde. Sed rectius legeretur, *Addito de querulo.* Permisceto, inquit, et Halcyoneum medicamentum: de quo sic ait Plin. lib. 32. *Fit et mari Halcyoneum appellatum ex nidis (ut aliqui existimant) halcyonum et ceycum: ut alii, e sordibus spumarum crassescentibus: alii e limo, vel quadam maris lanugine. Quatuor ejus genera: cinereum spissum, odoris asperi: alterum molle lenius, odore fere algæ: tertium candidioris vermiculi: quartum pumicosius, spongiæque putri simile, pene purpureum. Quod optimum, id et Milesium vocatur: quo candidius autem, hoc minus probabile est.* Legendum ex altero Maff. *Addita de querulo,* &c. Ciof. Ego Ciofani lectionem recepi, quæ sententiam efficit rotundiorem, *Nidus querulus vero dictus* pro pullis. Glossæ veteres, Νέοσσος. *nidus, pullus. Querulas domos* dixit Claudian. præf. ad iii. Cons. Honor. vers. 5. Burm.

80. *Quas trahit.*] Legendum est ex vetustissimis exemplaribus *Quod,* scilicet pondus. Mar.

81. *Ut coëant apteque lini per corpora possint.*] *Lini* expone pro illini et inungi, non per lineas induci, ut commentatur. Micyl.

85. *Tubera.*] Male multi ex scriptis *radianti.* illud vero recte, quod quinque exhibent, *radenti tubera nitro.* Metam. viii. 808. *immodico prodibant tubere tali. tubera* hic posuit pro furunculis, papulis, pustulisque. de hac nitri vi vide Plinium, lib. xxxi. cap. x. *radere,* pro eradere. ut monui Amor. lib. iii. Eleg. ult. *radere tubera* etiam Juvenalis dixit, sed de terræ tuberibus. Heins.

Parte minus quartâ deréptum cortice gummi,
*Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum.
Hæc ubi contrîris, per densa foramina cerne:
Pulvis ab infuso melle premendus erit.
Profuit et marathros bene olentibus addere myrrhis;
Quinque trahant marathri scrupula, myrrha novem.
Arentisque rosæ quantum manus una prehendat,
Cumque Ammoniaco mascula tura sale.
Hordea quem faciunt illis adfunde cremorem.
Æquent expensas cum sale tura rosas.
Tempore sis parvo molles licet illita vultus;
Hærebit toto multus in ore color.
Vidi quæ gelidâ madefacta papavera lymphâ
Contereret, teneris illineretque genis.

* * * * * *

87. *Direptum cortice gummi.*] Lege *dereptum*, et vide quæ noto Amor. lib. i. El. v. 13. HEINS.

88. *Cibum.*] *Cubum* Ciofanus ex suis libris. quomodo et duo ex nostris. Sed Palatinus, *medium cubum*. *cubus* pro amphora ponitur apud Rhemnium, qui priorem producit. Amphora facit duas urnas. Hui! tantum myrrhæ! minus certe liberalis codex Palatinus, qui dimidiam cubo aufert partem. At Ciofanus pro tessera quadrata interpretatur. Ne illud quidem placet: ut dicat Ovidius myrrham addendam esse ad mensuram modicæ tesseræ. HEINS.

91. *Maruthos.*] Arbitror legendum, *Marathros*, ut fœniculum significet. Neque repugnat genus, cum pleraque ejusmodi nomina in *us* et in *um* declinata reperiantur. ut *Hissopus*, *Hissopum*, *Intybus et Intybum*, *Crocus* et *Crocum*, et id genus alia. MICYL.

92. *Quinque parent.*] Vetus lectio est, *parent*, ut sit modus imperativus. MAR. Muretus legit, *Quinque trahant*. quod verbum ad pondus mirifice accommodatur. Sic Græci utuntur verbo ἕλκειν. CIOF.

95. *Cremorem.*] *Cremor* id fortasse est, quod Dioscorides *κρέμνον* appellat. Cornelius Celsus *cremorem ptisanæ* pro succo fere accipit, ut hic Naso. MAR.

PUBLII OVIDII NASONIS

TRISTIUM

LIBRI QUINQUE

ET

EPISTOLARUM EX PONTO

LIBRI QUATUOR.

PUBLII OVIDII NASONIS

TRISTIUM

LIBER PRIMUS.

ELEGIA PRIMA.

PARVE, nec invideo, sine me, liber, ibis in urbem;
  Hei mihi! quo domino non licet ire tuo.
Vade, sed incultus, qualem decet exsulis esse;
  Infelix, habitum temporis hujus habe.
Nec te purpureo velent vaccinia fuco;
  Non est conveniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur;
  Candida nec nigra cornua fronte geras.

* In operibus quæ Ovidii sequuntur excudendis, visum est optimi textûs *Lemariani* fidem sequi.

Tristium.] Quia a tristi atque exsule poeta conscripti; materiamque habent tristem: neque hi ab illis, quos de Ponto, a loco, appellavit, quidquam differunt, nisi quod in his amicorum præfixit nomina, et in illis Tristibus non præposuit.

1. *Parve liber.*] Vel solam hanc elegiam, vel certe totum opus de Tristibus, aut, quod magis placet Ciofano, Pontano et aliis, primum librum intellige. *Nec invideo*, vel, non obsisto, non veto: vel potius, non doleo quod sis exiguus, quia non eris invidiæ.

3. *Qualem decet exsulis esse.*] Exsules enim in squalore erant.

4. *Hujus temporis.*] Quo, non sine luctu maximo, Tomis, longissime a patria, vitam suam Naso trahebat.

5. *Vaccinia.*] Vaccinia violas esse purpurei coloris, Servius scribit. Plinius vero scribit fruticem esse in Gallia purpureum, idoneum ad tingendum. *Illini* quoque *minio* habes apud Plinium, lib. xxiii. c. 7: *Enumerat actores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam triumphantiaque corpora.* "Perunctum cedro libellum" dixit Mart.

7. *Nec titulus minio.*] Inscriptiones et tituli elegantiæ causa fiebant rubrica, hoc est, minio, aut cinnabari. Gall. *Vermillon.* P. *Nec cedro charta notetur.* Cedrus arbor est, quæ cariem et vetustatem non sentit. Mer. Succo, aut oleo cedrino linebantur chartæ, diuturnitatis, et conservationis a carie, et odoris ergo. Plin. lib. xvi. cap. 29.

8. *Candida cornua.*] *Cornua* ap-

Felices ornent hæc instrumenta libellos:
Fortunæ memorem te decet esse meæ.
Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes,
Hirsutus passis ut videare comis.
Neve liturarum pudeat: qui viderit illas,
De lacrymis factas sentiet esse meis.
Vade, liber, verbisque meis loca grata saluta:
Contingam certe quo licet illa pede.
Si quis, ut in populo, nostri non immemor illic,
Si quis, qui, quid agam, forte requirat, erit;
Vivere me dices, salvum tamen esse negabis:
Id quoque, quod vivam, munus habere Dei.
Atque ita te cautus quærenti plura legendum,
Ne, quæ non opus est, forte loquare, dabis.

pellat superiorem et inferiorem chartæ partem: *frontem* vero nigram, ipsam paginam. Mer. Scribebant antiqui in altera tantum paginarum facie, perpetuo ductu, ad extremum usque folium: in quo firmitudinis gratia cylindrum, seu bacillum teretem, cedrinum vel eburneum agglutinabant, secundum latitudinem membranæ præcisæ, eumdemque nominabant umbilicum; quod sicut umbilicus in medio ventre, sic ille libro jam circumvoluto medius esset. Hujus bacilli capita, superne et inferne eminentia, argento, auro, aut ebore ornatus causa præmuniebant; et hæc *cornua* dicebant. Postea paginas instar spiræ convolutas complicabant, indeque *volumen* nominabant, a volvendo. Pont.

11. *Geminæ.*] Utramque chartæ planitiem intelligit, puta exteriorem, et interiorem. *Fragili pumice.* Erant autem pumices in usu poliendorum librorum gratia: laudatissimi sunt in Melo, Scyro, et Æoliis insulis: probatio in candore, et in minimo pondere, et ut quam maxime spongiosi atque aridi sint, ac teri faciles; unde Ovidius non immerito, *fragilem* appellavit.

12. *Sparsis comis.*] *Passis* editiones antiquæ, et inter scriptos codices multi: probe: nihil frequentius occurrit apud Nasonem. Hafniensis *comas* pro diversa lectione; ut usitato græcismo videatur reponendum:

Hirsutus passas ut videare comas.

Mox etiam *sentiet* meliores. Heins.

13. *Liturarum.*] Macularum. Ovid. Her. iii. 3.

Quascumque adspicies, lacrymæ fecere lituras.

16. *Pede.*] h. e. syllaba versus. Harles.

17. *Si quis, ut in populo, nostri,* &c.] Pro *Si quis* posteriori versu, quæ repetitio inconcinna est, si quid video, *Civis* rectius reponatur, utcumque membranis omnibus invitis. Heins. Mihi vero elegantius repetiisse videtur poeta, *si quis.* Harles.

20. *Dei.*] Augusti Cæsaris: nam eo usque processit ars assentatoria, vel potius politica, ut eum, quem noluerant regem accipere, Deum fecerint.

21, 22. *Teque ita tu tacitus.*] Scripti

rotinus admonitus repetet mea crimina lector;
Et peragar populi publicus ore reus.
Neu, cave, defendas, quamvis mordebere dictis:
Causa patrocinio non bona pejor erit.
Invenies aliquem, qui me suspiret ademtum,
Carmina nec siccis perlegat ista genis;
Et tacitus secum, ne quis malus audiat, optet,
Sit mea, lenito Cæsare, pœna minor.
Nos quoque, quisquis erit, ne sit miser ille, pre-
Placatos misero qui volet esse Deos: [camur,
Quæque volet, rata sint; ablataque principis ira
Sedibus in patriis det mihi posse mori.

Atque ita tu, vel *te:* codex Barberin. præterea, qui inter meliores est, *cautus* agnoscit; de quo mox videbimus: *tacitus* enim dici vix potest, quem loquentem inducit; et eadem vox paulo post iteratur minus concinne. HEINS. *Atque ita tu tacitus.* Ut ordo: atque ita tacitus quærenti plura, te legendum dabis: ne forte loquare ea, quæ non est opus loqui. Innuit autem tres de Arte amandi libros. *Ne, quæ non opus est, forte loquare, dabis.* Cave veteres nostri; et plerique *quod* pro *quæ:* primæ editiones, *Ne quod opus non est.* Puto:

Atque ita te cautus quærenti plura legendum,
Ne, quod non sit opus, forte loquare, dato. HEINS.

Ego putem *tacitus* esse retinendum; nam etsi loquentem induceret poeta librum, recte tamen *tacitus* dici potest, quum illa vox sæpe notet sine arbitris, sine teste. Dicit, si plura quis quærat, tu tacebis, sed dabis te legendum, ne forte loquaris, quod opus non est, id est, quod nocere posset tibi et mihi, domino tuo. BURM.

23. *Mea carmina.*] Meos libros amatorios: sed legimus cum Oberl. *mea crimina:* scripsisse amatoria, et nescio quid vidisse, duo sunt Nasonis peccata.

24. *Et peragar pluribus—reus.*] Et non tantum a Cæsare, sed etiam ab omnibus condemnabor. *Agere* enim *reum*, est reum accusare, reum facere, inter reos referre. *Publicus.* Ut qui in rempublic. commiserim: male *pluribus.*

29. *Malus.*] Qui continuo, quasi officii ergo, audita ad imperatorem deferat.

33. *Quæque volet; rata sint.*] Malim *Quæ vovet; o rata sint*, vel, *ah! rata sint. Ablata ira* immerito offendit Ciofanum, ut parum Latine dictum; nam *auferre iram* elegans non minus est, quam *auferre jurgium* apud Plautum, et apud Virgilium *metum auferre.* Posset tamen et *sublata ira* legi, vel *sedata*, vel denique *pacata*, quum *placata* sit in nonnullis, quod in superiori versu præcesserat. HEINS.

Volet.] h. e. valde cupiet. *velle* enim verbum proprium quasi esse precibus et obtestationibus, ubi favorem et studium quærimus, docet *Cortius* ad Cic. i. ep. 1. quare irrita erit conjectura Heinsii, *quæ vovet, o rata. Deos* autem intelligit Cæsarem et domum Cæsaream. HARLES.

34. Extra patriam mori, veteribus

Ut perages mandata, liber, culpabere forsan,
  Ingeniique minor laude ferere mei.
Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum
  Quærere: quæsito tempore tutus eris.
Carmina proveniunt animo deducta sereno:
  Nubila sunt subitis tempora nostra malis.
Carmina secessum scribentis et otia quærunt:
  Me mare, me venti, me fera jactat hyems.
Carminibus metus omnis abest: ego perditus en-
  Hæsurum jugulo jam puto jamque meo. [sem
Hæc quoque, quod facio, judex mirabitur æquus,
  Scriptaque cum venia qualiacumque leget.
Da mihi Mæoniden, et tot circumspice casus;
  Ingenium tantis excidet omne malis.

infaustum videbatur. v. Tibull. i. El. 3. Meursius ad Lycophr. v. 370. Harles.

35. *Ut perages.*] Ego *ut* pro quamvis hic, ut millies, capio: licet peragas, quæ mando, culpaberis tamen forte, et in te requirent ingenium domini tui: *ablata ira* etiam non mutem contra omnes libros; nam *placata* ex priore versu irrepsit. Burm.

37. *Ut res.*] Rem hic appellat negotium in cujus quæstione quæritur locus, tempus, modus, occasio. *Ita tempora.* Tempus hic est, opportunitas. Mer. *Judicis officium.* Digressio, qua sua carmina, quæ nulla animi tranquillitate nulloque satis commodo loco scripta esse ait, excusat. Cior.

39. *Deducta.*] Translatio a lana, quæ in tenuitatem deducitur.

40. *Tempora nostra.*] Quod prætulimus, tristia: sic Cicero multum sæpe isto vocabulo utitur: dicit etiam, *Valere temporibus;* quum nempe ex alterius incommodo sua quis capit commoda. *In turbido enim minus perspicue adparet, quid rerum agatur.*

42. *Hyems.*] h. e. tempestas in mari; hinc eleganter addit, *jactat:* in itinere enim librum hunc scriptum esse, ipse infra i. El. 10. 2. canit. *jactari* vero *ventis* et *undis* recte et eleganter dici, non *jactari terris*, docet Burm. ad Heroid. ii. 35. Harles.

43. *Abest.*] Abesse debet; namque alio distracta cura minime illa nequit expendere quæ ad legitimos versus requiruntur.

Ensem.] Vel ab inimicis exsulem persequentibus, vel a Scythis, qui maxime barbari metum injiciunt.

47. *Mæon.*] h. e. Homerum, qui etiam *Mæonius* dicitur vel a patre Mæone, vel ex aliorum sententia a Mæonia, Lydiæ regione. Harles.

Circumspice.] Heinsius scribendum censet *circumjice*, Burm. vero *circuminspice.* Ego vero in consensu librorum nihil mutandum arbitror; vocabulo præter ea bono aptoque. Considera omnes casus, quibus undique opprimor, his malis, etiam si quis Homerus esset, omnis vigor, naturalis illa carminis boni pangendi facultas, subito abibit, effluet aut, ut poeta graviter dixit, *excidet.* Harles.

Denique securus famæ, liber, ire memento;
Nec tibi sit lecto displicuisse pudor:
Non ita se nobis præbet fortuna secundam,
Ut tibi sit ratio laudis habenda tuæ.
Donec eram sospes, tituli tangebar amore,
Quærendique mihi nominis ardor erat.
Carmina nunc si non studiumque, quod obfuit, odi,
Sit satis: ingenio sic fuga parta meo.
I tamen, i, pro me tu, cui licet, adspice Romam:
Dî facerent, possem nunc meus esse liber!
Nec te, quod venias magnam peregrinus in urbem,
Ignotum populo posse venire puta.
Ut titulo careas, ipso noscere colore;
Dissimulare velis te licet esse meum.
Clam tamen intrato, ne te mea carmina lædant:
Non sunt, ut quondam plena favoris erant.
Si quis erit, qui te, quia sis meus, esse legendum
Non putet, e gremio rejiciatque suo;
Inspice, dic, titulum: non sum præceptor amoris:
Quas meruit, pœnas jam dedit illud opus.

54. *Quærendi nominis.*] Comparandæ famæ, sic lib. v. Eleg. xii. 39.

56. *Sic satis.*] Si *ingenio* cum Heumanno in casu dandi sumseris, quin hujus conjecturam, *sit satis ingenio nec*, probes, aut *fuga* pro exsilio explices, planior forte exsistet sensus: Olim gloriam laudis quæsivi, nunc vero ingenium, h. e. indoles aut canendi facilitas (vide Gifan. obss. L. L. p. 232, 233. ed. Altenb.) ita mutatum est, ut satis mihi sit, si id, quod obfuit, non odi. HARLES.

57. *I tamen, et pro me.*] *Tu tamen, i pro me* Polit. Vatic. et tres alii: alter Politiani, *I nunc et pro me.* Scribe, *I tamen, i, pro me;* qui sane venustior loquendi modus est.

58. *Nunc meus.*] Probe meliores libri magno numero *possem nunc meus esse liber:* eleganter, quod et in suis invenerat Naugerius. Vulgati perperam *posses non meus esse.* HEINS.

61. *Ipso colore.*] Nigro et lugubri habitu, et versibus quibus conscriptus es. M.

65. *Quod si meus.*] *Quia sis* meliores et recte: de quo alibi est dictum; Trist. lib. ii. 49. ex antiquis libris: *Utque tuus gaudet miles, quia vicerit hostem.* HEINS.

67. *Non sum præceptor amoris.*] Non tracto artem amandi, ut fratres mei tres: et ii. de Pont. El. x. 15.

Naso parum prudens artem dum tractat amandi,

Tantum ne noceas, dum vis prodesse, videto:
Nam spes est animi nostra timore minor.
Quæque quiescebat, ne mota resæviat ira,
Et pœnæ tu sis altera causa, cave.
Quum tamen in nostrum fueris penetrale receptus,
Contigerisque tuam scrinia curva domum,
Adspicies illic positos ex ordine fratres,
Quos studium cunctos evigilavit idem.
Cætera turba palam titulos ostendet apertos,
Et sua detecta nomina fronte geret.
Tres procul obscura latitantes parte videbis:
Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.
Hos tu vel fugias, vel, si satis oris habebis,
Œdipodas facito, Telegonosque voces.
Deque tribus, moneo, si qua est tibi cura parentis,
Ne quemquam, quamvis ipse docebit, ames.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
Nuper ab exsequiis carmina rapta meis:

105. *In nostrum penetrale.*] In nostrum cubiculum. Mer.

106. *Scrinia parva.*] *Curva* libri meliores magna ex parte. *Scrinia curva* Arculas. Hor. i. S. i. 120: *Ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes.* Burm.

107. *Fratres.*] Libros alios Ovidii.

108. *Quos studium.*] Quos eodem omnes studio, vigilia et cura genui.

111. *Tres.*] Illos dicit quibus artem amandi docuit: sicut et alii docuerant.

113. *Hos tu.*] Malo *Quos.* Sequenti versu pro *Telegonas*, quod nihili est, cum melioribus repone *Telegonos.* Heins. *Vel, si satis oris*, &c. Os Latinis non raro significat audaciam, impudentiam.

114. *Œdipodas Telegonosque.*] Similes Œdipo ac Telegono, ac per hoc parricidas; uterque enim patrem suum, quamquam nescientes, interfecerunt: ita illi me auctorem ac parentem suum in exsilium, quod mihi mortis instar, et morte etiam acerbius est, pepulerunt. Pont. C.

115. *Deque tribus.*] De tribus libris de Arte amandi. *Parentis.* Patris Ovidii; si tibi curæ et cordi est, et illum offendere vereris. *Si qua est tibi cura. Si qua tibi cura* cum tribus scriptis; quod mollius. Heins.

vv. 115, 116. Cl. de Medenbach Wakker. p. 119. pro spuriis habendi videntur: in præcedente, inquit, jam monitum erat ut libelli isti Œdipodes vel Telegoni vocarentur: inepte igitur additum, ne etiam amarentur. In v. 112. cum Fabro reponit: Hos, qui quod nemo nescit, amare docent.

117. *Sunt quoque mutatæ.*] Metamorphoseon opus intelligit.

118. *Ab exsequiis meis.*] A meo ex-

His mando dicas, inter mutata referri
Fortunæ vultum corpora posse meæ.
Namque ea dissimilis subito est effecta priori:
Flendaque nunc, aliquo tempore læta fuit.
Plura quidem mandare tibi, si quæris, habebam;
Sed vereor tardæ causa fuisse moræ.
Quod si, quæ subeunt, tecum, liber, omnia ferres,
Sarcina laturo magna futurus eras.
Longa via est; propera: nobis habitabitur orbis
Ultimus, a terra terra remota mea.

ELEGIA II.

Dî maris et cœli, quid enim nisi vota supersunt?
Solvere quassatæ parcite membra ratis:
Neve, precor, magni subscribite Cæsaris iræ:
Sæpe, premente Deo, fert Deus alter opem.

silio, quo consternatus poeta non potuit tanto operi postremam manum imponere; nam illo discessu e patria, quasi ad rogum visus est efferri.

120. Sens. Mea fortuna etiam mutata exemplum est similis metamorphoseos. HARLES.

125. *Et si quæ subeunt.*] *Quod si* cum uno Medic. et Hafniensi: mox pro *laturo* opt. Vatic. Polit. Palat. et quatuor alii *latori*; nescio an satis latine pro Augusti seculo: Sueton. tamen in Caligula, *latorem* pro tabellario dixit. HEINS.

128. *A terra terra remota mea.*] *Tua est* liber Servii. Lege *a terra tua*, quo tu properas: nisi *τὸ patria* excidit: *a patria terra remota mea*; quod verum puto; nam suam terram Pontum vocat alibi non semel. HEINS.

1. *Dî maris.*] Deos maris intelligit, Neptunum, Glaucum, Tritones, Palæmona, Phorcum; quos in quinto Æneid. libro eleganter Virgilius describit.

Supersunt.] Rariorem hanc constructionem pro *superest*, illustravit Burm. ad Metam. xiv. 396. HARLES.

2. *Quassatæ ratis.*] Ex Virgil. iv. Æneid. 53: *Quassatæque rates, et non tractabile cœlum.*

3. *Subscribite.*] h. e. confirmate, ratum habete: formula est a foro Romano desumta. Accusator enim secundarius, sive accusatoris adjutor dicebatur *subscriptor*, quia, quum accusator nomen rei defert, suum quoque nomen subscribit. v. Ernesti in clave Cicer. v. *subscriptor*, et A. Gell. N. A. ii. 4. HARLES.

Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo;
  Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Ænean propior Saturnia Turno;
  Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Ulyssem;
  Eripuit patruo sæpe Minerva suo.
Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis,
  Quid vetat irato numen adesse Deo?
Verba miser frustra non proficientia perdo:
  Ipsa graves spargunt ora loquentis aquæ;
Terribilisque Notus jactat mea dicta; precesque,
  Ad quos mittuntur, non sinit ire Deos.
Ergo îdem venti, ne causa lædar in una,
  Velaque nescio quo, votaque nostra ferunt?
Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
  Jam jam tacturos sidera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles!
  Jam jam tacturas Tartara nigra putes.

6. *Mulciber.*] Vulcanus sic dictus, quod *ignis sit, et omnia mulceat, ac domet.* Macrob. Sat. vi. 5. Verpoort. Harles.

6. *Pallas.*] Ipsa Venus, Æn. ii. a vers. 610, Æneæ suo Palladem, Junonem, Neptunum, Jovem ipsum ostendit urbem Trojam eruentes.

7. *Propior.*] Juno, Saturni filia, magis favens fuit Turno, ejus tutelam et curam gessit, quia Trojanos oderat. v. Gronov. i. obs. 24. et *propior* ab obsoleto *propis* vel *propus* esse videtur Vossio de Analog. ii. 26. in ejus arte grammatica, indeque *propitius*, quia, qui præsentes sunt et propinqui, auxilium ferre possunt, judice Vossio in Etymol. sub. h. v. Harles.

9. *Sæpe ferox cautum.*] Neptunus, iratus, quod Ulysses prius Palamedem nepotem insontem perdidisset, deinde Polyphemum filium occæcasset, decem annos per mare illum insecutus est: cui semper adfuit Pallas. Quod ideo finxit Homerus, quoniam ille comitem habuit prudentiam, quam poetico ritu Minervam nuncupavit: qua comite, omnia horrenda subiit, omnia adversa superavit. Paul.

10. *Patruo suo.*] Neptuno Jovis fratri; cujus erat filia Pallas.

19. *Montes—aquarum.*] Satis audacter dictum, ab Homero sumtum Odyss. γ'. 290, *Κύματά τε τροφόεντα, πελώρια, ἶσα ὄρεσσιν. Fluctusque tumidos, ingentes, æquales montibus.* Silius Ital. xvii. 256. sq. cum Ovidio componendus, ubi a Neptuno excitata tempestas describitur, et Drakenb. nota conferenda est. Harles.

21. *Diducto.*] Melior est hæc lectio, quam quorumdam *deducto.* *Diducere*

Quocumque adspicias, nihil est nisi pontus et aer;
  Fluctibus hic tumidis, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani turbine venti:
  Nescit, cui domino pareat, unda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu;
  Nunc Zephyrus sero vespere missus adest:
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto;
  Nunc Notus adversa prælia fronte gerit.
Rector in incerto est: nec, quid fugiatve, petatve,
  Invenit: ambiguis ars stupet ipsa malis.
Scilicet occidimus; nec spes, nisi vana, salutis:
  Dumque loquor, vultus obruit unda meos.

enim separationem notat, ut etiam hoc loco; separatis fluctibus navis demersa et in valles quasi dejecta subsidet: *deducere* autem est a summa parte trahere vel scindere. Conf. Burm. ad Ovid. Amor. i. 7. vers. 48. *de* autem et *di*, in libris sæpe confundi, jam observavi ad Cellarii Orthogr. p. 25. Harles.

24. *Tumidis.*] *Tumidus* Burm.

25. *Fremunt immani murmure venti.*] *Turbine* duodecim veteres; ut apud Virg. Æn. lib. vi. 594: *præcipitemque immani turbine adegit.* Heins.

Minas—fremunt.] Poetas rebus inanimatis ea, quæ de rebus animatis proprie dici possunt, attribuere, multis exemplis ad Catull. iv. 611. in Chrestom. lat. poetica docui. Harles. Hoc vult illud Aristotelis "πρὸ ὀμματῶν." vide Rhet. l. 3. *Immani turbine.* Magna ventorum volubilitate, nec sine fragore, proxima quæque prosternente. Apuleius de Mundo: *Turbo enim dicitur, qui repentinis flabris prosilit, atque universa perturbat.*

26. *Nescit, cui domino.*] Hinc Lucanus videtur sua habuisse, lib. v. vers. 602, *Et dubium pendet, vento cui concidat, æquor;* ubi, *cui pareat* legendum esse, docuit Broukhus. ad Tibull. i. x. 9.

28. *Sero vespere.*] *Sacro* Junian.

29. *Sicca Arcto.*] Id est, *æquoris experte*, ut alibi loquitur; vel revera sicca, ut *siccos Aquilones* dixit, lib. iii. Eleg. x. 53; Manilius, lib. i: *Alter ab excelso decurrens limes Olympo Serpentis caudam, siccas et dividit Arctos.* Tres tamen antiqui *Scythica Arcto.* Heins.

30. *Nunc Notus adversa prælia fronte gerit.*] Sic *venturi prælia venti* Virg. Quod Æschyl. pulchre in Prometh.—σκιρτᾷ δ' ἀνέμων—Πνεύματα πάντων εἰς ἄλληλα—Στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα. *Alpini Boreæ, nunc hinc, nunc flatibus illinc—inter se certant;* Virg. iv. Æn. 442. Id quod ex perenni fonte: Ὡς δ' ἄνεμοι δύο Πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα, Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρήκηθεν ἄητον Ἐλθόντ' ἐξαπίνης, &c. Homerus, Iliad. i. a versu 4.

33. *Nec spes est ulla salutis.*] *Nec spes, nisi vana, salutis* Combianus liber, multo numerosius: legebam aliquando, *nec spes super ulla saluti est.*

Opprimet hanc animam fluctus; frustraque precanti
  Ore necaturas accipiemus aquas.
At pia nil aliud quam me dolet exsule conjux:
  Hoc unum nostri scitque gemitque mali.
Nescit in immenso jactari corpora ponto;
  Nescit agi ventis; nescit adesse necem.
Dî bene, quod non sum mecum conscendere passus,
  Ne mihi mors misero bis patienda foret!
At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
  Dimidia certe parte superstes ero.
Hei mihi! quam celeri micuerunt nubila flamma!
  Quantus ab ætherio personat axe fragor!
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
  Quam grave balistæ mœnia pulsat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes;
  Posterior nono est, undecimoque prior.
Nec letum timeo: genus est miserabile leti.
  Demite naufragium, mors mihi munus erit.

36. *Ore necaturas accipiemus aquas.*] Bona locutio; sic Virg. vi. Æneid. 413:

Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, et multam accepit rimosa paludem;

et iii. Æn. 242.

Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt.

41. *O bene.*] *Dî bene* octo aut novem ex melioribus; ita Statius, Claudianus, Ausonius, et alii: quomodo et *Dî melius* et *Dî meliora.* Heins.

43. *At nunc ut peream.*] Quamvis naufragio mihi vita adimatur, incolumi mea uxore, vivere quidem mihi videbor. Ciof.

48. *Grave onus balistæ.*] Gravia pondera et saxa, quæ vibrantur balistis. Est autem *balista*, tormentum, quo saxa majora et graviora mittuntur: vide Vitruv. lib. x. cap. 16; Veget. lib. iv. cap. 22.

50. *Posterior nono est, undecimoque prior.*] Fluctum intelligit, quem poetæ *decimum* sive *decumanum* appellant, qui maximus esse solet. Unde *decumanam* etiam *portam* in castris maximam, et ab hoste aversam, appellat Livius: vide et Politian. in Miscellan. vi.

51. *Non letum timeo.*] *Nec* scripti. Heins. *Genus est miserabile leti.* Grave enim (ut docet Homerus) perire naufragio: quia anima ignea est, et extingui videtur in aqua, elemento contrario; tum quia sic morientes piscibus esca fiunt, nec tumulo mandantur. Amar. Vide et Aristot. Eth. Nic. lib. 3. c. 6.

52. *Mors mihi munus erit.*] Seneca in Agam. *Mors mihi erit securitas.*

Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem
In solita moriens ponere corpus humo:
Est mandata suis aliquid sperare sepulcra,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.
Fingite me dignum tali nece: non ego solus
Hic vehor: immeritos cur mea pœna trahit?
Proh Superi, viridesque Dei, quibus æquora curæ!
Utraque jam vestras sistite turba minas.
Quamque dedit vitam mitissima Cæsaris ira,
Hanc sinite infelix in loca jussa feram.
Si, quam commerui, pœnam me pendere vultis,
Culpa mea est, ipso judice, morte minor.
Mittere me Stygias si jam voluisset ad undas
Cæsar, in hoc vestra non eguisset ope.
Est illi nostri non invidiosa cruoris
Copia: quodque dedit, quum volet, ipse feret.
Vos modo, quos certe nullo puto crimine læsos,
Contenti nostris, Dî, precor, este malis.
Nec tamen, ut cuncti miserum servare velitis,
Quod periit, salvum jam caput esse potest.
Ut mare considat, ventisque ferentibus utar,
Ut mihi parcatis; num minus exsul ero?

53. *Est aliquid, fatoque suo ferroque cadentem.*] *Cadenti* duo veteres; forte *cadentis:* reliqui fere *cadendum*, pro *cadentum*. Mortui enim non ponunt se in terra, sed ponuntur. Lege etiam *fatove suo ferrove* quæ eo spectant, ut mortem spontaneam a violenta distinguat. Sequenti versu in plurimis *solita humo* pro *solida:* hoc est, quod Tristium lib. iv. El. iii. 46. dicit, *tactam nascenti humum*. Heins.

58. *Hic vehor.*] *Huc* plurimi scripti et editi: forte, *hac*, scilicet, navi. Notum est, unum noxium, sæpe exitium aliis, eadem navi vectis, creditum concitare posse; vide ad Hor. iii. Od. ii. v. 25. sqq. Burm. Notissima Jonæ historia.

60. *Utraque turba.*] Et cœli et maris Dii. Mer.

62. *In loca jussa*, &c.] In Ponticam oram.

67. *Cruoris copia.*] Mortis meæ potestas, quæ penes Cæsarem est, &c. Ciof.

68. *Quodque dedit.*] Vitam quam mihi concessit Augustus. *Feret.* Adimet, eripiet.

73. *Ut mare subsidat.*] *Considat* meliores omnes, et mox *num minus*

Non ego, divitias avidus sine fine parandi,
Latum mutandis mercibus æquor aro:
Nec peto, quas quondam petii studiosus, Athenas;
Oppida non Asiæ, non loca visa prius:
Non ut, Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile jocose, tuas.
Quod faciles opto ventos, quis credere possit?
Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt.
Obligor, ut tangam lævi fera litora Ponti;
Quodque sit a patria tam fuga tarda, queror.

pro *non* repone, de quo ad Epistolam Canaces. Heins. *Ventis ferentibus.* Ventis secundis et portantibus me in Ponticam regionem.

76. *Aro.*] Navigo. Virg. *Et vastum maris æquor arandum.*

78. *Oppida non Asiæ, non mihi visa prius.*] *Non loca visa prius* cum castigatioribus. Asiam enim viderat cum Maximo; Pont. lib. ii. Eleg. x. vers. 21: *Te duce, magnificas Asiæ perspeximus urbes.* Notavit hanc quoque lectionem ex suo codice in Observationibus doctissimus Gronovius. Heins. *Oppida non Asiæ.* Meruit enim sub M. Varrone, et cum eo in Asiam profectus est.

79. *In urbem Alexandri.*] Alexandriam intelligit, quam in Ægypto conditam de suo nomine appellavit. Mer. Eam luxui, ludis et jocis, ac vitæ molli et voluptariæ deditam fuisse, indicat Quintil. lib. i. ubi nimiam parentum erga liberos indulgentiam accusat. N.

80. *Tuas delicias.*] Tuos jocos. *Nile jocose.* Nilum ideo *jocosum* appellat, quoniam Canopi erat Serapidis templum, quod ab Alexandria 20 stadiis distabat. Eo ingens ex Alexandria turba per fossam ad solennia descendebat. Nam die ac nocte naviculis plena erat virorum ac mulierum, impudenter canentium ac saltantium, cum omni dissolutione; a quorum jocis poeta *Nilum jocosum* appellavit: quin totam Ægyptum fuisse his moribus, indicat Martial. lib. iv. xli. 6.: *Nequitias tellus scit dare nulla magis.*

81. *Quod facile est opto ventos.*] Lege *faciles ventos* vel sine adsensu veterum librorum: *possit* pro *posset* scripti. Præterea forte scribendum, *Quo faciles.* Amor. lib. iii. El. ii. vers. 37. *Vis tamen interea faciles arcessere ventos?* Heins.

82. *Tellus Sarmatis.*] Sarmatia, regio est, cujus pars sita est in Europa, pars vero in Asia. Illud notandum, *Sarmatas* a Romanis, a Græcis *Sauromatas* appellari. Eos nunc Polonos appellamus. *Vota; vela* omnes fere scripti, et editi nonnulli: et certe mox *vota* sequuntur.

83. *Obligor.*] N. votis, pro felici adpulsu ad Scythicam terram susceptis. Pro itu vero et reditu a veteribus vota fuisse nuncupata, a pluribus jam est explicitum vide: cl. Emrichii, Rectoris Meiningensis, Commentatt. quatuor de votis veterum Romanorum pro itu ac reditu. Ienæ, 1759, 1760. Weissii Diss. de numinibus vialibus. Lipsiæ, 1725. Harles.

Nescio quo videam positos ut in orbe Tomitas,
Exilem facio per mea vota viam.
Seu me diligitis, tantos compescite fluctus,
Pronaque sint nostræ numina vestra rati:
Seu magis odistis, jussæ me advertite terræ;
Supplicii pars est in regione mei.
Ferte, quid hic facio? rapidi mea carbasa venti:
Ausonios fines cur mea vela vident?
Noluit hoc Cæsar: quid, quem fugat ille, tenetis?
Adspiciat vultus Pontica terra meos.
Et jubet, et merui: nec, quæ damnaverit ille,
Crimina defendi fasve piumve puto.
Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt,
A culpa facinus scitis abesse mea.

85. *Tomitas.*] Tomos urbs fuit in Getico litore: sic dicta, quoniam illic Medea fratrem trucidavit. Mer.

86. *Exilem.*] Heinsius interpretatur brevem, compendiosam, de qua significatione et potestate merito dubitat Burmannus, qui ideo novam fingit lectionem: *Exsilio facio per mea vota viam*, h. e. precor et voveo, ut mihi via sit facilis et prona ad Tomitas, ubi exsulare debeo: *facere viam* est per obstantia quasi perrumpere, et obvium apud nostrum; adde Gesner in thesauro L. L. v. *via*. Francius corrigebat *exiguam viam*. Sed forsan nihil mutandum est, si *exilem* interpreteris, calamitosam, aut horridam, sterilem. Loca hujus significationis dabunt Gifanius in Obss. L. L. pag. 180. Altenb. 1762. et Gesner libr. mem. v. *exilis*, cui etiam *exiles* videntur primum dicti vel homines vel canes valde substrictis ilibus. Hac ego prima significatione motus, et quia etiam legebatur in libris *exilii*, suspicor, annon scripserit Ovidius, *exilis*, h. e. opibus et libertate Romana exutus. Harles.

87. *Seu me.*] *Si me* edidit Gryphius, Micyllus, et quidam alii.

89. *Jussæ me advertite terræ.*] Sic Virgil. v. 34: *Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.*

90. *Supplicii pars est in regione mori.*] *Hac regione* quinque veteres. Scripserat, puto, Ovidius: *Supplicii pars est in regione mei*: hoc est quod lib. iii. El. x. vers. 77. dicet:

Ergo tam longe pateat quum maximus orbis,
Hæc est in pœnam terra reperta meam? Heins.

92. *Ausonios fines.*] Italiæ fines. Vi enim tempestatis referebantur in Italiam relicto priori cursu.

96. Olim legebatur *fasve piumque*, quia vero *fas* idem est, quod *pium*, Burmannus Regii codicis scripturam recepit in textum: *jusve piumve.* Harles.

Immo ita; vos scitis, si me meus abstulit error,
  Stultaque mens nobis, non scelerata fuit;
Quamlibet e minimis, domui si favimus illi;
  Si satis Augusti publica jussa mihi;
Hoc duce si dixi felicia secula; proque
  Cæsare tura pius Cæsaribusque dedi;
Si fuit hic animus nobis; ita parcite, Divi.
  Sin minus; alta cadens obruat unda caput.
Fallor? an incipiunt gravidæ vanescere nubes,
  Victaque mutati frangitur ira maris?
Non casus, sed vos sub conditione vocati,
  Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

101. *Quod licet e minimis.*] Lege *Quamlibet* cum tribus scriptis, et vide quæ notamus ad Ep. vi. 140. Tres alii *Quam licet*, quinque *qua licet;* alii aliter. Heins.

102. Mira est hujus loci lectio et interpretatio. Vulgarem lectionem interpretatur Verpoort: si semper obtemperavi mandatis Augusti. Sed Heinsius e vestigiis variarum lectionum ita restituisse sibi visus est versum. *Si laris Augusti publica visa salus.* Facilior vero est emendatio Burmanni, quem consules.

Si patris Augusti publica visa salus. Harles.

103. *Si dixi felicia secula.*] *Duxi* major veterum pars; nil mutandum. Met. xii. 217: *felicem diximus illa Conjuge Pirithoum.* Heins.

104. *Cæsaribusque.*] Tiberium, ejusque filios Germanicum Drusumque intelligit.

105. *Ita.*] Usus hujus particulæ non adeo frequens est hoc loco observandus: et est particula illativa, s. consecutiva, more Græcorum, qui *οὕτως*, pari modo eleganter et sæpius usurpant, licet propositio quædam causalis præcesserit, ut docuerunt Perizon. ad Ælian V. H. I. 16. pag. 25. ed Gronov. et Krebs V. C. in Obss. in N. T. ad Ioan iv. 6. p. 143. nisi, mutata interpunctione, legeris; *si fuit hic animus nobis ita; parcite,* atque hoc modo *ita* eleganter adhibetur. v. Cortium ad Sallust. b. Cat. c. 14, pag. 99. et ad Cicer. ad Famil. xiii. 42. 4. Harles.

107. *Evanescere.*] *Vanescere* meliores. Heins.

109. *Non casu vos, sed sub conditione vocati.*] Nihil turbatius hisce numeris. Primo *casus* scribendum cum vetustis quinque, ut Met. xiv. 162. *quis te casusve Deusve Servat, Achæmenide?* deindi plurimi, *sed vos sub conditione:* longe rectius, fragmentum meum, *sed, o vos sub conditione.* Scribe: *Non casus, sed ea vos conditione vocati.* Heins.

ELEGIA III.

Quum subit illius tristissima noctis imago,
  Quæ mihi supremum tempus in urbe fuit;
Quum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui;
  Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
Jam prope lux aderat, qua me discedere Cæsar
  Finibus extremæ jusserat Ausoniæ.
Nec mens, nec spatium fuerant satis apta paranti:
  Torpuerant longa pectora nostra mora.
Non mihi servorum, comitis non cura legendi;
  Non aptæ profugo vestis opisve fuit.
Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
  Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ.
Ut tamen hanc animo nubem dolor ipse removit,
  Et tandem sensus convaluere mei;
Adloquor extremum mœstos abiturus amicos,
  Qui modo de multis unus et alter erant.
Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
  Imbre per indignas usque cadente genas.

2. *Quæ mihi.*] Omnes fere scripti, *qua*; unus etiam, *quod*.

3. *Tot mihi cara.*] Patriam, uxorem, domum, amicos, urbem, &c. Ciof.

4. *Tunc quoque.*] *Nunc quoque* Rottendorph. rectius. Heins.

7. *Fuerat satis apta parandi.*] *Fuerant* eleganter Barberin. *paranti* liber Petri Servii; *piandi* pro diversa lectione Combianus. Richelianus *paratu* pro paratui, quod verum puto. Heins.

9. *Comites non cura legendi.*] *Comitis* Barberin. et pro diversa lectione Gottorphianus, optime: *comes*, pro comites. Heins.

13. *Animi nubem dolor ipse removit.*] Malim *animo* ut Puteanus; lib. viii. Met. 157, ex antiquis membranis: *Destinat hunc Minos thalamo removere pudorem.* Heins.

14. *Et tandem sensus convaluere mei.*] Sic Cæs. 8. B. G. *Animos consolatione sanat.* Et eleganter Sueton. in August. *Annona convaluit. Convaluere.* Cœperunt resipiscere. Mer.

16. *Qui modo de multis.*] Inter eos qui in amicitiæ officio manserant, Carum, Celsum et Maximum enumerat, lib. iii. Eleg. v.

17. *Flens acrius.*] Ita conjunge hæc duo verba. Ciof.

Nata procul Libycis aberat diversa sub oris,
  Nec poterat fati certior esse mei.
Quocumque adspiceres, luctus gemitusque sonabant;
  Formaque non taciti funeris intus erat.
Femina, virque, meo pueri quoque funere mœrent;
  Inque domo lacrymas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in parvo grandibus uti,
  Hæc facies Trojæ, quum caperetur, erat.
Jamque quiescebant voces hominumque canumque,
  Lunaque nocturnos alta regebat equos:
Hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens,
  Quæ nostro frustra juncta fuere Lari:
Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
  Jamque oculis nunquam templa videnda meis,
Dîque relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,
  Este salutati tempus in omne mihi;
Et quamquam sero clypeum post vulnera sumo,
  Attamen hanc odiis exonerate fugam;

19. *Nata.*] Filia Perilla, quæ virum in Africam secuta fuerat.

29. *Et adhuc Capitolia cernens.*] *Et ab hac* repone cum plerisque antiquis, hoc est, postquam hanc adspexi: sic frequenter loqui amat Noster. Heins.

30. *Quæ nostro frustra.*] Frustra, inquit, quia nobis non profuerunt, quum præsentia numinum, ea inhabitantium, vicinos quoque tueri debuisset. Lares credebantur custodire domos, quibus focus erat sacer: ideo et Larium nomine et focus et universa domus vocari cœpta est. Pont. Vide et Gyrald. Syntag. 15.

31. *Numina vicinis.*] Jovem Capitolinum, et cæteros designat, qui in Capitolio colebantur. Unde Manlius apud Liv. vi. 16. ita inquit: *Jupiter optime maxime, Junoque regina, ac Minerva, cæterique dii, deæque, qui Capitolium, arcemque incolitis.* Vale dicit ergo et diis et loco.

33. *Alta.*] Vel propter septem colles, in quibus Roma posita fuit, vel propter alta ædificia, vel denique propter imperium (Trist. i. 5. 69.) sic dicta. Quid si legeris, *alma?* hæc urbs, quæ ipsum huc usque aluit. Servius ad x. Æn. Virg. *Alma proprie tellus est, ab eo, quod nos alat: abusive etiam aliis nominibus hoc epitheton datur.* Harles.

35. *Clypeum.*] Deorum præsidium, clypeum appellat. Ad tutelam vestram citius et ante vulnera, seu ante damnationem meam confugere me oportebat, ut ab exsilio me conservaretis. Pont.

Cœlestique viro, quis me deceperit error,
  Dicite; pro culpa ne scelus esse putet.
Ut, quod vos scitis, pœnæ quoque sentiat auctor:
  Placato possum non miser esse Deo.
Hac prece adoravi Superos ego; pluribus uxor,
  Singultu medios præpediente sonos.
Illa etiam, ante Lares passis prostrata capillis,
  Contigit exstinctos ore tremente focos:
Multaque in aversos effudit verba Penates,
  Pro deplorato non valitura viro.
Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat,
  Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.

37. *Cœlesti viro.*] Augusto: qui et vivus et mortuus divinos meruit honores.

39. Variæ sunt conjecturæ variaque hujus versus lectio. Vetus ed. *Ut vos sentitis, pœnæ quoque sentiat auctor.* et Merula *pœnæ auctor* bene explicat: Augustus, auctor exsilii. Heinsius conjicit. *Ut, quod vos scitis* (ita enim plerique veteres) *pœnæ quoque si sciat auctor, Placato possim*—aut, *Ut, quod vos scitis, pœnæ quoque resciat auctor.* Burmann. vero: *Utque ea vos scitis, pœnæ ne nesciat auctor.* Forsan vero voc. *pœnæ* adscriptum fuit in ora cujusdam codicis ad interpretationem *τοῦ auctor*, et deinceps mutavit antiquam lectionem, quæ forte fuit. *Ut*, (h. e. quamvis) *quod vos scitis*, dure *quoque sentiat*, (aut *censeat*) *auctor.* Quamquam Augustus durum de me tulit judicium, tamen, illo placato, miser esse non possum. Harles.

42. *Singultu medios præpediente sonos.*] Lacrymis verba impedientibus; sic in Rem. Am. vers. 598:

Ruptaque singultu verba dolentis erant.

—*Medios sonos.* Media et imperfecta verba. Heins.

44. *Exstinctos focos.*] Quidam scripti cum editis nonnullis *exstructos*: *æternos* primus Vatic. et sex alii; unus Vatic. *externos*: lege *hesternos*. Virg. viii. vers. 542:

Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem: parvosque Penates
Lætus adit.

Quamquam in nonnullis vetustissimis libris *externumque Larem* illic legitur, quam scripturam damnat Servius, et *hesternum Larem* interpretatur *cui pridie sacrificaverat*; sed et *exstincti foci* recte se habent, nam *ignis exstinguebatur* in exsilium ituris. Vossianus *antiquos*, ut lib. iv. Fastorum, 410:

Detis et in veteres turea grana focos.

Heins.

45. *In adversos effudit verba Penates.*] Scribe *in aversos.* Horatius, lib. iii. Od. xxiii:

Mollibit aversos Penates
Farre pio et saliente mica. Heins.

Effudit. Quia nihil profecit, adversis et aversis Penatibus. Pont.

48. *Versaque ab*, &c.] Auroram designat, qua Plaustrum cœleste in orientem vertitur.

Parrhasis Arctos.] Hodie Ursa major.

Egredior, sive illud erat sine funere ferri,
  Squallidus immissis hirta per ora comis.
Illa, dolore mei, tenebris narratur obortis,
  Semianimis media procubuisse domo.
Utque resurrexit, fœdatis pulvere turpi
  Crinibus, et gelida membra levavit humo;
Se modo, desertos modo complorasse Penates,
  Nómen et erepti sæpe vocasse viri;
Nec gemuisse minus, quam si natæve meumve
  Vidisset structos corpus habere rogos;
Et voluisse mori; moriendo ponere sensus;
  Respectuque tamen non posuisse mei.
Vivat, et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
  Vivat, et auxilio sublevet usque suo!

qui pugnantes inter se adfectus conjungit.

89. *Sine funere ferri.*] Meus ille discessus fuit quasi elatio mei vivi ad sepulturam, citra mortem.

90. *Per ora hirta.*] Per faciem barbatam: in luctu enim capillum et barbam non tondebant. MER.

91. *Gravis.*] Restituit Burm. nam edit. vet. aliique libri et ipse Heinsius *dolore mei*, quod haud latine dictum videtur Burmanno. HARLES.

92. *Media.*] Infirmitatem mulieris, quæ in cubiculum venire non potuit, sed media domo procubuit, hæc lectio pulcrius pingit, quam Heinsii conjectura, *vidua*, quamquam valde probabilis. Ovid. Her. i. 81:

Me pater Icarius viduo *discedere lecto*
Cogit. HARLES.

95. *Deplorasse Penates.*] *Complorasse* plurimi veterum, quomodo etiam ad Sylvas Statii Gronovius. HEINS.

100. *Non periisse mei.*] Quatuor *voluisse*; unus Gallicus *posuisse*: bene, nisi *valuisse* malis. HEINS.

102. *Vivat.*] Non placet interpretibus hujus vocabuli repetitio. Quare Dan. Heinsius conjecit *juvet*; Nic. Heinsius, *di dent aux.* aut *di facite aux.* aut *di date ut aux.* quod minime placet. Burman. *servet et auxil.* Meam addere liceat conjecturiolam: *Vita atque auxilio.* Vita sublevet, h. e. dum scio, illam vivere, in exsilio mihi erit solatio. HARLES.

Nec mora; sermonis verba imperfecta relinquo,
Complectens animo proxima quæque meo.
Dum loquor, et flemus, cœlo nitidissimus alto,
Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.
Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam;
Et pars abrumpi corpore visa suo est.
Sic Priamus doluit, tunc quum in contraria versus
Ultores habuit proditionis equus.
Tum vero exoritur clamor gemitusque meorum,
Et feriunt mœstæ pectora nuda manus;
Tum vero conjux, humeris abeuntis inhærens,
Miscuit hæc lacrymis tristia dicta suis:
Non potes avelli: simul ah! simul ibimus, inquit,
Te sequar, et conjux exsulis exsul ero.
Et mihi facta via est: et me capit ultima tellus:
Accedam profugæ sarcina parva rati.
Te jubet e patria discedere Cæsaris ira;
Me pietas: pietas hæc mihi Cæsar erit.
Talia tentabat, sic et tentaverat ante;
Vixque dedit victas utilitate manus.

75. *Sic doluit Priamus*, &c.] *Sic doluit Metius* Combianus et unus Bononiensis, quod Naugerius quoque videtur probasse in priori editione, secutus illos qui legunt præterea, *in contraria versos equos*. Si de Priamo intelligamus, malim *in contraria versæ proditionis* legi, ut ad raptum Helenæ alludat; nam *rapto* est in uno codice. Sed comparatio parum ad rem facit, quocumque modo legas. Metii autem injecta mentio plane præter rem est. Quare certus sum hoc distichon ab illa manu esse, quæ sæpius adparet per hos libros, parum tempestiva; habebat autem in mente superiora ista, *Hæc facies Trojæ, quum caperetur, erat*, quisquis hos versus confixit. Heins. Cui assentitur Harlesius.

83. *Ultima tellus.*] Scythica et septemtrionalis regio. Vel potius, quia eo in loco Ovidius navem conscendit. Ciof.

85. *Te jubet a patria.*] *E patria* multi. Heins.

86. *Me pietas: pietas.*] Summam atque incredibilem movet commiserationem; quasi dicat, ego volens abibo, non imperio Cæsaris. Sed *pietas* quæ *Cæsar* est, vix mihi probanda videtur: nam si pietas uxoris tangit exsulis animum, et solari potest, alio sensu, scilicet indignatione nomen Cæsaris adficere debet. Malus est ingenii lusus,

Navita, confessus gelido pallore timorem,
Jam sequitur victam, non regit arte, ratem.
Utque parum validus non proficientia rector
Cervicis rigidæ fræna remittit equo;
Sic, non quo voluit, sed quo rapit impetus undæ,
Aurigam video vela dedisse rati.
Quod nisi mutatas emiserit Æolus auras,
In loca jam nobis non adeunda ferar:
Nam procul Illyriis læva de parte relictis,
Interdicta mihi cernitur Italia.
Desinat in vetitas, quæso, contendere terras,
Et mecum magno pareat aura Deo.
Dum loquor, et cupio pariter timeoque revelli,
Increpuit quantis viribus unda latus!
Parcite, cærulei, vos parcite, numina ponti;
Infestumque mihi sit satis esse Jovem.
Vos animam sævæ fessam subducite morti;
Si modo, qui periit, non periisse potest.

13. Rector dicitur qui et equos aut currus, et navem regit. v. Burm. et Drakenb. ad Sil. Ital. xvii. 138. multi enim veteres legerant *Victor*. *Auriga* vero (v. 16.) pro navis gubernatore, poni rarius est et insolentius: eadem tamen metaphora, qua *currus* pro nave, *currere* pro navigare; nec caret exemplis a Burmanno laudatis. HARLES.

19. *Nam procul Illyriis.*] Hinc potest colligi, non id de mari Thusco, quod etiam Ionium appellatum diximus, intelligendum esse, ut quidam falso existimarunt; sed de magno, prope Illyriam, quam Ovidius in Pontum navigans, a læva habuit: sed mutatis, ea a dextra, a fronte Italia sita erat, ad quam vi tempestatis ferri videbatur.—Alii *Illyricis*; male: ut enim *Hispaniæ*, *Galliæ*, &c. ita et *Illyriæ* dicebantur. Sic apud Propertium, lib. ii. Eleg. 13:

Dic alias iterum naviget Illyrias.

22. *Pareat illa Deo.*] Quæ illa? plurimi veterum *unda*. Sed probo et sequor τὸ *aura*, quod in decem castigatioribus offendi. HEINS.—*Deo*; *Augusto*: voluit enim me in Scythiam proficisci, et in Italiam non redire.

28. *Si modo qui periit.*] Si modo ego tanquam mortuus, relegatus ad Sarmatas. *Potest non periisse.* Si perditus servari potest.

ELEGIA V.

O MIHI post ullos nunquam memorande sodales,
 O cui præcipue sors mea visa sua est;
Adtonitum qui me, memini, carissime, primus
 Ausus es adloquio sustinuisse tuo;
Qui mihi consilium vivendi mite dedisti,
 Quum foret in misero pectore mortis amor;
Scis bene, cui dicam, positis pro nomine signis;
 Officium nec te fallit, amice, tuum.
Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis,
 Perpetuusque animæ debitor hujus ero.
Spiritus et vacuas prius hic tenuandus in auras
 Ibit, et in tepido deseret ossa rogo,
Quam subeant animo meritorum oblivia nostro,
 Et longa pietas excidat ista die.
Di tibi sint faciles, et opis nullius egentem
 Fortunam præstent, dissimilemque meæ.
Si tamen hæc navis vento ferretur amico,
 Ignoraretur forsitan ista fides.
Thesea Pirithous non tam sensisset amicum,
 Si non infernas vivus adisset aquas:
Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
 Fecerunt furiæ, tristis Oresta, tuæ.

6. *Quum foret in misero pectore mortis amor.*] Conf. lib. iii. El. viii. vers. 39, 40. Celsus, quem inter paucissimos illos enumerat, qui ab ejus amicitia non discesserant, effecit, ut manus a seipso abstinuerit; lib. i. de Ponto, El. ix. 21.

O quoties, vitæ custos invisus amaræ,
 Continuit promtas in mea fata manus.

7. *Positis pro nomine signis.*] Veretur poeta amici nomen exprimere, propter Augustum.

11. *Spiritus hic vacuas prius extenuandus* habent quidam. Prius me vita deficiet: prius moriar. Burm.

20. *Aquas infernas.*] Fingunt enim poetæ, ad rapiendam Proserpinam, inferos adiisse Theseum ac Pirithoum.

21. *Phocæus.*] Pylades, filius Strophii, qui rex Phocidis fuit.

Phoceus.] h. e. Pylades, a Φωκεύς, Phocensis, aut a Phoco, ejus proavo. hinc minus recte scribitur *Phocæus*, qui

Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
Hyrtacidæ Niso gloria nulla foret:
Scilicet, ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum juvat, et vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequûntur opes:
At simul intonuit, fugiunt; nec noscitur ulli,
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
Atque hæc, exemplis quondam collecta priorum,
Nunc mihi sunt propriis cognita vera malis.
Vix duo tresve, mihi de tot superestis, amici:
Cætera fortunæ, non mea, turba fuit.
Quo magis, o pauci, rebus succurrite lapsis,
Et date naufragio litora tuta meo:
Neve metu falso nimium trepidate, timentes
Hac offendatur ne pietate Deus.
Sæpe fidem adversis etiam laudavit in armis,
Inque suis amat hanc Cæsar, in hoste probat.

erit Phocææ urbis incola. v. Burm. cf. iv. 4. 69. de Ponto iii. 2. 59. sqq. Virg. Æn. iii. 330. sqq. v. Heusing. ad Corn. N. ii. 6. 1. Harles.

22. *Tuæ furiæ.*] Furor tuus; quo agitabaris, ob matrem interfectam.

23, 24. v. Virg. viii. Æn. vers. 176. sqq. Harles.

24. *Hyrtacidæ Nisi.*] *Niso* tres libri. Heins. *Hyrtacidæ.* Hyrtaci filio.

27. *Dum juvat.*] Opt. Vatic. *juvet.* Puto *favet.* Heins.

28. *Indelibatas.*] Illæsas. Mer.—Opes integras, nullo adhuc casu et detrimento imminutas. *Cuncta sequuntur.* Quia felicibus ad voluntatem fluunt omnia. Pont.

30. *Agminibus comitum.*] Turba clientium, seu potius assentatorum. Pont.

32. *Nunc mihi sunt.*] *Ne mihi* fragmentum Revii, ut ita Eleg. vi. 16. duo libri: *Ne tibi pro vili sub pedibusque jacet*; vide ad Quintil. Decl. vii. 9. Burm.

35. *Lapsis.*] Quod placet Heinsio, metaph. a domo corruente. At enim mira est lectionis varietas. Edit. vet. cum aliis *læsis*: libri alii *lassis*, alii *fessis*. quæ quidem vocc. sæpe confunduntur. v. Drakenb. ad Sil. Ital. x. 606. In tanta igitur varietate forsan vera fuit lectio *laxis*, h. e. inconstantibus, quod voc. et *succurrite* et *date litora* aptum erit. *laxus* autem et *lapsus* sæpe confunduntur. v. Drakenb. ad Sil. vi. 278. 319. viii. 322. Cogitaram quoque propter seq. voc. *naufragio* corrigere *fluxis*. Harles.

Causa mea est melior, qui non contraria fovi
  Arma; sed hanc merui simplicitate fugam.
Invigiles igitur nostris pro casibus oro,
  Diminui si qua numinis ira potest.
Scire meos si quis casus desideret omnes,
  Plus, quam quod fieri res sinit, ille petat.
Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent,
  Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.
Multaque credibili tulimus majora, ratamque,
  Quamvis acciderint, non habitura fidem.
Pars etiam mecum quædam moriatur oportet,
  Meque velim possit dissimulante tegi.
Si vox infragilis, pectus mihi firmius ære,
  Pluraque cum linguis pluribus ora forent;
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
  Materia vires exsuperante meas.
Pro duce Neritio, docti, mala nostra, poetæ,
  Scribite: Neritio nam mala plura tuli.
Ille brevi spatio multis erravit in annis
  Inter Dulichias Iliacasque domos;

41. *Causa mea est melior.*] Conjurationem et conspirationem contra Augustum intelligit: de qua lib. ii. et iii. Eleg. v. MER.

51. *Pars etiam quædam.*] Ingenium intelligit, quod præ nimio dolore nequit dignum aliquid componere; vel certe famam designat, quam perituram dicit hac exsilii nota, vel inter Scythas nihil componendo.

52. *Possit tegi.*] Possit celari pars hæc, quæ mecum morietur. MER. Vel velim posse ignorari, me tacente. Quæ illa fuerint, liberum est cuivis nostrum divinare. PONT.

53. *Si vox infragilis.*] Homeri illa respexit Iliad. β'. Φώνη δ' ἄῤῥηκτος, χαλκοῦν δέ μοι ἦτορ ἐνείη, quod jam alii viderunt. HEINS. Homeri locus stabilit vulgatam lectionem, *Si vox infragilis, pectus mihi firmius ære.* *Non fragilis* habet Francof. et quinque alii; sed *infragilis* recte: ita Plinius, lib. xx. 1. *adamantem infragilem omni vi et invictum* dicit. BURM.

56. *Materia.*] Malorum copiam, materiam appellat.

57. *Pro duce Neritio.*] Pro duce Ulysse. Est autem *Neritus* mons frondosus in insula Ithaca, quam tenuit Ulysses.

Nos, freta sideribus notis distantia mensos,
Sors tulit in Geticos Sarmaticosque sinus:
Illè habuit fidamque manum, sociosque fideles;
Me profugum comites deseruere mei:
Ille suam lætus patriam victorque petebat;
A patria fugio victus et exsul ego:
Nec mihi Dulichium domus est, Ithaceve, Sameve,
Pœna quibus non est grandis abesse locis;
Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma Deûmque locus:
Illi corpus erat durum patiensque laborum;
Invalidæ vires ingenuæque mihi:
Ille erat adsidue sævis agitatus in armis;
Adsuetus studiis mollibus ipse fui:
Me Deus oppressit, nullo mala nostra levante;
Bellatrix illi Diva ferebat opem:

63. *Fideles.*] Ne bis idem dicatur, Heins. malit *certosque sodales.* Burm. *firmosque sod.* Equidem nil mutarem; ut *fides* sæpe idem notat ac auxilium, præsidium. (v. Westerh. ad Ter. Andr. i. 5. 2.) sic *fida manus* esset, quæ tueretur, auxiliaretur: huic junguntur socii fideles. Harles.

67. *Non mihi Dulichium.*] Dulichium insula est ex Echinadibus una, quæ postea *Dolicha* appellata fuit. Fuitque hæc insula Ulyssi subdita, ut docet Strab. *Ithaceve.* Ithaca insula est, quæ ad stadia 80 in circuitu patet. Corcyræ insulæ maximæ adjacet Neritia Ithacæ tellus optatissima, et ipsa Ulyssis patria. *Sameve.* Samos sive Same, insula est, quæ olim quatuor continebat urbes, ex quibus una Samus; eadem, *Cephalenia* appellatur. *Ithacesve Sameve.* *Samove* prim. Vaticanus; reliqui *Samosve*; utrumque probum. Heins.

68. *Pœna non est grandis.*] Non magna molestia est. Etenim non urbes sunt quæ comparari possint cum urbe Roma. Ciof.

72. *Ingenuæ.*] h. e. exiguæ, (ut quidam codd. quoque legunt: quod quidem fuit interpretamentum,) imbecilles; quales sunt hominum ingenuorum et in ingenuis artibus liberaliter educatorum, non servilibus laboribus duratorum. Servi enim viribus corporis censentur, et quo validiores, eo cariores emebantur, sed in ingenuo homine moderatæ sufficiebant. v. Burm. ad h. l. Grævium ad Cic. de Senect. c. 10. Martial. iii. 46. 6. *Invalidum est nobis ingenuumque latus.* Harles.

74. *Adsuetus studiis.*] *Adsiduus* fragmentum Revii antiquissimum, et codex Bernens. cum quinque aliis; eleganti repetitione, et cujus glossa videtur *adsuetus.*

Quumque minor Jove sit tumidis qui regnat in undis,
Illum Neptuni, me Jovis ira premit.
Adde, quod illius pars maxima ficta laborum est;
Ponitur in nostris fabula nulla malis.
Denique quæsitos tetigit tamen ille Penates;
Quæque diu petiit, contigit arva tamen.
At mihi perpetuo patria tellure carendum est,
Ni fuerit læsi mollior ira Dei.

ELEGIA VI.

Nec tantum Clario Lyde dilecta poetæ,
Nec tantum Coo Battis amata suo est,
Pectoribus quantum tu nostris, uxor, inhæres,
Digna minus misero, non meliore viro.
Te mea, subposita veluti trabe, fulta ruina est;
Si quid adhuc egò sum, muneris omne tui est:

78. *Jovis ira.*] Augusti odium: qui his temporibus est illi summus Jupiter. Mer.

80. *In nostris*, &c.] Homerus sapienter finxit, et fabulis rerum veritatem texit: ego causam fingendi nullam habeo. Pont.

82. *Quæque diu petiit.*] Decem annos.

1. *Lyde.*] Lyde amica fuit Callimachi, quam ardentissime amavit. *Clario poetæ.* Callimacho Apollinis vati. *Clarius* enim Apollo appellatus est, a Clario luco.

Clarius poeta est Antimachus, Colophonius patria. Fuerunt autem inter se vicina Colophon, et Clarii Apollinis oraculum. Is poeta insano amore Lyden prosequutus poema in ejus honorem Λύδην scripsit. Harles.

2. *Coo.*] h. e. Philetæ, poetæ Coo, qui Battidis amorem carmine declaravit, ac sub Alexandro M. et Ptolemæo vixit. Propertius ejus frequentem injecit mentionem. iii. El. i. v. 1. iii. El. ii. v. 51, 52. Harles.

4. *Minus misero.*] Feliciori marito. *Non meliore*; sum enim ex antiquissima et nobilissima Nasonum familia, ex qua innumerabiles equites exierunt: sum poeta summo ingenio, et eruditione præstanti; quo conjuge, ante hanc meam calamitatem, te jactare solebas. Confer lib. iv. Eleg. iii. v. 53. sqq.

5. *Te mea subposita est.*] Accipiendum est de possessionibus, in quas involabant homines alienorum cupidi, quarum fructibus in exsilio ipse vivebat. Pont. *Subposita veluti trabe fulta ruina est.* Non damno quidem hanc lectionem, quam libri veteres agnoscunt; veriorem tamen auguror fore, si *carina* reponas. Intelligit trabes illas, quæ subductis in litus na-

Tu facis, ut spolium ne sim, neu nuder ab illis
  Naufragii tabulas qui petiere mei.
Utque rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris
  Incustoditum captat ovile lupus:
Aut ut edax vultur corpus circumspicit, ecquod
  Sub nulla positum cernere possit humo:
Sic mea nescio quis, rebus male fidus acerbis,
  In bona venturus, si paterere, fuit.
Hunc tua per fortes virtus submovit amicos,
  Nulla quibus reddi gratia digna potest.
Ergo quam misero, tam vero, teste probaris:
  Hic aliquod pondus si modo testis habet.
Nec probitate tua prior est aut Hectoris uxor,
  Aut comes exstincto Laodamia viro.
Tu si Mæonium vatem sortita fuisses,
  Penelopes esset fama secunda tuæ.
Sive tibi hoc debes, nulla pia facta magistra;
  Cumque nova mores sunt tibi luce dati:

vibus subjiciebantur. Hæ Græcis Φάλαγγες, vel Φαλάγγια, de quibus Pollux et Hesychius: Nonius quoque in *Palangæ*. Varro de vita Populi Romani. *Quum Pœnus in fretum obviam venisset nostris, et quosdam cepisset, crudelissime pro Palangis carinis subjecerat; quo metu debilitaret nostros.* Isidorus, lib. xix. c. 11. Etymol. *Pulvinos* videtur appellare: Minucius Octavio: *Et quum ad id loci ventum est, ubi subductæ naviculæ, substratis roboribus, a terrena labe suspensæ quiescebant.* Heins.

8. *Naufragii tabulas.*] Reliquias naufragii mei; reliquum fortunarum mearum: quas quum Cæsar non ademerit, ipsi tamen adimere nefarie conantur, non secus ac partes navis disjectæ naufragio.

11. *Aut ut edax vultur.*] Vultur ex cadaveribus sibi escam quærit. Interficit autem nihil, nec destruit animantium; vid. Arist. lib. vi. *Aut ut edax vultur.* Nam et vulturii nominantur, qui captant bona aliena, et ea per fas et nefas occupare nituntur.

12. *Sub nulla positum cernere possit humo.*] *Sub nuda* Scaliger et editiones nonnullæ, perperam; corpus sub nulla tellure positum, est inhumatum corpus.

13. *Male fidus.*] An non rectius, *male fisus?* credens et confidens se ideo facilius invadere posse mea bona, quia acerbam fortunam experior. Sed et vulgata servari potest, ut sit, in rebus meis acerbis, quibus fides ejus debebat se ostendere, infidus. Burm.

17. *Probaris.*] Proba, bona judicaris.

23. *Sive tibi hoc debes.*] Seu natura

Femina seu princeps, omnes tibi culta per annos,
  Te docet exemplum conjugis esse bonæ;
Adsimilemque sui longa adsuetudine fecit;
  Grandia si parvis adsimilare licet.
Heu mihi, non magnas quod habent mea carmina vires,
  Nostraque sunt meritis ora minora tuis!
Si quid et in nobis vivi fuit ante vigoris,
  Exstinctum longis occidit omne malis:
Prima locum sanctas heroidas inter haberes;
  Prima bonis animi conspicerere tui.
Quantumcumque tamen præconia nostra valebunt,
  Carminibus vives tempus in omne meis.

ELEGIA VII.

Si quis habes nostri similes in imagine vultus,
  Deme meis hederas, Bacchica serta, comis.
Ista decent lætos felicia signa poetas:
  Temporibus non est apta corona meis.

te hoc docuit; seu Liviæ exemplo didicisti. Bersm.

24. *Mores.*] Sanctissima instituta. *Cum nova luce.* Cum die natali; quum nascereris.

25. *Femina seu princeps.*] Seu Liviam, quam præcipua fide coluisti, imitata es. Amerbachius ad Martiam, Martii Philippi vitrici Augusti filiam, contendit referendum.

30. *Nostra ora.*] Nostra verba. Aliquem pleno ore laudare, verbis multis et grandibus. Pont. *Nostra ora.* Pro sermone et fabulis; Phædr. in prol. lib. i. *Duplex fabellis os est.* Etiam pro fiducia: *si satis oris habes.*

32. *Exstinctum longis excidit omne malis.*] Κακοφωνία est *exstinctum, excidit:* etsi minime ignoro *excidere* hac significatione usitatum esse Ovidio, primus tamen Politiani, primus Vaticanus et sex alii *occidit*, quod sequor. Heins.

1. *Nostris similes.*] *Nostri* sex meliores, et mox *Bacchiaserta* pro *Bacchica.* Heins. *In imagine.* In effigie gemmæ insculpta; vide Plin. i. 37. Ex hedera enim poetæ elegi coronabantur, sicut ex quercu heroici. Propertius.

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona,
  Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.

De hedera legito Plin. lib. xvi. et Theophrastum, lib. iii.

4. *Temporibus meis.*] Meo capiti, a parte totum *κατὰ συνεκδοχήν.* Falsus est hic Merula, qui alio modo exponit. Cíof.

Hæc tibi dissimulas, sentis tamen, optime, dici,
In digito qui me fersque refersque tuo;
Effigiemque meam fulvo complexus in auro,
Cara relegati, qua potes, ora vides;
Quæ quoties spectas, subeat tibi dicere forsan,
Quam procul a nobis Naso sodalis abest!
Grata tua est pietas: sed carmina major imago
Sunt mea; quæ mando qualiacumque legas;
Carmina mutatas hominum dicentia formas,
Infelix domini quod fuga rupit opus:
Hæc ego discedens, sicut bene multa meorum,
Ipse mea posui mœstus in igne manu;
Utque cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias, et melior matre fuisse soror;

5. *Dissimula.*] Finge hæc non dici tibi, ne Augustum lædas. *Sentis tamen, optime.* Intelligis tamen, optime amice, me tibi hæc dicere.

Edit. vet. habet: *Hæc tibi dissimula (sentis tamen optime) dici.* Bene tamen, ut in textu, restituit Heinsius, et *Optime* respondet τῷ κράτιστε Græcorum. Alii aliter legunt. v. Heinsios et Burman. et hic laudat Meursium in Exercit. critic. part. ii. libr. ii. c. 9. ubi illustrat morem illum gestandi absentium amicorum imagines in annulis. Harles.

10. *Naso sodalis abest.*] In Francofurt. erat, *abes*; eleganter, ut verba hæc sint ad ipsam imaginem, quam contemplans amicus ita adloquitur, *Tu Naso, quam procul abes.*

11. *Sed carmina major imago Sunt mea.*] Magis ingenium meum exprimunt, quam aurum illud faciem.

14. *Infelix domini quod fuga rupit opus.*] Utrum infelix opus, an infelix fuga? rectius hoc posterius, ut sit verborum sensus: quod opus, hoc est, Metamorphosin, infelix fuga, exsilium domini rupit. Cior.

15. *Sicut bona multa meorum.*] Diu est, quod vidi scribendum *bene multa*, quod prim. Vatic. Hamburg. et tres alii confirmant. In Catalectis:

Triga mihi paucos inter dilecta sodales,
Triga sodalitii pars bene magna mei.

Atque ita passim veteres: *bene* enim pro *valde* ponitur, ut *bona pars* pro magna pars. Heins.

17. *Sub stipite.*] Sub torre, in quo Meleagri fata erant.

18. *Thestias.*] Althea Thestii filia. Thestius enim Pleuroniam tenuit: qui Curetum ductor, socer quidem fuit Œnei, Altheæ vero pater. *Et melior matre fuisse soror.* Althea meliorem se, et fratrum, a Meleagro interemtorum, amantiorem ostendit, quam filii. Sic et in viii. Met. 464. 475:

Pugnant materque sororque,
Et diversa trahunt unum duo nomina pectus.
Incipit esse tamen melior germana parente. Heins.

Sic ego non meritos, mecum peritura, libellos
Imposui rapidis, viscera nostra, rogis;
Vel quod eram Musas, ut crimina nostra, perosus,
Vel quod adhuc crescens et rude carmen erat.
Quæ quoniam non sunt penitus sublata, sed ex-
Pluribus exemplis scripta fuisse reor; [stant,
Nunc precor ut vivant, et non ignava legentum
Otia delectent, admoneantque mei.
Nec tamen illa legi poterunt patienter ab ullo,
Nesciat his summam si quis abesse manum.
Ablatum mediis opus est incudibus illud,
Defuit et scriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto: laudatus abunde,
Non fastiditus si tibi, lector, ero.
Hos quoque sex versus, in primi fronte libelli
Si præponendos esse putabis, habe:
Orba parente suo quicumque volumina tangis,
His saltem vestra detur in urbe locus;
Quoque magis faveas, non sunt hæc edita ab ipso,
Sed quasi de domini funere rapta sui:
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, eram.

20. *Viscera nostra.*] Nostros libros: quasi meos partus. *Rogis.* Flammæ omnia rapienti.

Idem animus uxoris Intaphernis apud Herodotum. Antigones apud Sophoclem.

25. *Legentum.*] Hæc est Scaligeri emendatio ab Heinsio recepta; *otium* enim vocabulum est *μίσον*, hinc addit poeta *non ignava*. *Otiosi* autem sunt in universum, qui ad rem publicam non accedunt. Hinc Scipio apud Ciceronem de Offic. iii. 1. dicit, *Numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus.* Edit. vet. aliique libri habent *legentem*, et Verpoort. *otia* explicat scripta in otio carmina. HARLES.

29. *Mediis incudibus.*] Nondum absoluto opere. MER. Sic et opus aliquod *elimare* dicimur.

33. *In prima fronte libelli.*] Scribe *primi libelli.* Inepte enim Metamorphoses *libellus* vocentur, quas ipse, lib. ii. *majus opus* sit appellaturus; sic alibi: *Sex ego Fastorum scripsi, totidemque libellos*; et, *Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli, Tres sumus*——de Amorum libris; atque ita passim alibi. HEINS.

35. *Orba parente suo.*] Privata patre, et auctore operis, qui in exsilium ejectus est.

Quæque tibi quondam, tenero ducenda palato,
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat:
At mala nostra minus, quam nunc, aliena putasses,
Duritiæque mihi non agerere reus:
Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoque damnis,
Ut careant numeris tempora prima suis;
Effice, peccati ne sim memor hujus; et illo
Officium laudem, quo queror, ore tuum.

ELEGIA IX.

Detur inoffensæ metam tibi tangere vitæ,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus;
Atque utinam pro te possint mea vota valere,
Quæ pro me duros non tetigere Deos!

43. *Ducenda ubera*; sugenda.

45. *Aut mala nostra minus quam non aliena putares.*] *At mala* et *putasses* meliores. Deinde *quam nunc* unus Vaticanus; vere: quomodo etiam doctissimus Tanaquillus Faber vidit scribendum Epistola xxiii. Combianus pro diversa lectione, *quia nunc*. Sensus est: At saltem mala nostra minus a te aliena putasses, quam nunc putas. Heins.—Forsitan scripserit: *At mala nostra prius, quam nunc, aliena putasses*; non hoc demum tempore debuisses ostendere mea nihil ad te adtinere, sed jam olim: quod si fecisses, non nunc agerem te reum duritiæ; sed quia hoc præter alia etiam mihi accidit, ut te perdam hoc infelici tempore, qui antea amicus fuisti, effice, &c. Deinde, *duritiæ mihi nunc non agerere reus*, excerpta Klockhovii. Burm.

48. *Ut tempora prima.*] Ut superiora tempora, quibus amicitia nostra erat arctissima. *Careant suis numeris.* Careant suo ordine: ut mihi in amore non respondeas, ut antea.

Numeris carere] est, imperfectum, non integrum esse. Harles.

1. *Inoffensæ—vitæ.*] h. e. opto, ut sine offensa vitæ stadium decurrens ad metam perveniat. v. Burm. qui Zinzerlingii lectionem e MSS. in Promuls. erit. inven. c. 51. pag. 280. *inoffensam* et explicationem, *evitatam*, ut in Horat. i. Od. i. sumitur, bene repudiat, quod apud Horatium alia res est. Iterabantur enim in circo spatia; sed in hac metaphora Ovidii a stadio desumta, semel modo decurrere licet, et ubi metam attigimus, nullus locus offensæ relinquitur. Harles.

4. *Duros Deos.*] Deos mihi difficiles; Cæsarem inclementem.

Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Adspicis, ut veniant ad candida tecta columbæ;
Accipiat nullas sordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam;
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utque comes radios per Solis euntibus umbra,
Quum latet hic pressus nubibus, illa fugit;
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus;
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.
Hæc precor ut semper possint tibi falsa videri:
Sunt tamen eventu vera fatenda meo.
Dum stetimus, turbæ quantum satis esset, habebat
Nota quidem, sed non ambitiosa, domus.
At simul impulsa est, omnes timuere ruinam,
Cautaque communi terga dedere fugæ.
Sæva nec admiror metuunt si fulmina, quorum
Ignibus adflari proxima quæque vident.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum,
Quamlibet inviso, Cæsar, in hoste, probat;

8. Simile hoc claudicare, vel lectio sollicitanda mihi videtur. In turribus enim antiquis et ruinosis nidere solent aves. Suspicatus eram, *apes*; aut *nullos sordida cella* vel *cera favos*. At enim necdum mihi satisfacio: videant igitur me acutiores. Harles. De hujusmodi commentis vide candidissimum illum, recentioribus rarius imitatum, Aristotelem in Libro de Poet. ad finem.

10. *Nullus ad amissas ibit amicus opes.*] *Currit* exemplar vetus Bersmanni. Ego *visit* reponendum censeo. Heins.

13. *Fortunæ lumina.*] Auram et felicitatem fortunæ.

14. *Nocte.*] Bene reddidit Burmannus *nocte* Ovidio, adstipulantibus libris: vulgo enim legitur *nube*: sed *nubibus* præcesserat, et *nox* pro ipso infelici tempore elegantius sumi potest, quam *nubes*, quæ modo instans periculum notat. Harles.

16. *Eventu vera fatenda meo.*] Malim *mihi*. Heins.

20. *Cauta terga.*] Ipsi cauti et sibi consulentes: vel certe cauta turba, hoc est, turba sibi cavens, ne quid Augustus in eos mea causa gravius moliretur. M.

Utque tibi prosunt artes, facunde, severæ,
Dissimiles illis sic nocuere mihi.
Vita tamen tibi nota mea est: scis artibus illis
Auctoris mores abstinuisse sui;
Scis vetus hoc juveni lusum mihi carmen, et istos,
Ut non laudandos, sic tamen esse jocos.
Ergo, ut defendi nullo mea posse colore,
Sic excusari crimina posse puto.
Qua potes, excusa; nec amici desere causam:
Quo bene cœpisti, sic pede semper eas.

ELEGIA. X.

Est mihi, sitque, precor, flavæ tutela Minervæ
Navis; et a picta casside nomen habet.

57. *Artes severæ.*] Vel philosophiam dicit, vel ingenuas disciplinas et studia eloquentiæ.

58. *Dissimiles illis.*] Quia nostræ artes non sunt severæ.

59. *Scis artibus illis.*] Libris de Arte amandi. Eodem modo excusat se, lib. ii. ad Augustum, ver. 353:

Crede mihi, distant mores a carmine nostro;
Vita verecunda est, musa jocosa mea est.

Sic et Catullus ad Aurel. xvii. 5:

Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

66. *Quo bene cœpisti.*] Satis hæc mihi cohærere videntur præcedentibus, si transpositis verbis hæc elegia in votum de processu et incremento honorum amici desinat, et legatur:

Sic bene cœpisti quo pede, semper eas:

vel;

Sic pede cœpisti quo bene, semper eas;

ut MSS plurimi positum τῶν *bene* et *pede* variant. Burm.

1. *Minervæ.*] Minervæ simulacrum navis insigne et tutela. Solebant enim in navibus Dii pingi, ut Minerva, Apollo, et alii, in quorum tutela esse navem volebant. Non esse idem παράσημον et tutelam navis, et in hac Ovidiana navi, tutelare numen fuisse Minervam, ex consuetudine puppi impositam? galeam autem Minervæ, insigne, seu παράσημον navis. *Tutela Minervæ.* Continet hæc Elegia breve quoddam hodoiporicum, sive itinerarium poetæ, non quidem totius profectionis ejus a Roma in Pontum, sed quantum ejus ab Hellesponto ad locum exsilii reliquum fuit. Orditur autem a laude navis ejus: ac Merula in ea opinione est, ut putet de duabus intelligendum esse; ego de una,

Sive opus est velis, minimam bene currit ad auram:
Sive opus est remo, remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta est vincere cursu;
Occupat egressas quamlibet ante rates.
Et patitur fluctus, fertque adsilientia longe
Æquora, nec sævis icta fatiscit aquis.
Illa, Corinthiacis primum mihi cognita Cenchris,
Fida manet trepidæ duxque comesque fugæ;
Perque tot eventus, et iniquis concita ventis
Æquora, palladio numine tuta fuit.
Nunc quoque tuta, precor, vasti secet ostia Ponti,
Quasque petit, Getici litoris intret aquas.
Quæ simul Æoliæ mare me deduxit in Helles,
Et longum tenui limite fecit iter;

eaque sola navi, qua poeta e portu Corinthi in Thraciam usque delatus fuerit, quæ deinde per angustias Hellesponti in Propontidem, indeque rursus per Bosporum Thracium in Pontum, atque ita sinistro mari Tomon abierit. Versus autem de duabus navibus supra citatos, metaphorice accipio, ut puppis altera, pro cursu, serie, itinere terrestri ponatur, eo scilicet de quo ipse infra dicit:

Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos, &c.

Nam et alibi de diversis profectionis suæ viis meminit.

2. *Et a picta casside nomen habet.*] A galea, quam illa armata gerit, *galeata* appellatur Minerva. Verbum *habet*, non ad Minervam, sed ad nomen navis, referendum videtur: ut intelligamus ipsam navem a picta galea, κορυθαίολον, aut simili aliquo cognomine appellatam fuisse.

Casside.] *Galeam* inde dictam fuisse navem, putant Heinsius ad h. l. et Vossius de Vitiis sermonis. i. cap. i. et hinc *Galeras* esse naves postea vocatas. v. Burm. Harles.

6. *Quamlibet.*] h. e. quamvis, cum aliis Ciofanius rectius legit: *qualibet arte*, vel remo, vel velo, dederat Merula. Harles.

9. *Primum mihi cognita terris.*] *Cenchris*; nam Peloponnesus (auctore Plin. lib. iv. cap. 4.) jacet inter duo maria, Ægeum et Ionium, platani folio similis propter angulosos recessus. Angustia, unde procedit, isthmos appellatur. In eo loco erumpunt e diverso, quæ dicta sunt, maria: Corinthiacus hinc, illinc Saronicus appellatus sinus. Lecheæ hinc, Cenchreæ illinc, angustiarum termini longo et ancipiti navium ambitu. Sed tamen et *terris* non usque adeo incommode legetur, pro *oris* scilicet acceptum. In *Cenchris* autem etiam figura synizesis admittenda est: ut *Cenchreis* trissyllabum, pro dissyllabo in scansione veniat. Mer.

13. *Ostia Ponti secet.*] *Ostia* sunt aditus fluminum in mare. Pont.

15. *In mare.*] In Hellespontum: nam mare alia aliis cognomina accepit: ubi enim primum se coarctat, *Hellespontum* vocamus; ubi se expan-

Fleximus in lævum cursus, et, ab Hectoris urbe,
Venimus ad portus, Imbria terra, tuos.
Inde, levi vento Zerynthia litora nactis,
Threiciam tetigit fessa carina Samon.
Saltus ab hac terra brevis est Tempyra petenti:
Hac dominum tenus est illa secuta suum.

dit, *Propontis* dicitur; ubi iterum se pressit, *Thracius Bosporus;* ubi iterum se effundit, *Pontus Euxinus;* qua paludi committitur, *Cimmerius Bosporus.*

17. *Fleximus in lævum cursus.*] Ex Hellesponto, in Proponditis sinistram partem navigationem fleximus. *Ab Hectoris urbe.* Id est, Ilio, quæ ex Ægæo Hellespontum ingredientis erat a dextra, ut sit sensus: quum primum, in Ægæo adhuc navigans, habui Ilium a fronte, flexi iter in lævam partem, ubi erant loca illa, quæ statim subjungit. Cæterum illud ausim adfirmare, aut carmina aliqua deesse, aut hanc navigationis descriptionem falsam esse. Mer.

Hectoris.] Valde dissentiunt interpretes. Verpoorten, quem vide in præfat. intelligit *Ophrunium*, Troadis oppidum inter Dardaniam et Rhætium, urbes maritimas, situm, ubi Hectoris lucus erat. At enim eo nondum venerat Ovidius, et num urbs Hectoris dici soleat, subdubito. *Actoris*, (ita enim quoque legitur) urbem quærit Micyllus in Lemno insula, cujus regem aliquando fuisse Actorem, Hygin. fab. 102. tradit, ejusque expositio verosimillima videtur Burmanno. Sensus foret: Postquam ad Hellespontum venimus in lævam fleximus cursum, et ab Actoris, urbe in insula Lemno, in Imbrum [quam Ovid. Imbriam dicit terram] proxime navigavimus, inde in Samothraciam. v. Burm. Harles.

18. *Imbria terra.*] Terram Imbriam eam dicit, quam Selimbriam Plinius, Ptolemæus, cæterique appellant: illa enim, et Perinthus in Propontidis litore fuere; nisi malis intelligere, illum non ingressum fuisse Hellespontum, sed Ægæum ei vicinum appellasse Hellespontum, ut diximus.

19. *Zerynthia.*] Id est, ipsius Thraciæ: nam in Thracia Zerynthum fuisse, scribit Lycophron, sacram Hecatæ; fuit et Zerynthus in Samothrace insula, unde fortasse regioni nomen dedit Ovid.

20. *Threiciam Samon.*] Samothraciam insulam in mari Ægæo circa Thraciam.

21. *Tempyra.*] Livius, lib. xxxviii. c. 41: *Inde Æniorum fines, præter Apollinis, Zerynthium quem vocant incolæ, templum superant. Aliæ angustiæ circa Tempyra excipiunt, (hoc loco nomen est,) non minus confragosæ.* Heins. *Saltus brevis.* Trajectus non longus. Mer.

Tempyra.] Diversitas est lectionis et conjecturarum, quas in edit. Burmanni potest legere, cui volupe erit. Aldina edit. habet *Tentyra.* Sed vera est, ut Heinsius e Livio xxxviii. 41. ostendit, lectio *Tempyra*, in Thracia sub Rhodope inter Nestum et Hebrum. Harles.

22. *Dominum.*] Ipsum Ovidium intelligit Burmannus, sive emerit navem, sive improprie se ita vocet, quia totam suo comitatui et instrumentis transvehendis conduxerat. Atque Burm. sententiæ subscribit Massonii, qui statuit, navi prima a Cenchreis Ovidium in Samothraciam venisse, inde nova navi trajecisse in Thraciam. Harles.

Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos:
Hellespontiacas illa relegit aquas;
Dardaniamque petit, auctoris nomen habentem,
Et te, ruricolà, Lampsace, tuta Deo.
Quaque, per angustas vectæ male virginis undas,
Seston Abydena separat urbe fretum:
Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon, Hæmoniæ nobile gentis opus:

23. *Nam mihi Bistonios.*] E Samothracia digressuræ erant duæ naves, quarum altera, quæ Ovidium vehebat, sinistrum Propontidis cursum, altera vero dextrum tenuit. *Bistonios campos.* Threicium litus. *Pede.* Velo: pars pro toto. Mer. *Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos.* Hunc locum Merula, quum sententiæ suæ de duabus navibus, de qua a principio meminimus, repugnare videret, *pedem* pro fune, quo vela navium reguntur; *campos* autem pro æquore, sive mari exposuit. At si alteram expositionem recipias, de una navi, eaque sola quæ poetæ fuit, qua in hoc loco relicta, in terram egressus ille, reliquum iter, aut partem saltem, per Thraciam itinere terrestri fecerit; sua ac propria significatio verbis manet, neque versus ipse quicquam difficultatis habet.

24. *Hellespontiacas illa reliquit aquas.*] De hoc loco egit Verpoort. in præfatione. Olim legebatur *reliquit*, quod duriusculum est: hinc jam Micyllus conjecit *relegit*, et sic codicem Medonianum habere, testatur Heinsius, qui quidem *peregit*, aut quid simile substituendum putat. At, ego non dubito, bene ait Burmannus, *relegit* esse legendum; nam antea quum venisset ad urbem sive Hectoris sive Actoris, quæ non longe ab Hellesponto debet statui, flexit in lævum versus Samothracen, inde trajiciente Ovidio in Thraciam, illa navis relegit iter versus Hellespontum. Harles.

25. *Dardaniamque petit.*] Dardania urbs fuit in litore Hellesponti sita: nam post Abydum promontorium est Dardanium, et civitas Dardania, 70 stad. ab Abydo distans. Nomen servat ipse Hellespontus. *Petit* autem pro petivit ultimam producit, ut verba omnia syncopam habentia. *Nomen auctoris.* Nomen Dardani Jovis filii, qui eam condidit.

26. *Et te, ruricola, Lampsace,* &c.] Lampsacum etiam pervenit ab urbe Dardania: fuit autem Lampsacus urbs insignis ad mare sita, quæ portum optimum habuit: prius *Pityusa* vocabatur. Per Deum autem *ruricolam* Priapum intellige; qui vir fuit ex Lampsaco urbe Hellesponti; de qua pulsus, propter obscænitatem: vocat autem *Deum ruricolam*, quoniam in hortis colitur.

27. *Per angustas undas.*] Vastum enim mare præjacens Asiæ, et ab Europa porrecto Chersonesi litore expulsum; angusto meatu irrumpit in terras, septem stadiorum intervallo Europam discludens Asiæ; hasque angustias Hellespontum vocant. *Virginis male vectæ.* Helles, quæ hausta fluctibus periit.

28. *Seston Abydena.*] In Europa enim Seston urbem, in Asia Abydon fuisse, scribit Plinius: in medio vero utriusque urbis Hellespontus fuit.

29. *Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris.*] Puto scribendum *Pro-*

Quaque tenent Ponti Byzantia litora fauces:
Hic locus est gemini janua vasta maris.
Hæc, precor, evincat, propulsaque flantibus Austris
Transeat instabiles strenua Cyaneas, 34
Thyniacosque sinus; et ab his, per Apollinis ur-
Alta sub Anchiali mœnia tendat iter: [bem,

pontiacis surgentem Cyzicon; nam in edito colle sita erat; Val. Flaccus, ii. 635. sqq.

Nec procul ad tenuis surgit confinia ponti
Urbs placidis demissa jugis; rex divitis agri
Cyzicus;

sed et Apollonius Rhodius in ejus descriptione:

Ἔστι δέ τις αἰπεῖα Προποντίδος ἔνδοθι νῆσος,
Τυτθὸν ἀπὸ Φρυγίης πολυληΐου ἠπείροιο,
Εἰς ἅλα κεκλιμένη, ὅσσον τ' ἐπιμύρεται ἰσθμὸς
Χέρσῳ ἐπιπρηνὴς καταειμένος· ἐν δέ οἱ ἀκταὶ
Ἀμφίδυμοι· κεῖνται δ' ὑπὲρ ὕδατος Αἰσήποιο. Heins.

Hærentem.] Vide Apollon. Rhod. i. 936. sqq. ibique scholiastem. Pompon. Mel. i. 19. ab init. *Trans amnem sedet in cervice peninsulæ Cyzicum.* Ex hoc loco bene vindicat Burm. *hærentem*: nam in isthmo illo posita Cyzicus *adhæret oris.* Heinsius contra rescribendum putarat *surgentem,* quasi in adscensu collis sita erat. v. etiam Verpoort. in præfat. Æneaus autem, natione Thessalus, (Thessalia vero Hæmonia olim vocabatur) pater Cyzici exstruxit urbem, aut, ut alii volunt, urbi nomen dedit Cyzicus. Harles.

31. *Quaque tenent Ponti Byzantia litora fauces.*] A Cyzico se deinde venisse dicit ad Thracium Bosporum, in cujus litore sinistro ad Pontum Euxinum navigantibus erat Byzantium, urbs quum natura loci munitissima, tum ad fertilitatem omnium rerum opportunissima.

32. *Gemini maris.*] Propontidis et maris Euxini: inter quæ maria sunt fauces, quæ Thracius Bosporus appellantur.

33. *Propulsaque fortibus Austris.*] *Flatibus Austri* veteres magna ex parte: Medonianus *flatibus Austris*: scribe *flantibus Austris,* ut apud Statium, Theb. lib. xi. vers. 42. sqq;

ceu circumflantibus Austris
Alternus procumbit ager:

si quis *flatibus Austri* malit, ecce pağina Met. vii. ver. 532. Cicero Cornificio, lib. xii. Epist. *Auster adversus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit.* Heins.

34. *Instabiles Cyaneas.*] In Ponto duæ sunt, mille et quingentis passibus ab Europa, quatuordecim millibus ab ostio, Cyaneæ, ab aliis *Symplegades,* id est, concurrentes, appellatæ; traditæque fabulis inter se concurrisse, quoniam parvo discretæ intervallo, ex adverso intrantibus geminæ cernebantur.

36. *Alta sub Anchiali mœnia findat iter.*] Præfert Burm. *Acta,* si ita distinguatur:

et ab his per Apollinis urbem
Acta, sub Anchiali mœnia tendat iter.

Anchiala, seu Achialia, seu Anchialos, castellum fuit ab Apolloniatis conditum, quæ et *Pollonia* dicebatur: fuit autem in ora Getici litoris.

Inde Mesembriacos portus, et Odesson, et arces
  Prætereat dictas nomine, Bacche, tuo;
Et quos Alcathoi memorant a mœnibus ortos,
  Sedibus his profugum constituisse Larem:
A quibus, adveniat Miletida sospes ad urbem,
  Offensi quo me compulit ira Dei.
Hanc si contigerit, meritæ cadet agna Minervæ:
  Non facit ad nostras hostia major opes.
Vos quoque, Tyndaridæ, quos hæc colit insula, fratres,
  Mite, precor, duplici, numen, adeste viæ.
Altera namque parat Symplegadas ire per arctas,
  Scindere Bistonias altera puppis aquas.

37. *Inde Mesembriacos portus.*] Ab Anchialo, inquit, navis mea in portum Mesembriacum perveniat: Mesembria enim Megarensium fuit colonia: quam antea *Menebram* vocabant. *Et Odesson.* Ita appellant eam urbem Milesiorum coloniam.

38. *Dictas nomine, Bacche, tuo.*] Dionysiopolim dicit, quæ urbs fuit in eadem ora.

39. *Et quos Alcathoi.*] Calatim urbem videretur designare poeta, quæ in litore Getico sita, antea vocabatur *Acervetis. Alcathoi mœnibus.* Septem *Alcathoes;* alii *Alcathois.* Heins.

40. *Profugos constituisse larem.*] *Lares* plurimi veterum; sed lego *profugum larem;* Met. iii. ver. 539:

Hac Tyron, hac profugos posuistis sede penates. Heins.

41. *Ad urbem Miletida.*] Ad urbem Istropolim, a Milesiis conditam. Ea autem a sacro Istri ostio occurrebat ad stadia quingenta: inde dextrorsum habenti litus fuit Tomos oppidulum alterum, ad 250 stadia: de quo hic magis placet intelligas, quam de Istropoli; nam ejus exsilii locus fuit Tomos, non Istropolis. Mer. *Miletida.* Tomi enim Milesiorum colonia. Ex hoc carmine conjicio, Ovidium hanc suam et a se tam laudatam navem rursus conscendisse. Quorsum enim optaret, ut sospes Tomos contingeret? Pont. *Miletida urbem.* Malo *Milesida;* nam a Mileto Milesius deducitur. Heins. Ego quidem Miletida non minus commode a poeta dictam existimaverim Tomon, quasi Mileti filiam, quam Milesida, vel Milesiam. Harles in præf. Sed nil opus esse hujusmodi argutiis docet Græcæ linguæ norma, quam hic affectat Noster.

44. *Major.*] Vacca s. juvenca indomita mactari solebat [Metam. iv. 754.] Minervæ, quam de se bene meritam laudat. Propter inopiam igitur consuetam hostiam illi se offerre non posse, excusat se poeta. Harles.

45. *Vos quoque, Tyndaridæ.*] Castor et Pollux, numina nautica. Mer.

47. *Symplegadas ire per altas.*] Uterque Politiani, prim. Vatic. multique alii *per arctas*, optime: Priscianus Periegesi, *hic sunt Symplegades arctæ*; et postea:

E regione jacet locus hic Symplegados arctæ.

Vos facite, ut ventos, loca quum diversa petamus,
Illa suos habeat, nec minus illa suos.

ELEGIA XI.

Litera quæcumque est toto tibi lecta libello,
Est mihi sollicitæ tempore facta viæ.
Aut hanc me, gelidi tremerem quum mense decembris,
Scribentem mediis Hadria vidit aquis:
Aut, postquam bimarem cursu superavimus Isthmon,
Alteraque est nostræ sumta carina fugæ.
Quod facerem versus inter fera murmura ponti,
Cycladas Ægæas obstupuisse puto:
Ipse ego nunc miror, tantis animique marisque
Fluctibus ingenium non cecidisse meum.
Seu stupor huic studio, sive huic insania nomen,
Omnis ab hac cura mens relevata mea est.
Sæpe ego nimbosis dubius jactabar ab Hædis;
Sæpe minax Steropes sidere pontus erat:

Seneca, Hercule Furente, v. 1210:

quæ pontum Scythen Symplegas arctat.

Statius, Theb. v. *ora* sunt *Cyaneis arctata vadis*. Sequenti versu. *Bistonidas aquas* pro *Bistonias* primus Vaticanus; sic lib. ii. de Ponto, Eleg. ix. ver. 54:

Bistonis ingenio terra superba tuo est.

Mox malim *loca quum diversa petantur*, quam *petamus*. Heins.

4. *Hadria.*] Mare Hadriaticum, ita appellatum ab Hadria urbe Illyrico mari proxima: vide Plinium, lib. iii. cap. 16.

Hadriam hic pro mari Ionio poni notat Scaliger lib. vi. de Emendat. tempor. p. 536. v. Burm. Harles.

5. *Isthmon bimarem.*] Peloponnesi Isthmum, qui adluitur mari Ægæo et Ionio. *Isthmus* autem dicitur ea terræ angustia, quæ inter duo maria iter porrigit ad Chersonesum, ut diximus.

8. *Cycladas Ægæas obstupuisse puto.*] Cyclades insulæ sunt in mari Ægæo, quas duodecim tantum fuisse scribit Strabo. Dictæ autem sunt, quod circa Delum *in cyclon*, id est, in orbem, sitæ sunt: ut Plinius scribit. Mer.

13. *Hædis.*] Hædi vocantur stellæ duæ in manu aurigæ, quorum ortus et

Fuscabatque diem custos Erymanthidos Ursæ;
Aut Hyadas seris auxerat Auster aquis:
Sæpe maris pars intus erat; tamen ipse trementi
Carmina ducebam qualiacumque manu.
Nunc quoque contenti stridunt Aquilone rudentes,
Inque modum tumuli concava surgit aqua:
Ipse gubernator, tollens ad sidera palmas,
Exposcit votis, immemor artis, opem.
Quocumque adspicio, nihil est, nisi mortis imago,
Quam dubia timeo mente, timensque precor:
Adtigero portum, portu terrebor ab ipso;
Plus habet infesta terra timoris aqua.
Nam simul insidiis hominum pelagique laboro,
Et faciunt geminos ensis et unda metus.

occasus tempestates gravissimas facit. Oriuntur autem (vesperi) cum Scorpione mense Octobri. Servius ad Virgil. Æn. ix. 668. At Ovidius eorum ortum intelligit matutinum, qui contingebat viii. Cal. Maii. Plin. xviii. 26. VERPOORT.

14. *Sæpe minax Steropes.*] Pleiades intelligit. Fuit autem Sterope una ex septem Pleiadibus, quæ fuere filiæ Pleiones et Atlantis. Hæ *Vergiliæ* a nostris appellantur, quod in vere oriuntur.

15. *Custos Erymanthidos Ursæ.*] Arctophylaca intelligit, in cujus zona est stella Arcturus, cujus ortus et occasus tempestates gravissimas facit.

16. *Aut Hyadas seris hauserat Auster aquis.*] *Hauserat aquis*; pro exhauserat, et quasi evacuaverat aquis, *ὑπερβολικῶς*. Aut certe *καθ' ὑπαλλαγὴν*, ut sit dictum, pro, Hyades hauserant, hoc est, adtraxerant, et concitarant Austrum et pluvias. MIC.

Seris auxerat. Ita nostri codd. Regg. A et B; quod servo: *seris*, gravibus, diris: *auxerat*, quia Auster, ventus pluvius, pluviarum Hyadum imbres auget.

Hyadas.] Ab *ὕειν pluere* dictæ sunt stellæ in capite tauri, quarum exortus et occasus pluviam nimbosque efficere credebatur. *Suculæ* etiam dicuntur. Conf. Columell. xi. 2. (ubi de stellis et inde oriundis tempestatibus agit) n. 34. 36. 39. et 88. ac 89. unde etiam *seris auxerat* (pro quibus Heinsius maluit substituere, *sævis hauserat*, uti jam Merula dederat, aut *pluviis paverat*) poterit intelligi atque explicari. HARLES.

19. *Contenti strident Aquilone rudentes.*] *Stridunt* meliores ἀρχαϊκῶς; Fast. vi. 40:

Causa quod horrenda stridere voce solent:

distenti etiam *rudentes* est in Barber. et mox tres codices *cumuli* pro *tumuli*. HEINS.

Ille meo vereor ne speret sanguine prædam ;
  Hæc titulum nostræ mortis habere velit.
Barbara pars læva est, avidæ succincta rapinæ,
  Quam cruor, et cædes, bellaque semper habent.
Quumque sit hibernis agitatum fluctibus æquor,
  Pectora sunt ipso turbidiora mari.
Quo magis his debes ignoscere, candide lector,
  Si spe sunt, ut sunt, inferiora tua.
Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis:
  Nec, consuete, meum, lectule, corpus habes.
Jactor in indomito, brumali luce, profundo;
  Ipsaque cæruleis charta feritur aquis.
Improba pugnat hyems, indignaturque, quod ausim
  Scribere, se rigidas incutiente minas.
Vincat hyems hominem; sed eodem tempore, quæso,
  Ipse modum statuam carminis, illa sui.

31. *Barbara pars læva est.*] Designat Thraciæ litus, quod Ponto adluitur : quod scribit Strabo desertum esse, petrosum, importuosum. Mer. *Avidæ substructa rapinæ.* Uterque Palatinus multique alii, *substrata* ; prim. Vatic. atque septem præterea *subtracta* ; totidem *subjecta*, ut forte sit scribendum *avidæque objecta rapinæ*, vel *instructa*. Heins. Vossiana excerpta habent *avidæ succincta*, quod maxime placet ; *succincta* enim est pro parata, prompta ad prædas agendas. Burm.

36. *Si spe sint, ut sint.*] *Si spe sunt, ut sunt*, meliores ; et mox *scripsimus* pro *scribimus*. Puto :

Si spe sunt, ut erunt, inferiora tua ;

infra iv. 1. ver. 1 :

Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis. Heins.

38. *Nec, consuete, meum, lectule, corpus habes.*] Antiqui meditationi, aut scriptioni operam daturi, in lectulis suis lucubratoriis se componebant.

44. *Modum carminis.*] Finem scribendi. *Illa sui.* Illa hyems statuat modum sui, id est, desinat sævire.

PUBLII OVIDII NASONIS

TRISTIUM

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA UNICA.

QUID mihi vobiscum est, infelix cura, libelli,
  Ingenio perii qui miser ipse meo?
Cur, modo damnatas, repeto, mea crimina, Musas?
  An semel est pœnam commeruisse parum?
Carmina fecerunt, ut me cognoscere vellent
  Omine non fausto femina virque, mea:
Carmina fecerunt, ut me moresque notaret
  Jam demum visa Cæsar ab Arte meos.
Deme mihi studium; vitæ quoque crimina demes:
  Acceptum refero versibus, esse nocens.
Hoc pretium curæ vigilatorumque laborum
  Cepimus: ingenio pœna reperta meo.

1. *Cura.*] Proprie de rebus carissimis usurpatur; hinc etiam pro poemate, quoniam poetæ sua carmina amant. Mart. i. 108. 5. *Condere victuras tentem per secula curas.* HARLES.

vv. 5, 6. Hos versus genuinæ notæ non esse, putat Heinsius, nec mihi placent, potissimum *τὸ mea:* forsan minus putide legeres *meo*, et referres ad *omine*. HARLES.

7. *Notaret.*] A nota censoria sumtum vocabulum innuit ignominia et pœna adficere. vid. Burm. ad Her. ii. 86.

10. *Esse nocens* est græcismus pro *esse nocentem*, inquit Micyllus. BURM.

11. *Hoc pretium vitæ.*] *Curæ* rectius, nam *vitæ* præcesserat paulo ante; neque aliter Bersm. liber. Pont. ii. iv. 16:

Hoc pretium curæ dulce recentis erat;
atque ita jam in notis suis meus parens. HEINS.

Si saperem, doctas odissem jure sorores,
  Numina cultori perniciosa suo.
At nunc, tanta meo comes est insania morbo,
  Saxa malum refero rursus ad ista pedem.
Scilicet et victus repetit gladiator arenam;
  Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.
Forsitan, ut quondam Teuthrantia regna tenenti,
  Sic mihi res eadem vulnus opemque feret:
Musaque, quam movit, motam quoque leniet iram;
  Exorant magnos carmina sæpe Deos.
Ipse quoque, Ausonias Cæsar matresque nurusque
  Carmina turrigeræ dicere jussit Opi:
Jusserat et Phœbo dici, quo tempore ludos
  Fecit, quos ætas adspicit una semel.

14. *Cultori suo.*] Mihi Ovidio, qui eas colui ac sectatus sum. Ciof.

16. *Saxa memor refero rursus ad icta pedem.*] *Malum pedem* meliores magno numero; alii non pauci *meum: pes malus* pro læso pede; Art. Am. iii. 271, quamquam diverso sensu:

Pes malus in nivea semper celetur aluta;

pro *icta* duo veteres *acta;* lege *Saxa ista:* designat studium poeticum: pro *refero* malim etiam *referor*, ut sit græcismus: præterea unus Vaticanus pro diversa lectione: *Læsum saxa pedem rursus ad icta fero*; ut fortassis sit scribendum: *Saxa malum referor læsus ad ista pedem.* Heins.

Icta.] Mens auctoris et verborum contextus elegantem hanc suadent lectionem. conf. infra iv. 1. 27. sq. Heinsius autem corrigere maluit *ista; malum* cum Burm. uncis inclusi. Harles.

19. *Teuthrantia regna.*] Mysiæ regna, quæ tenuit rex Teuthrantus: qui virili stirpe carens, Argiopen filiam Telepho despondit, eumque reliquit regni successorem.

24. *Carmina turrigeræ.*] De Ope Saturni conjuge intelligas, de qua ita scribit Macrob. *Opem Saturni conjugem crediderunt, et ideo eodem mense Saturnalia et Opalia celebrare consueverunt, quod Saturnus, ejusque uxor tam frugum, quam fructuum repertores esse credantur. Itaque omni jam fætu agrorum coacto, ab hominibus hos Deos coli, quasi vitæ cultioris auctores, et terram* Opem, *cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur. Huic Deæ sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes ipsam matrem terram esse mortalibus adpetendam. Opi turrigeræ.* Opi coronam turritam gerenti. Mer.

25. *Jusserat et Phœbo dici.*] Seculares ludos designat, qui fiebant post centum annos: Horat. in carmine, quod de secularibus ludis cantatum est, id tempus hoc modo designavit, Epod. v. 21. sqq. vulgo ad calcem;

Certus undenos decies per annos
  Orbis ut cantus, referatque ludos
Ter die claro, totidemque grata
  Nocte frequentes.

His precor exemplis tua nunc, mitissime Cæsar,
  Fiat ab ingenio mollior ira meo.
Illa quidem justa est, nec me meruisse negabo:
  Non adeo nostro fugit ab ore pudor.
Sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses?
  Materiam veniæ sors tibi nostra dedit.
Si, quoties homines peccant, sua fulmina mittat
  Jupiter, exiguo tempore inermis erit.
Hic ubi detonuit, strepituque exterruit orbem,
  Purum discussis aera reddit aquis.
Jure igitur genitorque Deum rectorque vocatur;
  Jure capax mundus nil Jove majus habet.
Tu quoque, quum patriæ rector dicare paterque,
  Utere more Dei nomen habentis idem.
Idque facis: nec te quisquam moderatius unquam
  Imperii potuit fræna tenere sui.
Tu veniam parti superatæ sæpe dedisti,
  Non concessurus quam tibi victor erat.

Quibus versibus patet, seculares ludos centesimo decimo anno *fieri* solitos. Ludi autem celebrabantur omnibus theatris omnium generum, et sacrificia templis omnibus fiebant noctu pariter, atque interdiu. Primus autem Valerius Publicola consul post reges exactos, seculares ludos instituit. Mer. *Jusserat et Phœbo dici.* Canebatur carmen seculare Apollini et Dianæ, tamquam diis *ἀλεξικάκοις* et *ἀποτροπαίοις*, malorum depulsoribus. Pont. *Quo tempore ludos Fecit.* Ludos seculares intelligit, qui Dione teste l. 54. a. u. c. dccxxxvi. quinto celebrati sunt. Alludit autem hoc loco poeta ad præconis consuetudinem, qui convocato ad horum ludorum spectacula populo, ita dicebat: Hos ludos qui facturi sunt, nemo vestrum vidit, nec visurus est.

28. *Ab ingenio meo.*] Erga me virum ingeniosum. Cior.

40. *Utere more Dei.*] More Jovis post tonitrua serenitatem inducentis; ex quo latenter reditum precatur. *Nomen habentis idem.* Perperam in multis, *numen*; Fast. ii. 131. ad Augustum:

Hoc tu per terras, quod in æthere Jupiter alto,
Nomen habes: hominnm tu pater, ille Deum. Heins.

43. *Tu veniam parti superatæ sæpe dedisti.*] Nam Tranquillus ita scribit in Augusto: *Clementiæ civilitatisque ejus multa et magna documenta sunt, ne enumerem quot, et quos diversarum partium venia et incolumitate donatos, principem etiam in civitate locum tenere passus sit.*

Divitiis etiam multos et honoribus auctos
  Vidi, qui tulerant in caput arma tuum:
Quæque dies bellum, belli tibi sustulit iram;
  Parsque simul templis utraque dona tulit:
Utque tuus gaudet miles, quod vicerit hostem;
  Sic, victum cur se gaudeat, hostis habet.
Causa mea est melior, qui nec contraria dicor
  Arma, nec hostiles esse secutus opes.
Per mare, per terras, per tertia numina juro,
  Per te, præsentem conspicuumque Deum,
Hunc animum favisse tibi, vir maxime: meque,
  Qua sola potui, mente fuisse tuum.
Optavi peteres cælestia sidera tarde;
  Parsque fuit turbæ parva precantis idem.
Et pia tura dedi pro te: cumque omnibus unus
  Ipse quoque adjuvi publica vota meis.
Quid referam libros, illos quoque, crimina nostra,
  Mille locis plenos nominis esse tui?
Inspice majus opus, quod adhuc sine fine reliqui,
  In non credendos corpora versa modos;
Invenies vestri præconia nominis illic:
  Invenies animi pignora multa mei.

46. *Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.*] Consule Sueton. in vita Aug.

50. *Sic cur se victum.*] Sic hostis tuus cognoscit se victum justa de causa. MER.

53. *Per tertia numina.*] Per aquas. Potius cœlum intellige. CIOF. Quæ melior interpretatio; sic enim lib. iii. Amor. Eleg. viii. ver. 49. sq:

Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses:
Cur non et cœlum, tertia regna, petis?

Per ter tria numina legere Casaubonium notavit Francius. BURM.

63. *Inspice majus opus.*] Adspice Metamorphosin.

64. *In non credendos corpora versa modos.*] Ad Diogenem τὸν τὰ ἄπιστα γράψαντα videtur respexisse; e quo in Metam. inter cæteros haud dubie quædam desumserat. Meminit illius Epiph. Dan. Heins. BURM.

65. *Invenies vestri, &c.*] Laudat in metamorphosi, et in calce potissimum, Julium Cæsarem, et Aug.

Non tua carminibus major fit gloria, nec quo,
  Ut major fiat, crescere possit, habet.
Fama Jovis super est; tamen hunc sua facta referri,
  Et se materiam carminis esse, juvat:
Quumque Gigantei memorantur prælia belli,
  Credibile est lætum laudibus esse suis.
Te celebrant alii quanto decet ore, tuasque
  Ingenio laudes uberiore canunt.
Sed tamen, ut fuso taurorum sanguine centum,
  Sic capitur minimo turis honore Deus.
Ah ferus, et nobis nimium crudeliter hostis,
  Delicias legit qui tibi cumque meas!
Carmina ne nostris sic te venerantia libris
  Judicio possint candidiore legi.
Esse sed irato quis te mihi posset amicus?
  Vix tunc ipse mihi non inimicus eram.
Quum cœpit quassata domus subsidere, partes
  In proclinatas omne recumbit onus:
Cunctaque, fortuna rimam faciente, dehiscunt;
  Ipsa suo quondam pondere tecta ruunt.

69. *Fama Jovis superest.*] Heinsius errat, qui putat scribendum esse, *Fama Jovi par est*; quia cum Jove Cæsarem confert non raro: ut paulo ante jam partim vidimus; et simile mendum Gratii codices insedit, ubi legendum *Vix oneri par illa suo* pro *super*; apud Stat. de Thiodamante, viii. 285.

Seque oneri negat esse parem;

Val. Fl. i. 110. sq. de Hyla:

Velit ille quidem, sed dextera nondum
Par oneri, clavæque capax.

Nihil clarius: *Fama Jovis est supra* omnes; tamen laudari ipse gaudet.

73. *Te celebrant alii.*] Maronem inprimis designat. Mer.

78. *Delicias meas.*] Vel libros Amorum, vel certe amatoria præcepta intellige.

vv. 79, 80. Heinsius hoc distichon inter spuria numerat: Burm. contra, quoniam *quoque te ven.* prima edit. et tres codd. ac plurimi *quo te: indicio* autem omnes fere habent, legendum suspicatur. *Carmina de nostris quoque te venerantia libris Indicio possent candidiore legi.* h. e. ferus ille, qui legit libros artis amatoriæ, et excerpsit ea, quæ te offendere possent, potuissent candidiore indicio ea carmina legi, i. e. eligi, quæ prælegerentur, de libris nostris, quæ te venerantur. Harles.

vv. 85, 86. Hos etiam versus suspectos sibi esse, et repetitionem supe-

Ergo, hominum quæsitum odium mihi carmine, quaque
Debuit, est vultus turba secuta tuos.
At, memini, vitamque meam moresque probabas
Illo, quem dederas, prætereuntis equo.
Quod si non prodest, et honesti gratia nulla
Redditur, at nullum crimen adeptus eram.
Nec male commissa est nobis fortuna reorum,
Lisque decem decies inspicienda viris.
Res quoque privatas statui sine crimine judex,
Deque mea fassa est pars quoque victa fide.

rioris distichi, censet Heinsius. Atque ego lubentissime subscriberem, nisi Ovidium ubertate et copia sæpius laborare, notum esset. Harles.

90. *Prætereuntis equo.*] Probasse mores ipsius argumento esse ait, quod ab eo, ut censore, equo donatus sit. Loquitur autem de equo transvectionis. Dionysius, lib. vi. scribit, in honorem adparitionis Castorum, illiusque victoriæ, quæ ad lacum Regillum parta est, equis sedentes transvehi, incipientes a templo Martis extramurano, perrexisse per forum, juxta ædem Castoris. Fiebat autem hæc transvectio idib. Quintilibus, quo die apud lacum Regillum prospere pugnatum est, Castore et Polluce auxiliantibus. In transvectione autem equites vehebantur, coronati olivarum ramis, induti que trabeis punicei coloris, secum gestantes ornamenta, præmiaque omnia fortitudinis, quæcumque in præliis ob rem bene gestam, a ductoribus suis accepere.

vv. 91, 92. Hi quoque versus suspecti sunt Heinsio. Burm. conjecit: *Quod si non prodest, et honestæ gloriæ vitæ Perditur; at nullum crimen ademit equum.* Eleganter quidem, sed hoc erit urere, non mederi. Harles.

93. *Nec male commissa est.*] His duobus versibus designat se poeta centumvirum fuisse. In eo enim judicio causæ testamentariæ, et hæreditariæ, criminalesque etiam audiebantur. Centumviri autem a numero virorum dicebantur. Nam quum Romæ essent quinque et triginta tribus, terni ex singulis tribubus eligebantur ad judicandum: et licet quinque supra centum fuerint, tamen ut facilius nominarentur, centumviri sunt dicti. Eorum vero judicium *centumviralis hasta* nominabatur: quod posita in foro hasta, centumviri judicabant. *Fortuna reorum.* Sors eorum, qui centumvirali judicio subjiciebantur.

94. *Usque decem decies.*] Τὸ *Usque* frivolum et otiosum hoc loco: duo veteres *Utque;* unus *Visque.* Scribe omnino: *Lisque decem decies inspicienda viris.* Centum viros litibus judicandis designat. Ne dubita de hac restitutione. Heins.

95. *Res quoque privatas statui.*] Nihil aliud vult, nisi se etiam inter judices adlectum, quos prætor in causis privatis dare solebat. Omnia confundit ignorantia antiquitatis Merula, inepte adserens Ovid. judicem ex quarta decuria fuisse, et triumvirum electum. Triumvir fuit; sed illi non judicabant. Burm.

Me miserum! potui, si non extrema nocerent,
Judicio tutus non semel esse tuo.
Ultima me perdunt; imoque sub æquore mergit
Incolumem toties una procella ratem:
Nec mihi pars nocuit de gurgite parva: sed omnes
Pressere hoc fluctus, Oceanusque caput.
Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?
Inscius Actæon vidit sine veste Dianam;
Præda fuit canibus non minus ille suis.
Scilicet in Superis etiam fortuna luenda est;
Nec veniam, læso numine, casus habet.
Illa namque die, qua me malus abstulit error,
Parva quidem periit, sed sine labe, domus.
Sic quoque parva tamen, patrio dicatur ut ævo
Clara, nec ullius nobilitate minor;
Et neque divitiis, nec paupertate notanda:
Unde fit in neutrum conspiciendus eques.
Sit quoque nostra domus, vel censu parva, vel ortu;
Ingenio certe non latet illa meo.
Quo videar quamvis nimium juveniliter usus;
Grande tamen toto nomen ab ore fero.

103. *Cur aliquid vidi?*] De causa relegationis Ovidii multi multa scripsere; in quibus non deest, qui credat eum vidisse Augusti incestum cum filia Julia. Et crebrius et gravius hanc noxam deplorat, quam illam alteram, cui stultitiæ nomen imponit.

104. *Cur imprudenti cognita culpa mihi est.*] *Cognita causa* veteres octo, ut cognitor in causa aliqua fuisse videatur, et hoc etiam nomine offenderit Augustum; Fast v. ii:

Non satis est liquido cognita causa mihi.

105. *Inscius Actæon.*] Conf. Met. iii. ver. 175. sqq.

113. *Notanda est.*] Tò *est* puto delendum cum multis veterum: deinde pro *sit* quidam *fit*. Heins.

114. *Unde sit in neutrum conspiciendus eques.*] Auctor vitæ Pomponii Attici: *Supellex modica non multa, ut in neutram partem conspici posset.* Heins.

115. *Vel censu.*] Vel fortunis. Equestris census erat, quadringenta sestertia, hoc est, decem millia Philippeorum; hodie 35,000 francorum.

Turbaque doctorum Nasonem novit, et audet
  Non fastiditis adnumerare viris.
Corruit hæc igitur Musis accepta, sub uno,
  Sed non exiguo, crimine lapsa domus:
Atque ea sic lapsa est, ut surgere, si modo læsi
  Ematuruerit Cæsaris ira, queat.
Cujus in eventu pœnæ clementia tanta est,
  Ut fuerit nostro lenior illa metu.
Vita data est, citraque necem tua constitit ira,
  O princeps parce viribus use tuis.
Insuper accedunt, te non adimente, paternæ,
  Tanquam vita parum muneris esset, opes.
Nec mea decreto damnasti facta senatus:
  Nec mea selecto judice jussa fuga est.
Tristibus invectus verbis, ita principe dignum,
  Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas.
Adde, quod edictum, quamvis immane minaxque,
  Attamen in pœnæ nomine lene fuit.
Quippe relegatus, non exsul dicor in illo;
  Parcaque fortunæ sunt data verba meæ.

124. *Ematuruerit.*] Matura facta fuerit, et lenita. Et Columella, lib. vii:

Et quum maturuit suppuratio, rescinditur ferro;

vide Gell. lib. x. cap. ii.

127. *Citraque necem.*] Citra animadversionem in vitam et fortunas.

130. *Tanquam vita parum muneris esset.*] Laudat Cæsaris clementiam, cui vita Ovidio concessa parvum beneficium videbatur, nisi etiam illi fortunas suas concessisset.

132. *Selecto.*] Fuerunt enim quatuor decuriæ judicum primo, pluribus discretæ nominibus. Namque aliæ tribunorum æris, aliæ judicum. Quidam nongenti, quidam selecti vocabantur; Plin. lib. xxxiii.

133. *Ita principe dignum.*] *Dignum est* plerique; Buslidianus *a principe dignus.* Puto *ac principe dignis.* Heins.

Tristibus.] h. e. severis, minacibus v. ad Virgil. ii. 14. in Chrestom. lat. poetica. *ita*, non video, cur cum Burmanno mutarem in *et* aut *ut*: illud *ita* mihi gravius esse videtur. Harles.

135. *Immanis.*] Proprie: non bonus ab antiquo *manus* aut *manis* pro *bono.* v. Macrob. Saturn. i. c. 3. et Vossium in Etymolog. sub vv. *immanis* et *mane.* Ex his videmus, alteram lectionem *immite* esse interpretamentum. Harles.

137. *Quippe relegatus.*] Relegare est, in insulam aliquem, vel in alium locum mittere; differtque exsilium

Nulla quidem sano gravior mentisque potenti
  Pœna est, quam tanto displicuisse viro.
Sed solet interdum fieri placabile numen:
  Nube solet pulsa candidus ire dies.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus ulmum,
  Quæ fuerat sævo fulmine tacta Jovis.
Ipse licet sperare vetes, sperabimus æque;
  Hoc unum fieri, te prohibente, potest.
Spes mihi magna subit, quum te, mitissime princeps;
  Spes mihi, respicio quum mea fata, cadit.
Ac veluti ventis agitantibus æquora, non est
  Æqualis rabies, continuusque furor;
Sed modo subsidunt, intermissique silescunt,
  Vimque putes illos deposuisse suam;
Sic abeunt, redeuntque mei, variantque timores;
  Et spem placandi dantque negantque tui.

(ut jurisconsultis placet) a relegatione, quod *exsilium* est perpetuum, *relegatio* fit ad tempus. *Non exsul dicor ab urbe* pr. Palat.

138. *Parcaque.*] Alii codd. *paucaque*, aut *parvaque* sollemni permutatione. v. Burm. ad Lucan. v. 505. et Drakenb. ad Sil. Ital. i. 680. loco *data* alii *ibi* aut *tibi*, ac *verba dare*, quod est fallere, decipere, hoc loco in censum venire nequeunt, ut jam bene monuit Burm. qui vero novam protulit conjecturam; neque vero sibi ipse satisfecit: *Pars quoque fortunæ sunt tua verba* [n. illa mitia, me esse tantum relegatum] *meæ*. Enimvero mihi, antiquam deserere lectionem, non opus esse videtur. Retinerem igitur *ibi* et *parca*, h. e. mitia, lenia, ut Sil. Ital. xvi. 111. *parco* h. e. levi *vulnere violare*, aut plenius idem ille xii. 424. canit *nihil levior, nec parcior iræ*. Aut si commodior videretur emendatio Burm. *pars quoque*, loco tamen suo *ibi* non moverem. Sensus: Quæ in illo edicto de me meaque fortuna dixisti, sunt ab ira aliena; aut, quod de me dixisti adeo leniter, in partibus meæ pono fortunæ. HARLES.

139. *Mentisque potenti.*] Compoti mentis: cujus mens de potestate sua non exiit.

145. *Sperabimus: atque Hoc unum fieri.* Lege, *Sperabimus æque;* nihilominus sperabimus: præter morem Ovidii in ultimo versu nova periodus incipit. Posset etiam legi *sperabimus usque.*

Sperabimus.] Multo fortius dictum hoc videtur unicum vocabulum, quam emendatio Heinsiana, quæ valde friget: a Verpoortenio tamen recepta *sperabimus æque*, aut *usque*. HARLES.

Per Superos igitur, qui dent tibi longa, dabuntque
  Tempora, Romanum si modo nomen amant;
Per patriam, quæ te tuta et secura parente est;
  Cujus, ut in populo, pars ego nuper eram;
Sic tibi, quem semper factis animoque mereris,
  Reddatur gratæ debitus urbis amor.
Livia sic tecum sociales compleat annos,
  Quæ, nisi te, nullo conjuge digna fuit:
Quæ si non esset, cælebs te vita deceret;
  Nullaque, cui posses esse maritus, erat.
Sospite sic te sit natus quoque sospes; et olim
  Imperium regat hoc cum seniore senex:
Utque tui faciunt, sidus juvenile, nepotes,
  Per tua, perque sui facta parentis eant.
Sic adsueta tuis semper victoria castris,
  Nunc quoque se præstet, notaque signa petat;
Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis,
  Ponat et in nitida laurea serta coma:

155. *Qui dant tibi longa, dabuntque, Tempora.*] Scribe, *qui dent tibi*; quod augurantis et voventis est.

157. *Tuta.*] A qua vis hostium repulsa est; *secura*, quæ dehinc non timet novos incursus et hostiles impetus. v. Burm.

161. *Livia sic tecum.*] Liviam Drusillam dicit, quam Augustus, repudiata Scribonia, duxit uxorem. Eam a matrimonio Tiberii Neronis, et quidem prægnantem abduxit, dilexitque et probavit unice, ac perseveranter, ut scribit Tranquillus. Heins.

165. *Natus.*] n. Tiberius, ab Augusto privigno adoptatus. v. Suet. Tib. c. 15. Harles.

167. *Nepotes.*] Drusus atque Germanicus, ille naturalis, hic adoptivus Tiberii filius (Suet. Tiber. c. 15. et 52.) imitentur facta Augusti suique parentis, Tiberii, uti etiam faciunt. Harles.

169. *Sic adsueta tuis semper victoria castris.*] Victoria Dea fuit, quam Apuleius, lib. ii. Metamorph. *palmarem Deam* appellat.

171. *Ausoniumque ducem.*] Tiberium designat, qui, nunciata Illyrici defectione, transiit ad curam novi belli, quod gravissimum omnium bellorum post Punica, per quindecim legiones, paremque auxiliorum copiam triennio gessit: quo temporis spatio domuit totum Illyricum: quas ob res triumphus ei decretus est, quem distulit, mœsta civitate clade Variana. Nihilominus urbem prætextatus, et laurea coronatus intravit. Potes etiam intelligere (quod magis placet) Germanicam expeditionem, quam Drusus, Tiberii frater et Augusti privignus, sus-

Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas;
Auspicium cui das grande, Deosque tuos;
Dimidioque tui præsens es, et adspicis urbem;
Dimidio procul es, sævaque bella geris.
Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste;
Inque coronatis fulgeat altus equis;
Parce, precor; fulmenque tuum, fera tela, reconde,
Heu nimium misero cognita tela mihi!
Parce, pater patriæ: nec nominis immemor hujus
Olim placandi spem mihi tolle tui.
Nec precor, ut redeam: quamvis majora petitis
Credibile est magnos sæpe dedisse Deos.
Mitius exsilium si das, propiusque roganti,
Pars erit e pœna magna levata mea.
Ultima perpetior, medios projectus in hostes;
Nec quisquam patria longius exsul abest.
Solus ad egressus missus septemplicis Istri,
Parrhasiæ gelido virginis axe premor.
Jazyges, et Colchi, Metereaque turba, Getæque,
Danubii mediis vix prohibentur aquis.

cepit Augusti auspiciis, ut Florus scribit.

174. *Deosque tuos.*] Apollinem, Julium Cæsarem, et cæteros Deos, Augusti familiares. Vel *ἐκ παραλλήλου* dictum, ut idem significet, auspicium et Deos tuos. MER.

175. *Dimidioque tui.*] Propter egregium amorem, quo ducem suum hunc Augustus diligebat, vocat ejus dimidium: ut Horat. *Virgilium, dimidium animæ suæ.* HEINS.

182. *Olim placandi spem,* &c.] Sensus est; nec immemor hujus nominis, nec tolle spem mihi olim tui placandi; ut particula negandi bis repetatur. *Olim,* aliquando. CIOF.

189. *Solus ad ingressus,* &c.] Immo *egressus,* quod plerique veteres agnoscunt; malim tamen *egressum,* ut *κακοφωνία* vitetur. HEINS. *Ad egressus.* Ad ostia per quæ Danubius in mare se exonerat.

190. *Parrhasiæ virginis.*] Callistus ex Arcadia: quæ in ursam mutata a Jove, in septemtrione locata fuit: sic dicta a Parrhasia urbe Arcadiæ.

191. *Jazyges.*] Jazyges populi fuere Scytharum, quos Plinius scribit campos et plana tenuisse. *Colchi.* Colchi (auctore Dionysio) fuere ad extremum Ponti, Caucaso monte adhærentes, olim ex Ægypto profecti: *Colchos* accipere etiam eos licet, qui Medeam fugientem persecuti, quum illam adprehendere non potuissent, circa To-

Quumque alii causa tibi sint graviore fugati,
Ulterior nulli, quam mihi, terra data est:
Longius hac nihil est, nisi tantum frigus et hostis,
Et maris adstricto quæ coit unda gelu.
Hactenus Euxini pars est Romana sinistri;
Proxima Basternæ Sauromatæque tenent:
Hæc est Ausonio sub jure novissima, vixque
Hæret in imperii margine terra tui.
Unde precor supplex, ut nos in tuta releges;
Ne sit cum patria pax quoque demta mihi:
Ne timeam gentes, quas non bene submovet Ister;
Neve tuus possim civis ab hoste capi.
Fas prohibet Latio quemquam de sanguine natum,
Cæsaribus salvis, barbara vincla pati.
Perdiderint quum me duo crimina, carmen et er-
Alterius facti culpa silenda mihi: [ror;
Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera, Cæ-
Quem nimio plus est indoluisse semel. [sar,

mos, et insulas Brigeidas consederunt; ut et Harlesio placet. *Metereaque turba.* Aut urbem Meteream eam intellige, quam Ptolem. supra Thyram fluvium ponit, penes Daciam, et *Metonium* appellat; aut certe *Neurea*, ut Neuros intelligas apud quos oritur Borysthenes, ut est auctor Plinius. *Getæque.* Getas Strabo eos appellatos dicit, qui ad Pontum in orientem vergebant: *Dacos* vero, qui in obpositum versus Germaniam et ad Istri fontes, quos olim *Davos* vocatos fuisse arbitratur.

192. *Vix prohib.*] Quin invadant nos.

196. *Adstricto gelu.*] Cimmerius Bosporus, qui Asiam ab Europa separat, ita glaciatur, ut mare illud pedibus plerumque pervium sit, ut Plinius docet: quam glaciem dicit poeta esse paulo ultra terras ad quas relegatus est. Vel certe intellige Ponti partem, quam brumali rigore durari diximus supra.

197. *Hactenus*, &c.] Usque ad Danubium: quem dicit esse terminum Romani imperii. Vicina Basternæ et Sauromatæ hostes occupant. *Euxini sinistri*, Pontici maris, qui est a sinistra navigantibus ad Cimmerium Bosporum. *Est pars Romana.* Est ditionis Romanæ.

198. *Basternæ.*] Basternæ populi fuere ad Oceanum septemtrionalem versi. Eos Ptolemæus scribit fuisse in Sarmatia Europæ. Hos Tacitus *Peucinos* nominat, dubitatque Sarmatisne an Germanis adscribat. *Tenent proxima.* Tenent loca Istro vicina.

203. *Non bene submovet.*] Non bene arcet. Mer.

Altera pars superest, qua, turpi crimine tactus,
  Arguor obscœni doctor adulterii.
Fas ergo est aliqua cœlestia pectora falli;
  Et sunt notitia multa minora tua?
Utque, Deos cœlumque simul sublime tuenti,
  Non vacat exiguis rebus adesse Jovi;
A te pendentem, sic, dum circumspicis orbem,
  Effugiunt curas inferiora tuas.
Scilicet imperii, princeps, statione relicta,
  Imparibus legeres carmina facta modis?
Non ea te moles Romani nominis urget,
  Inque tuis humeris tam leve fertur onus;
Lusibus ut possis advertere numen ineptis,
  Excutiasque oculis otia nostra tuis.
Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda;
  Rhætica nunc præbent, Thraciaque arma, metum:
Nunc petit Armenius pacem: nunc porrigit arcus
  Parthus eques, timida captaque signa manu.

211. *Turpi crimine lectus.*] *Carmine factus* meliores magno numero. Malo, *turpi crimine tactus;* hinc taxare et taxatores scenici dicti, quod alter alterum maledictis tangat; vide Festum in *Taxat.* *Turpi crimine læsus* in Arondeliano. Heins. Burm. conjicit *sectus.* Harles. *fractus.*

218. *Inferiora.*] Ut fuere mea carmina de Arte amatoria.

225. *Nunc tibi Pannonia est.*] Natio ingens circa Istrum; hi *Pæones* a Græcis, a Romanis *Pannonii* appellati fuere: et ab illis inter Illyrios numerabantur; vide Florum. *Nunc Illyris ora domanda.* Post finem bellorum civilium, Aug. (ut Flor. docet) reliqua bella gessit adversum exteras gentes, quæ districto circa mala sua imperio diversis orbis oris emicabant: nova quippe pax; necdum adsuetæ frenis servitutis, tumidæ gentium inflatæque cervices ab imposito nuper jugo resiliebant.

226. *Rhætica nunc præbent.*] Rhæti ad Italiam usque pertinent, quæ supra Veronam et Comum est. *Thraciaque arma.* Thraces quoque cum cæteris desciverant: qui et signis militaribus, et disciplina, armis etiam Romanis adsueti fuerant. Pausanias etiam scribit, nullam nationem, præter Galliam, Thracia majorem esse. Hor. ii. Od. 16. *bello furiosa Thrace.*

227. *Parthus nunc porrigit arcus.*] Augustus (auctore Justino) finito Hispano bello, in Syriam ad componendum Orientis statum pervenit; metumque Phrahati injunxit, ne bellum Parthiæ vellet inferre. Itaque tota

Persequar inferius, modo si licet ordine ferri,
 Posse nocere animis carminis omne genus.
Non tamen idcirco crimen liber omnis habebit;
 Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
 Comparat, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina salutem:
 Quæque juvans monstrat, quæque sit herba nocens.
Et latro, et cautus præcingitur ense viator:
 Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
Discitur, innocuas ut agat facundia causas;
 Protegit hæc sontes immeritosque premit.
Sic igitur carmen, recta si mente legatur,
 Constabit nulli posse nocere meum.
At quiddam vitii quicumque hinc concipit, errat;
 Et nimium scriptis abrogat ille meis.
Ut tamen hoc fatear, ludi quoque semina præbent
 Nequitiæ: tolli tota theatra jube;
Peccandi causam quæ multis sæpe dederunt,
 Martia quum durum sternit arena solum.
Tollatur circus; non tuta licentia circi;
 Hic sedet ignoto juncta puella viro.
Quum quædam spatientur in hac, ut amator eadem
 Conveniat, quare porticus ulla patet?

originem: eo scilicet adludens, quod et Æneas ex adulterio Veneris et Anchisæ natus fuerit.

265. *Non tamen idcirco.*] Distichon suspectum: ver. 243. simile carminis initium. Heins.

270. *Quæque juvet monstrat.*] *Juvans* prior Politiani; quod placet, ut τῷ *nocens* opponatur. Heins.

278. *Et nimium scriptis arrogat ille meis.*] *Abrogat* scribe cum multis veterum; quo verbo Livius aliique optimi latinitatis auctores utuntur. Nonnulli etiam *derogat.* Heins.

282. *Sternit durum solum.*] Hoc dicit, quia ludi gladiatorii exhibebantur in foro arena constrato.

283. *Tollatur circus.*] Idem apertius in libro primo de Arte amandi, ver. 135 sq. ita ostendit:

Ne te nobilium fugiat certamen equorum:
 Multa capax populi commoda circus habet.

Quis locus est templis augustior? hæc quoque vi-
In culpam si qua est ingeniosa suam. [tet,
Quum steterit Jovis æde; Jovis succurret in æde,
Quam multas matres fecerit ille Deus.
Proxima adoranti Junonia templa subibit,
Pellicibus multis hanc doluissé Deam.
Pallade conspecta, natum de crimine virgo
Sustulerit quare, quæret, Erichthonium.
Venerit in magni templum, tua munera, Martis,
Stat Venus ultori juncta viro ante fores.
Isidis æde sedens, cur hanc Saturnia, quæret,
Egerit Ionio Bosporioque mari.
In Venere Anchises, in Luna Latmius heros,
In Cerere Iasion, qui referatur, erit.

289. *Quum steterit Jovis æde*, &c.] Quum venerit in ædem Jovis Capitolini, tunc reputabit, quam, &c.

293. *Natum de crimine.*] Natum de lite. Erichthonio nomen impositum *ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονὸς*, id est, ex certamine atque humo: auctor Lactantius. Fabulam refert Servius, et Ovidius libro Metamorph. secundo.

295. *Venerit in magni templum.*] Martis ultoris designat, quod Augustus bello Philippensi pro ultione paterna susceptum voverat; in quo voluit de bellis triumphisque consuli senatum: sanxitque, ut provincias cum imperio petituri ex eo deducerentur, quique victores rediissent, eo insignia triumphorum inferrent. Mer.

296. *Stat Venus ultori.*] Quasi dicat, succurrit adulterium Martis cum Venere. Intelligit autem ædem Veneris genitricis junctam Martis templo. *Juncta viro;* duriores numeri; neque recte Veneris *virum ultorem* Martem dici puto, quum *amator* fuerit, quem *viro* infra ver. 372. opponit. Forte scripserit; *Stat Venus ultori juncta quid ante fores?* scilicet, *quæret* quid, id est, quare Venus stet ante fores, juncta ultori.

298. *Egerit Ionio Bosporioque mari.*]

Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras,
Inachiæ Juno pestem meditata juvencæ.

Virgil. iii. Georg. 152. sq.

Οἶστρον καλοῦσιν αὐτὸν οἱ Νείλου πέλας·

Æschyl. Sup.

Φοινήεντι μύωπι βοῶν ἐλατῆρι τυπεῖσα·

Coluth. Theban.

Ἴναχις Ἰὼ
Φοιταλέη δὲ πόδεσσιν ἐφ' ἁλμυρὰ βαῖνε κέλευθα·

Mosch. Idyll. ii. ver. 44.

299. *In Luna Latmius heros.*] Endymionem designat, a Latmio monte Cariæ cognominatum.

300. *In Cerere Iasion*, &c.] Fuit Jasion, de quo hic poeta intelligit, filius Jovis et Electræ, fraterque Dardani et Armoniæ Cadmi uxoris, qui sumta uxore Cybele, Corybantum ge-

Omnia perversas possunt corrumpere mentes;
  Stant tamen illa suis omnia tuta locis.
At procul ab scripta solis meretricibus Arte
  Submovet ingenuas pagina prima nurus.
Quæcumque irrumpit, quo non sinit ire sacerdos,
  Protinus hoc vetiti criminis acta rea est.
Nec tamen est facinus molles evolvere versus:
  Multa licet castæ non facienda legant.
Sæpe supercilii nudas matrona severi,
  Et Veneris stantes ad genus omne, videt.
Corpora Vestales oculi meretricia cernunt;
  Nec domino pœnæ res ea causa fuit.
At cur in nostra nimia est lascivia Musa?
  Curve meus cuiquam suadet amare liber?
Nil nisi peccatum, manifestaque culpa, fatendum est?
  Pœnitet ingenii judiciique mei:

nuit, a quo Corybantes appellati sunt. Ex Jasione autem et Cerere Plutonem natum fabulæ tradunt. Quin in gratiam Jasionis constat, frumenti copiam a Cerere dono datam in nuptiis Armoniæ. Auctor Diodorus.

305. *Quæcumque erumpit.*] *Irrumpit*, et *quo* pro *qua* recte multi vetustiores. *Irrumpere* dicebantur qui adyta non initiati subibant. Heins. — *Quæcumque erumpit.* Arguit a simili ream esse illam, quæ prohibita et rejecta inspexit ejus præcepta; quemadmodum ea quæ prohibente sacerdote erupit, quo non licet.

309. *Nudas.*] Meretrices et *genus omne* mulierum impudicarum *stantes ad Veneris* ædem, quæ *nudæ* solebant Floralia celebrare, de quibus Ovid. Fastor. v. 183. 349. sqq. Valer. Max. ii. 6. 8. Verpoort. Illa Floralia edere solebat Ædilis pleb. quem *dominum* vocat Ovidius, aut, *dominus*, est mango, vel quicunque venales ancillas exponit, quæ nudæ stabant et contrectabantur. vide Burm. et Heinsium qui quidem legere malit, satis vero audacter, *Nec damno scenæ res ea visa fuit.* Harles.

312. *Nec domino pœnæ res ea causa fuit.*] De Lenone interpretantur; sed cur Lenoni potius ob id pœna decernatur, quam Ædilibus, qui Floralia exhibebant? Quare aut versum hunc adulteratum esse censeo, aut scribendum:

Nec damno scenæ res ea visa fuit.

In Combiano, pro diversa lectione, *Roscia causa.* Certe Roscius comœdus librum ediderat, in quo causam histrioniæ agebat, eamque comparabat cum eloquentiæ studio. Meminit hujus scripti Macrobius, Saturn. lib. ii. c. 14. Sed abruptus nimis sit transi tus a Vestalibus ad Roscium. Heins.

Cur non, Argolicis potius quæ concidit armis,
  Vexata est iterum carmine, Troja, meo?
Cur tacui Thebas, et mutua vulnera fratrum?
  Et septem portas, sub duce quamque suo?
Nec mihi materiam bellatrix Roma negabat:
  Et pius est, patriæ facta referre, labor.
Denique, quum meritis impleveris omnia, Cæsar,
  Pars mihi de multis una canenda fuit.
Utque trahunt oculos radiantia lumina Solis;
  Traxissent animum sic tua facta meum.
Arguor immerito; tenuis mihi campus aratur:
  Illud erat magnæ fertilitatis opus.
Non ideo debet pelago se credere, si qua
  Audet in exiguo ludere cymba lacu.
Forsitan et dubitem, numeris levioribus aptus
  Sim satis; in parvos sufficiamque modos.
At si me jubeas domitos Jovis igne Gigantas
  Dicere; conantem debilitabit onus.

318. *Vexata est iterum.*] Troja iterum dicitur vexari carmine, quum ejus casus et ruina quasi vera clades describitur.

319. *Et mutua vulnera fratrum.*] Per mutua vulnera fratrum, Eteoclis et Polynicis mortem intellige, qui mutuo ictu cecidere, ut Diodorus scribit, et Statius cecinit, ex quo Thebanum bellum designat.

320. *Sub duce quamque suo.*] Septem enim reges contra Eteoclem pro Polynice conspirarunt, scilicet Adrastus Argivorum rex, Amphiaraus Hippomedon, Capaneus, Tydeus, Parthenopæus, et Polynices, pro quo bellum gestum est, Adrasti ductu et auspiciis. In oppugnatione autem Thebarum, horum ducum unusquisque portam sibi oppugnandam sumserat.

322. *Facta.*] Quoniam *tua facta* mox sequitur, Burm. emendare cupit *fata:* quæ emendatio minus necessaria mihi quidem videtur, potissimum ob epitheton *bellatrix*, cui *facta* potius, quam *fata* respondent. Atque Romam deam esse cultam, neminem fugiet. In Oiselii Thesauro numism. tab. 52. n. 7. reperitur nummus, ubi templum est sex columnarum, in quo Roma, deæ instar, sedet galeata, sinistra hastam, dextra Victoriolam tenens. v. Oiselii comment. pag. 316. Harles.

328. *Illud opus.*] Vel bellum Thebanum et reliqua, vel Augusti gesta. Mer. — *Magnæ fertilitatis.* Ingenii fertilis, uberis ingenii. Bersm.

330. *Ludere cymba.*] *Currere* Moreti et tres alii; sed præstat *ludere*, quod fit, quum nautæ per otium, ad

Divitis ingenii est immania Cæsaris acta
Condere; materia ne superetur opus.
Et tamen ausus eram: sed detrectare videbar,
Quodque nefas, damno viribus esse tuis.
Ad leve rursus opus, juvenilia carmina, veni;
Et falso movi pectus amore meum.
Non equidem vellem: sed me mea fata trahebant,
Inque meas pœnas ingeniosus eram.
Heu mihi, quod didici! quod me docuere parentes,
Literaque est oculos ulla morata meos!
Hæc tibi me invisum lascivia fecit, ob artes,
Quas ratus es vetitos sollicitasse toros.
Sed neque me nuptæ didicerunt furta magistro;
Quodque parum novit, nemo docere potest.
Sic ego delicias, et mollia carmina feci,
Strinxerit ut nomen fabula nulla meum.
Nec quisquam est adeo media de plebe maritus,
Ut dubius vitio sit pater ille meo.
Crede mihi, mores distant a carmine nostri;
Vita verecunda est, Musa jocosa, mihi:
Magnaque pars operum mendax et ficta meorum
Plus sibi permisit compositore suo.
Nec liber indicium est animi, sed honesta voluptas,
Plurima mulcendis auribus apta ferens.

ostentandam artis peritiam et navium habilitatem, ludunt. Postea *lusoriæ* naves levissima et expeditissima navigia dicta. Burm.

337. *Sed detrectare videbar.*] Septem, aut octo veteres *delirare*: prim. Polit. et Hamburg. et Putean. *dereci-tare*: an pro *depretiare*? quo verbo Paulus usus, lib. xxii. D. ad legem Aquiliam. Glossæ ineditæ, *Depretiati* ἐλαττωθέντες. Sed nescio an id seculi Ovidiani sit verbum. Usus et eo Tertullianus non semel. Duo alii *detrectare verebar*; unus *dedecorare*; alius *decertare*. Heins.

338. Constructio: et videbar viribus tuis damno esse, quod nefas erat. Harles.

350. *Strinxerit meum nomen.*] Læserit meam famam.

356. *Compositore suo.*] Me Ovidio, qui ea composui.

Accius esset atrox; conviva Terentius esset;
Essent pugnaces, qui fera bella canunt.
Denique composui teneros non solus Amores:
Composito pœnas solus amore dedi.
Quid nisi cum multo Venerem confundere vino
Præcepit lyrici Teia Musa senis?
Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare, puellas?
Tuta tamen Sappho, tutus et ille fuit.
Nec tibi, Battiade, nocuit, quod sæpe legenti
Delicias versu fassus es ipse tuas.
Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri;
Et solèt hic pueris virginibusque legi.
Ilias ipsa quid est, nisi turpis adultera, de qua
Inter amatorem pugna virumque fuit?
Quid prius est illi flamma Chryseidos? utque
Fecerit iratos rapta puella duces?
Aut quid Odyssea est, nisi femina, propter amorem,
Dum vir abest, multis una petita procis?

359. *Esset atrox.*] Esset crudelis, propterea, quod tragœdias scripsit.

364. *Teia Musa.*] Anacreontis Musa: is enim Teon patriam habuit, ut est auctor Strabo.

365. *Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare, puellas?*] Sappho Lesbia prima plectrum reperit, libros lyricos composuit, epigrammata, iambos, et elegias: hujus autem poemata lasciva erant. Et Hor. Od. iv. ix. 11. sq:

Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ.

367. *Nec tibi, Battiade, nocuit.*] Battiades Callimachus appellatur, a Batto, generis sui auctore, qui Cyrenem condidit, ut Strabo, Herodotus, et Justinus scribunt. Composuit autem poemata omni genere carminum: Lyden puellam amavit, de qua etiam elegias scripsit.

371. *Ilias ipsa quid est aliud, nisi adultera.*] *Nisi turpis adultera* cum primis editionibus; Epist. Laodamiæ, 33:

Quid petitur tanto nisi turpis adultera bello?

Turpis hoc loco ad mores, non ad faciem refertur; in Epist. Œnon. ad Parid. de ipsa Helena, ver. 170:

Hærebat gremio turpis amica tuo.

HEINS.

373. *Quid prius est illi flamma Chryseidos.*] Quid in principio statim Iliados describitur? certe Agamemnonis amor in Chryseida.

374. *Rapta puella.*] Briseis Achilli erepta ab Agamemnone: cujus rei causa, ortæ sunt inter eos inimicitiæ.

Quis, nisi Mæonides, Venerem Martemque ligatos
Narrat, in obscœno corpora prensa toro?
Unde, nisi indicio magni sciremus Homeri,
Hospitis igne duas incaluisse Deas?
Omne genus scripti gravitate tragœdia vincit:
Hæc quoque materiam semper amoris habet.
Nam quid in Hippolyto, nisi cæcæ flamma novercæ?
Nobilis est Canace fratris amore sui.
Quid? non Tantalides, agitante cupidine currus,
Pisæam Phrygiis vexit eburnus equis?
Tingeret ut ferrum natorum sanguine mater,
Concitus a læso fecit amore dolor:
Fecit amor subitas volucres cum pellice regem,
Quæque suum luget nunc quoque mater Ityn.

377. *Venerem Martemque ligatos.*] Athenæus, lib. i. cap. 12; item, lib. xii. in principio, satis honeste hanc fabulam interpretatur; cantorem, inquiens, apud Hom. Odyss. Θ, Phæacas dehortari voluisse a malis moribus, quibus laborabant. Quod et ipse auctor fabulæ videtur significare egregio hoc epiphonemate: Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα. Adi et Plutarch. de poetis audiendis.

380. *Duas Deas.*] Calypso et Circe.

383. *Nam quid in Hippolyto.*] De quo Eur. et Sen. tragœdiam scripserunt.

384. *Nobilis est Canace.*] Canace ex fratre Macareo filium peperit: quo scelere comperto, seipsam jussu patris interfecit. Macareus vero in templum Apollinis Delphici confugit.

385. *Quid? non Tantalides.*] In Peloponnesi civitate, Mars ex Ægina, Asopi filia, genuit Œnomaum: hic unicam filiam Hippodamiam habuit; finem vitæ ab oraculo sciscitanti, responsum est, tunc fatis illum concessurum, quum filia Hippodamia nupsisset; vide fab. apud Ovid. Servium et alios. Inter Sophoclis tragœdias perditas, Hippodamia et Œnomaus citantur, quæ forte una eademque, et huc spectare videtur. Euripidis etiam Œnomaus a Fabricio non omittitur. Burm.

386. *Pisæam.*] Hippodamiam ex Pisa, civitate Arcadiæ. *Phrygiis equis.* Psilla et Harpina, quos equos Pelops e Phrygia veniens secum duxit. *Eburnus.* Eburnus Pelops vocatur a poetis, quoniam Tantalus ejus pater volens Deorum tentare divinitatem, eis invitatis filium suum epulandum adposuit; a quo omnes Dii abstinuerunt, excepta Cerere, quæ brachium ejus consumsit. Postea Dii, petente Tantalo, quum voluissent ejus filium revocare ab inferis, Ceres ei eburneum brachium restituit. Quod ideo fingitur, quia Ceres ipsa est terra, quæ corpora universa consumit, ossa tantum reservans.

388. *A læso amore.*] Ab amore Medeæ ab Jasone violato.

389. *Fecit amor subitas volucres.*] Terei tragœdiam intelligit. Nota est fabula Ovid. Metamorph. lib. vi.

Si non Aeropen frater sceleratus amasset,
Aversos Solis non legeremus equos;
Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crinem desecuisset amor.
Qui legis Electran, et egentem mentis Oresten,
Ægysthi crimen Tyndaridosque legis.
Nam quid de tetrico referam domitore Chimæræ,
Quem leto fallax hospita pæne dedit?
Quid loquar Hermionen? quid te, Schœneia virgo,
Teque, Mycenæo Phœbas amata duci?
Quid Danaen, Danaesque nurum, matremque [Lyæi?
Hæmonaque, et noctes cui coiere duæ?

390. *Quæque suum luget.*] Prognen designat, Terei regis Daulidis uxorem, quæ Itym filium occidit, et patri epulandum adposuit propter sororem Philomelam violatam: postea mutata fuit in lusciniam.

391. *Si non Aeropen.*] Atrei tragœdiam intelligit: notum est autem Aeropen, Atrei uxorem, cum Thyeste concubuisse, quod ægre ferens Atreus, liberos ei epulandos adposuit: quæ Sol, ne pollueretur, aufugit. Illud notandum, Græcos Atrei uxorem non *Europen*, sed *Aeropen*, nominare.

392. *Aversos Solis.*] Quasi refugientes atrocitatem illius spectaculi.

396. *Tyndaridosque.*] Et Clytemnestræ filiæ Tyndari ex Leda, uxorisque Agamemnonis, quæ cum Ægistho Thyestis filio, dum bello Trojano mari tus interfuit, adulterium commisit.

397. *Nam quid de tetrico.*] Bellerophontes filius fuit Glauci, vir munere Deûm eximii tum roboris, tum decoris; vide fab. apud Apollodorum, lib. ii. et Ovid. Metam. lib. ix; vide Homer. Il. Z.

399. *Quid loquar Hermionen?*] Hermionem Menelai, vel (ut alii malunt) Thesei et Helenæ filiam fuisse constat, quæ Oresti Agamemnonis filio desponsata fuit. *Quid te Schœneia virgo.* Atalantam intelligit Schœnei, regis Scyri insulæ, filiam, cujus fabulam habes apud Ovidium, Metamorph. lib. x.

400. *Teque, Mycenæo.*] Cassandram designat, Priami regis filiam, quam, post Trojæ excidium, Agamemnon Mycenas captivam duxit, captus ejus amore.

401. *Quid Danaen, Danaique nurus.*] Filiæ Danai in tragœdiis notæ; nullæ notæ Danai nurus. Quare repone cum primis editionibus et scriptorum multis: *Danaesque nurum.* Andromeda Persei uxor, et proinde *Danaes nurus.* Heins. Danaen tragœdiam scripsit Nævius. Ciof. Danae Æschyli, Sophoclis et Euripidis passim citatur a veteribus; sed Æschyli titulus dubius; et Danaides ab aliis vocatur. Burm.—*Matremque Lyæi.* Semelen intelligit fabulamque refert Ovid. iii. Met.

402. *Hæmonaque, et noctes quæ coiere duas.*] Legendum, *noctes cui coiere duæ.* Alcmenæ et Jovis amores innuit, quamquam alii tres noctes coiisse

Quid generum Peliæ? quid Thesea? quidve Pelasgum,
Iliacam tetigit qui rate primus humum?
Huc Iole, Pyrrhique parens; huc Herculis uxor,
Huc accedat Hylas, Iliadesque puer.
Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes;
Vixque meus capiat nomina nuda liber.
Est et in obscœnos deflexa tragœdia risus,
Multaque præteriti verba pudoris habet:
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
Infregisse suis fortia facta modis.

contendant, unde Hercules Lycophroni τριέσπερος λέων dicitur. HEINS. *Hæmona.* Antigone, contemto edicto, ne quis Polynicen mortuum sepeliret, eum, quoniam frater erat, humavit. Deprehensa, jussu Creontis regis jugulatur ex lege ad tumulum Polynicis. Hæmon, qui eam impatienter amabat, perfosso pectore gladio, ibidem sibi mortem conscivit. Eum sequuta est mater Eurydice doloris impatiens.

403. *Quid generum Peliæ?*] Per *generum Peliæ*, Admetum accipe, qui Alcesten, Peliæ filiam majorem natu, despondente Jasone, post Peliam Medeæ fraude peremtum, duxit uxorem. Designat autem hic Ovidius Alcestis tragœdiam, quam Euripides scripsit. *Quid Thesea?* Tragœdiam de Theseo intellige, qui natus est ex Æthra Pitthei filia, ac Neptuno, in Trœzene nutritus penes Pittheum maternum avum: ac signa ab Ægeo sub saxo posita recognoscens, Athenas venit. Is, ut Herculis virtutes imitaretur, ad ea certamina animum adjecit, quæ laudem et gloriam sibi essent adlatura. *Quidve Pelasgum, Iliacam.* Protesilaum. *Pelasgum* autem vocat, quia Thessalus fuit. Pelasgi autem Thessaliam a principio tenuere.

405. *Huc Iole.*] Euryti, Œchaliæ regis filia, ab Hercule amata.—*Pyrrhique parens.* Deidamia, Pyrrhi mater, Lycomedis Scyrorum regis filia, apud quem Thetis Achillem sub muliebri habitu celavit: quoniam a Proteo acceperat, illum periturum esse in bello Trojano.—*Huc Herculis uxor.* Megaram dicit, quam Creon rex Thebarum, cognita Herculis virtute, illi uxorem dedit, urbisque ei, veluti filio, curam permisit.

406. *Huc accedat Hylas.*] Hylas puer fuit, comes Herculis, quem amisit in Ionia juxta Mysiam, et quum compertum, exstinctum esse in fonte, instituta sunt sacra, in quibus ejus nomen clamabatur in fontibus.—*Iliadesque puer.* Et Ganymedes Trojanus, filius Trois regis, et frater Ili et Assaraci.

410. *Multaque præteriti verba pudoris habet.*] Multa habet in quibus pudor est præteritus, a quibus abest verecundia.

411. *Auctori.*] Quis ille fuerit, valde obscurum est. Merula intelligit Homerum; Heinsius Sotaden, a quo carmina sotadea dicta sunt; melius autem Micyllus et Burm. poetam quemdam, qui Achillis amores descripserit elegiaco aliquo carmine, quia carmen Elegiacum ab Ovidio aliisque sæpe

Junxit Aristides Milesia crimina secum;
  Pulsus Aristides nec tamen urbe sua.
Nec, qui descripsit corrumpi semina matrum,
  Eubius, impuræ conditor historiæ;
Nec, qui composuit nuper Sybaritida, fugit;
  Nec quæ concubitus non tacuere suos:
Suntque ea doctorum monumentis mista virorum,
  Muneribusque ducum publica facta patent.
Neve peregrinis tantum defendar ab armis,
  Et Romanus habet multa jocosa liber.
Utque suo Martem cecinit gravis Ennius ore,
  Ennius ingenio maximus, arte rudis;
Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis,
  Casurumque triplex vaticinatur opus;

dicitur *molle*, quod *infringit*, h. e. debilitat atque enervat facta modis suis. HARLES.

413. *Aristides.*] Milesius poeta fuit, qui Milesiaca poemata, et de rebus impudicis scripsit, cujus Plutarch. in Crasso, Lucianus in Amoribus meminerunt, et adnotavit de eodem Ang. Politianus, Miscell. xvi. MICYL.

416. *Eubius, impuræ conditor historiæ.*] Credendum est, Eubium historicum in suo opere scripsisse, mulierem aliquam potione et veneficiis corrupisse partum; quod quum fecerit, videtur alias ejusmodi crimen docuisse. MER. — Eubii, philosophi stoici, meminit Stephan. in 'Ασκάλων. BURM.

417. *Nec, qui composuit nuper Sybaritida, fugit.*] Puto legendum *turpem Sybaritida.* Hemitheon cynædus Sybarita turpissimum librum scripsit de re Veneria apud Lucianum πρὸς ἀπαίδευτον. Idem in Pseudologista Misthonis Sybaritæ meminit turpissimi scriptoris: hinc *Sybaritici libelli* apud Martialem, lib. xii. Ep. xcvi. HEINS. —Fuit autem *Sybaris* oppidum Calabriæ, inter Crathim et Sybarim fluvios.

418. *Et qui concubitus non tacuere suos.*] Malim *quæ*, ut Philænis et Elephantis intelligantur, quarum fœdissima scripta passim circumferebantur. Philænis Leucadia, cujus vers. spurcissimi a Polycrate, sophista Atheniensi, dicebantur esse conscripti; teste Æschrione in Philænidis Epicedio apud Athenæum, l. viii. Huic adjungitur a Xenophonte, lib. ii. 'Απομνημονευμάτων, Nico Samia et Callistrate Lesbia, versibus itidem obscœnis infames: citat locum Xenophontis Athenæus, lib. v. Quibus omnibus antiquiorem, Astyanassam laudat Hesychius et Suidas Helenæ ancillam: mentio etiam est Cyrenes apud antiquos, quam δωδεκαμήχανον dicebant. HEINS.

421. *Ab armis peregrinis.*] Ab externorum scriptorum voluminibus.

425. *Explicat ut causas rapidi.*] Hic locus bifariam accipi videtur posse: vel ut simpliciter ignem accipiamus materialem, et quo quotidie utimur; vel ut ad fulmen, et ejus causas refe-

Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo
  Femina, cui falsum Lesbia nomen erat:
Nec contentus ea, multos vulgavit amores,
  In quibus ipse suum fassus adulterium est.
Par fuit exigui similisque licentia Calvi,
  Detexit variis qui sua furta modis.
Quid referam Ticidæ, quid Memmî carmen, apud quos
  Rebus abest omnis nominibusque pudor?
Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser,
  Et leve Cornificî, parque Catonis opus;

ramus, propter epitheton *rapidi*. Ac de fulminis causis, et unde idem generetur, libro sexto Lucretius agit. Micyl.

426. *Triplex—opus.*] h.e. quomodo tria elementa, mare, cœlum et terra interitura sunt. Harles.

431. *Par fuit exigui Calvi.*] Calvus orator, diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit; violentus accusator fuit. Carmina quoque ejus, quamvis jocosa fuerint, plena tamen fuere ingentis animi. Eum exiguum appellat Ovid. propterea quod fuit parvæ staturæ.

433. *Quid referam Ticidæ.*] Ticida eques scripsit elegias de Perilla quam amavit.—*Quid Memmî carmen?* Ciof. Memmii poetæ pariter et oratoris meminit Plinius in Epistolis, et Tranquillus scribens illum objecisse C. Cæsari, quod stetisset ad cyathum et vinum Nicomedi regi. Jul. Cæs. 49.

434. Heinsius Rottendorphii emendationem sequutus dedit: *Rebus abest omnis nominibusque pudor*; qua conjectura nihil certius esse dicit. At enim Bentleius ad Horat. ii. Od. 12. v. 13. Imo, inquit, nihil ea infelicius, nihil recepta codicum lectione certius argutiusque et magis Nasonianum. *Rebus abest* nomen, *nominibusque pudor*. Rebus, hoc est, argumento, materiæ, operi. Ipse Ponto I. i.

Invenies quamvis non est miserabilis index,
Non minus hoc illo Triste, quod ante dedi.

Rebus *idem*, titulo *differt*. Ubi dicit Epistolas suas ex Ponto *rebus* sive argumento convenire cum priore opere, quod Tristia inscripserat, titulo tantum et nomine differre. Hoc itaque vult Ovidius; apud Ticidam et ejus similes poetas rebus sive *argumento* verum *nomen* abesse, cum hic Perillam, alter Lesbiam, alter aliam, quam falso inscriberent; *nominibus* porro illis *pudorem* abesse, cum scripta illa præter turpes amores et flagitiosa adulteria nihil fere aliud continerent. Hactenus Bentleius. edit. vet. *Nomen adest rebus: nominibusque pudor.* Harles.

435. *Cinna quoque his comes est.*] Q. Helvius Cinna poeta fuit, qui scripsit Smyrnam, quam decem annis elimavit, ut Servius docet.—*Cinnaque procacior Anser.* Anser poeta fuit Antonii, qui ejus laudes scripsit.

436. *Et leve Cornificî.*] Cornificius poeta a militibus destitutus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores appellarat: hujus soror Cornificia insignia condidit epigrammata. Leve

Et quorum libris, modo dissimulata Perillæ
  Nomine, nunc legitur dicta, Metella, tuo.
Is quoque, Phasiacas Argo qui duxit in undas,
  Non potuit Veneris furta tacere suæ.
Nec minus Hortensî, nec sunt minus improba Servî
  Carmina; quis dubitet nomina tanta sequi?
Vertit Aristiden Sisenna: nec obfuit illi
  Historiæ turpes inseruisse jocos:
Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
  Sed linguam nimio non tenuisse mero.

autem opus appellat propter amatoria, quæ in eis continebantur.—*Parque Catonis opus.* Valerius Cato fuit Birsenni cujusdam libertus ex Gallia, qui grammaticen docuit, visusque est peridoneus præceptor maxime ad poeticam tendentibus. Is scripsit præter grammatices libellos, etiam poemata, ex quibus præcipue probata fuit Lydia et Diana: quæ hic Ovidius intelligit.

438. *Metella suo.*] Sic emendarat Heinsius, probante Burmanno, cui elegantior hæc lectio videtur: quia tunc oppositio est inter *dissimulatam* et *suo nomine lectam*. Secus tamen videtur Bentleio ad Horatium loc. mem. Vulgata enim lectio, *dicta, Metelle, tuo* (quam habet quoque edit. vet.) ei est elegantior: "dicta nomine Metelli, hoc ipsum est, *dicta Metella*. Feminæ enim in omni familia a maribus nomen acceperunt in Metellorum gente Metellæ fuerunt." Antea vero idem scripserat, non Ticidam solum, sed etiam Cinnam, Anserem, rel. sub falso Perillæ nomine amores suos cum Metella versibus vulgasse; atque, ait, "id inprimis notandum addit (Ovidius) verum tandem Metellæ nomen, (post eorum credo obitus,) a librariis repositum esse, ficto illo rejecto." Harles.

439. *Is quoque, Phasiacas Argon qui duxit in undas, Non potuit.*] Varronem Attacinum intelligit, qui Leucadiam amavit. Varro etiam scripsit Argonautica, Apollonium imitatus; vel potius in Latinum vertit.

441. *Nec minus Hortensî.*] Hortensius et Servius Sulpitius, quamvis fuerint optimi oratores, mansuetioribus tamen Musis operam dedere: Sulpitii etiam meminit Ausonius, cujus poema prurire dixit propter carminis lasciviam.

443. *Vertit Aristidem Sisenna.*] *Aristiden* meliores. Scribe etiam *Sisena*; ita enim in antiquis numis id nomen exaratum occurrit. Heins.—L. Sisennam inter oratores enumerat Cicero. Doctus vir erat et studiis optimis deditus, gnarus reipublicæ, non sine facetiis: transtulit e Græco in Latinum Aristidæ libros Milesios, de quibus antea diximus.

445. *Nec fuit opprobrio.*] Cornelius Gallus res tenens Romanas, Ægypti procurator, exhausit civitatem Thebarum, plurimis interceptis: reversusque quum furti accusaretur, metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium cognoscendum dederat imperator, stricto incubuit ferro, ut docet Ammianus

Ut mage velle sequi sciat, et revocare priorem;
Ne tuto fugiens incomitatus eat:
Parva sedet ternis instructa tabella lapillis;
In qua vicisse est, continuasse suos.
Quique alii lusus, neque enim nunc persequar omnes,
Perdere, rem caram, tempora nostra solent.
Ecce canit formas alius, jactusque pilarum;
Hic artem nandi præcipit, ille trochi:
Composita est aliis fucandi cura coloris;
Hic epulis leges hospitioque dedit:
Alter humum, de qua fingantur pocula, monstrat,
Quæque docet liquido testa sit apta mero.

periculo est, ne capiatur ab hoste gemino, alter non solum adversus hostem geminum progreditur, sed hunc etiam insequitur, ut socium periclitantem eripiat et secum tuto reducat. Ovid. Art. Amat. iii. 358. sqq. ubi vide interpret. *Cautaque non stulte latronum prœlia ludat. Unus cum gemino calculus hoste perit* rel. Adde Martial. xiii. 17. Harles.

485. *Ecce canit formas.*] Docuere alii etiam formas et genera pilarum, quæ quatuor fuere. Erat pila trigonalis omnium minima, dura, pilo plena. Dicta a Trigone, qui locus erat in thermis, triquetra, id est, triangulari figura, quam Græci τρίγωνον vocant; hæc reddebatur tam dextra, quam sinistra manu. Erat præterea pila Paganica, a pagis, id est, villis dicta, quod pagani ea uterentur; ea laxior erat, et pluma plena. Erat et tertium pilæ genus, quod ex pelle fiebat, et spiritu inflabatur, pugno reddi solitum, non palma, ut reliquæ pilæ. Erat præterea quartum pilæ genus, quod Harpastum adpellabatur, sive Phœnnida. Fiebat e panno; aliquando ex pelle, lana, tomentove implebatur; laboriosum erat hoc ludi genus; vide Mercurial. in arte Gymnast. lib. ii. cap. 5. Mer. *Formas, jactusque pilarum,* &c. De pilis, et earum vario lusu, Pollucem vide, lib. ix. Micyl.

486. *Hic artem nandi.*] Quum inter honestiss. et utiliss. artes natatio apud Romanos haberetur, mirari jure quis possit cur ei hic Naso locum dat inter artes, si non illicitas et turpes, saltem inutiles et parum dignas Romano viro, quum nihil ludicri, aut levis etiam illi insit. In edit Hamburg. erat *Artem hic venandi;* majori specie, quum multi apud Rom. venatum crediderint ingenuis hominibus indignum, et inter servilia officia retulerint; vide Sall. Catilin. cap. iv. Burm.

488. *Hic epulis leges.*] Inter quos etiam Apicius.

489. *De qua fingantur pocula.*] Apud Romanos olim eo pervenit luxuria ut fictilia vasa essent in maximo pretio. Samia maxime laudabantur in esculentis. Immo eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constarent quam murrhina.

Talia fumosi luduntur mense decembris,
Quæ damno nulli composuisse fuit.
Hic ego deceptus non tristia carmina feci;
Sed tristis nostros pœna secuta jocos.
Denique nec video de tot scribentibus unum,
Quem sua perdiderit Musa: repertus ego.
Quid, si scripsissem mimos, obscœna jocantes,
Qui semper ficti crimen amoris habent?
In quibus adsidue cultus procedit adulter,
Verbaque dat stulto callida nupta viro.
Nubilis hos virgo, matronaque, virque, puerque
Spectat, et e magna parte senatus adest.
Nec satis incestis temerari vocibus aures;
Adsuescunt oculi multa pudenda pati.
Quumque fefellit amans aliqua novitate maritum,
Plauditur, et magno palma favore datur.
Quoque minus prodest, scena est lucrosa poetæ,
Tantaque non parvo crimina prætor emit.
Inspice ludorum sumtus, Auguste, tuorum:
Emta tibi magno talia multa leges.
Hæc tu spectasti, spectandaque sæpe dedisti;
Majestas adeo comis ubique tua est:
Luminibusque tuis, totus quibus utimur orbis,
Scenica vidisti lentus adulteria.

491. *Talia luduntur.*] Talia vasa celebrantur a poetis, Saturnalibus, decembri mense. Heins.

497. *Quid, si scripsissem mimos.*] Mimi erant poemata sine reverentia lasciviam imitantia, quæ a mimographis, id est, scriptoribus mimorum ludis ad comœdiæ formam composita in scenis agebantur.

508. *Prætor emit.*] Prætores enim, seu ædiles ludos faciebant, et a poetis fabulas emebant, quas ludorum die recitari jubebant; unde legimus Andriam Terentii actam ludis Megalensibus; aliam ludis funebribus.

514. *Scenica spectasti lætus adulteria.*] Rectius omnino *lentus* sex meliores; vide notas, Epist. xix. v. 81: apud Horat. lib. i. Epist i. *lentus spectator*, *spectutori sedulo* obponitur:
Exanimat lentus spectator, sedulus instat.

Scribere si fas est imitantes turpia mimos,
  Materiæ minor est debita pœna meæ.
An genus hoc scripti faciunt sua pulpita tutum,
  Quodque libet, mimis scena licere dedit?
Et mea sunt populo saltata poemata sæpe;
  Sæpe oculos etiam detinuere tuos.
Scilicet, in domibus vestris ut prisca virorum
  Artifici fulgent corpora picta manu;
Sic quæ concubitus varios, Venerisque figuras
  Exprimat, est aliquo parva tabella loco:
Utque sedet vultu fassus Telamonius iram,
  Inque oculis facinus barbara mater habet:
Sic madidos siccat digitis Venus uda capillos,
  Et modo maternis tecta videtur aquis.
Bella sonant alii telis instructa cruentis,
  Parsque tui generis, pars tua facta canunt.

Silius, lib. xii. 565. sqq. de Hannibale Romam obsidente:

Nunc aditus lustrat, clausas nunc cuspide pulsat
Infesta portas, fruiturque timore paventûm:
Nunc lentus celsis adstans in collibus intrat
Urbem oculis. Heins.

517. *Sua pulpita.*] Quæ erant ante scenam, ubi ludicra exercebantur; vide Philandrum in Vitruvium, libro v. cap. 6.

519. *Sunt populo.*] Non a populo, sed ad delectandum populum, ut sit dativi casus.

523. *Sic quæ concubitus,* &c.] Obscure hic designat Ovidius, quod Tranquillus apertius denotat in Tiberio his verbis: *Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum ac figurarum adornavit,* &c.

525. *Utque sedet vultu.*] Ajacem et Medeam Timomachi innuit, maximo pretio ab Augusto redemtos, de quibus Plinius, lib. xxxv. Medea Timomachi laudatur Ausonio, et Plutarcho, etiam in Anthologia Græca. Heins. *Utque sedet vultu.* Tabulas Ajacis et Medeæ intelligit, a Cæsare ante ædem Veneris Genitricis dicatas, ut est auctor Plinius.

527. *Sic madidos digitis.*] Venerem designat ab Apelle pictam, de qua ita Plinius scribit: Venerem exeuntem e mari Divus Augustus dicavit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene, vocatur. Consenuit hæc tabula carie, aliamque pro ea Nero in principatu suo substituit Dorothei manu. Apelles inchoaverat aliam Venerem Cois, superaturus etiam illam priorem. Invidit mors peracta parte: nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta, inventus est.

Invida me spatio natura coercuit arcto,
  Ingenio vires exiguasque dedit.
Et tamen, ille tuæ felix Æneidos auctor,
  Contulit in Tyrios arma virumque toros;
Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,
  Quam non legitimo fœdere junctus amor.
Phyllidis hic idem, tenerosque Amaryllidis ignes,
  Bucolicis juvenis luserat ante modis.
Nos quoque, jam pridem scripto peccavimus uno;
  Supplicium patitur non nova culpa novum.
Carminaque edideram, quum te delicta notantem
  Præterii toties jure quietus eques.
Ergo, quæ juveni mihi non nocitura putavi
  Scripta parum prudens, nunc nocuere seni?
Sera redundavit veteris vindicta libelli;
  Distat et a meriti tempore pœna sui.
Ne tamen omne meum credas opus esse remissum;
  Sæpe dedi nostræ grandia vela rati.
Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos;
  Cumque suo finem mense volumen habet:
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Cæsar,
  Et tibi sacratum sors mea rupit opus:

535. *De corpore toto.*] De toto opere Æneidos.

542. *Irrequietus eques.*] *Ille quietus* emendatum Lipsio de Militia Romana, lib. i. cap. 5; sed repone *jure quietus* ex tribus antiquis. Multi alii *irrequietus*; proxime verum. HEINS.

547. *Esse remissum.*] Esse abjectum, humile, et lascivum, vel *remissum*, idem quod solutum.

551, 552. De his versibus lis est inter interpretes: duodecim Fastorum libros concinnaverat Ovidius, v. Servium ad Virgil. Georg. i. 34. et inscripserat Germanico. Quare Burm. qui subtilius et copiosius ad h. l. disputat, loco τοῦ *scriptum* conjecit *cœptum* contra codicum consensum. Bene vero ostendit *sub tuo nomine* significare *sub tuo præsidio, tuaque tutela*, et *tibi sacratum*, esse, *tuo honori a me consecratum*, quia Augusti laudes et merita erga deos in iis libris sæpe celebrantur. His cognitis, si *et* mutare fas est in *at*, sollemni permutatione, omnes illas de Germanico tricas facilius explicare possumus, si ita interpretabimur, "sub tuo præsidio nu-

Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis;
Quæque gravis debet verba cothurnus habet:
Dictaque sunt nobis, quamvis manus ultima cœpto
Defuit, in facies corpora versa novas.
Atque utinam revoces animum paulisper ab ira,
Et vacuo jubeas hinc tibi pauca legi!
Pauca, quibus prima surgens ab origine mundi,
In tua deduxi tempora, Cæsar, opus:
Adspicias, quantum dederis mihi pectoris ipse,
Quoque favore animi teque tuosque canam.
Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam,
Nec meus ullius crimina versus habet.
Candidus a salibus suffusis felle refugi;
Nulla venenato litera mista joco est.
Inter tot populi, tot scripti millia nostri,
Quem mea Calliope læserit, unus ego.
Non igitur nostris ullum gaudere Quiritem
Auguror, at multos indoluisse, malis.
Nec mihi credibile est quemquam insultasse jacenti,
Gratia candori si qua relata meo est.

per scripsimus grande opus, at illud, quod tuo tuæque familiæ honori consecratum fuit, exsilium rupit, h. e. effecit, ut non perpolitum nec, in reliquis libris ultima lima non addita integrum ederetur." De mutatione inscriptionis, quasi antea Augusto, dein, mutato consilio, Germanico dedicasset, res difficilis est, ut jam docuit Burmannus, contra quem disputat cl. Schirach. clau. part. post. pag. 250. Harles.

553. Scripserat tragœdiam, Medea inscriptam, quæ vero interiit. Harles.

560. Adludit ad principium Metamorphoseôn. Harles.

566. *Mixta.*] Quidam vetusti, *vincta*, vel *juncta*: unde haud invenuste conjicit Heinsius *tincta*. Pari modo apud Moschum, Idyll. i. 29. τὰ γὰρ πυρὶ πάντα βίβαπται. ad quem locum vide, quæ in Chrestom. Græca poet. observavi. Harles.

567. Locus est corruptus: et *millia scripti*, pro millia carminum, non placent. Burm. conjicit: *studii tot millia nostri*, id est, poetici studii consortes: melior sane est emendatio, quam Heinsii: *Inter enim populi tot scriptis millia nostris.* Harles.

571. *Quemquam insultare jacenti.*] *Insultasse* meliores.

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι;

Homer. Odyss. x. ver. 412.

572. *Meo candori.*] Verbum *can-*

His precor, atque aliis possint tua numina flecti,
  O pater, o patriæ cura salusque tuæ;
Non ut in Ausoniam redeam, nisi forsitan olim,
  Quum longo pœnæ tempore victus eris.
Tutius exsilium, pauloque quietius oro,
  Ut par delicto sit mea pœna suo.

didus apud hunc ipsum poetam sæpissime leges: et apud Hor. in Ep. i. 4:

Albi, nostrorum sermonum candide judex.

Quod quidem verbum, eo sensu ipsorum ætate usurpari cœptum esse opinor. CIOF.

576. *Eris victus.*] Eris placatus.

PUBLII OVIDII NASONIS

TRISTIUM

LIBER TERTIUS.

ELEGIA PRIMA.

MISSUS in hanc venio timidi liber exsulis urbem;
Da placidam fesso, lector amice, manum:
Neve reformida, ne sim tibi forte pudori;
Nullus in hac charta versus amare docet.
Nec domini fortuna mei est, ut debeat illam
Infelix ullis dissimulare jocis.
Id quoque, quod viridi quondam male lusit in ævo,
Heu nimium sero! damnat et odit opus.
Inspice quid portem: nihil hic nisi triste videbis,
Carmine temporibus conveniente suis.
Clauda quod alterno subsidunt carmina versu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit:
Quod neque sum cedro flavus, nec pumice lævis,
Erubui domino cultior esse meo:

1. *Venio timide liber exsulis.*] Alii *timidus*; malim *timidi exsulis*; sic infra, *res timida est omnis miser.* HEINS.

2. *Da placidam fesso.*] *Fasso* tres libri, pro *lasso*. Locutionem ab illo officio, quo languentibus manum darent, desumtam puto, ut apud Petron. cap. i. *Quis non dare manum languentibus volet?* BURM.

11. *Clauda quod*, &c.] Festive elegiacum, quo utitur, *claudicare* ait; et culpam, vel in pedem, qui desit, vel in longitudinem perambulati itineris, confert. PONT.

Litera suffusas quod habet maculosa lituras,
  Læsit opus lacrymis ipse poeta suum.
Si qua videbuntur casu non dicta latine,
  In qua scribebat, barbara terra fuit.
Dicite, lectores, si non grave, qua sit eundum,
  Quasque petam sedes hospes in urbe liber.
Hæc ubi sum lingua furtim titubante locutus,
  Qui mihi monstraret, vix fuit unus, iter.
Dî tibi dent, nostro quod non tribuere parenti,
  Molliter in patria vivere posse tua!
Duc age: namque sequor, quamvis terraque marique
  Longinquo referam lassus ab orbe pedem.
Paruit; et ducens, hæc sunt fora Cæsaris, inquit:
  Hæc est a sacris quæ via nomen habet.
Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat et ignem:
  Hic fuit antiqui regia parva Numæ.
Inde petens dextram, porta est, ait, ista Palatî:
  Hic Stator: hoc primum condita Roma loco est.

23. *Quod non tribuere poetæ.*] Parrati tres, pro diversa lectione: sic infra 57, hac ipsa elegia:

nostro placata parenti
Isdem sub dominis adspiciare domus.

26. *Ab orbe longinquo.*] E Scythia.

27. Forum Cæsaris, cujus aream Julius Cæsar coemit 1000 HS. Sueton. in vita Cæsar. 26. Octavianus Augustus addidit tertium prope Cæsaris forum, supra Forum Romanum. Sueton. Aug. c. 29. ubi vide Casaub. et Torrent. ac Plinius, libr. xxxvi. c. 5. hoc forum inter quatuor mirabiliora urbis ædificia recenset. Harles.

28. *Hæc est a sacris.*] Viam Sacram designat, foro Augusti, qui in Capitolio habitabat, vicinam: dictam, quod per eam ab arce, id est, a Capitolio, ad augures sacra ferebantur, vel quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum et Tatium.

29. *Hic locus est Vestæ.*] Vestæ templum rotundum, in quo servabatur Palladium, cum igne perpetuo, qui a virginibus Vestalibus alebatur; atque hoc multi putant a Romulo prius erectum. Dionysius tamen, lib. ii. scribit, id a Numa ædificatum in foro, quod occupat medium Capitolii et Palatii locum, idque anno urbis quadragesimo, ut in Fastis docet Ovidius. Atrium autem Vestæ fuit Numæ regia, vel potius pars regiæ.

31. *Porta est, ait, ista Palatî.*] Ea porta prius Saturnia, dein Pandania adpellata fuit: adfirmant Varro et Solinus.

32. *Hic Stator.*] In monte Palatio templum a Romulo Jovi Statori, ut

Quæque viri docto veteres cepere novique
  Pectore, lecturis inspicienda patent.
Quærebam fratres, exceptis scilicet illis,
  Quos suus optaret non genuisse parens:
Quærentem frustra custos me, sedibus illis
  Præpositus, sancto jussit abire loco.
Altera templa peto, vicino juncta theatro;
  Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
  Atria Libertas tangere passa sua est.
In genus auctoris miseri fortuna redundat;
  Et patimur nati, quam tulit ipse, fugam.
Forsitan et nobis olim minus asper, et illi
  Evictus longo tempore Cæsar erit.
Dî, precor, atque adeo, neque enim mihi turba roganda est,
  Cæsar, ades voto, maxime Dive, meo!
Interea, statio quoniam mihi publica clausa est,
  Privato liceat delituisse loco:

in Prometheo: Τοιάδ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι κύπρις:

Pater
Collaudat ipse, foribus excubans, nefas,
Et lustrat enses.

63. *Quæque viri docto.*] Bibliothecam intelligit, quam Augustus ædificavit in parte domus Palatinæ.

65. *Quærebam fratres.*] Quærebam in eadem bibliotheca cæteros libros ab Ovidio compositos; tanquam fratres meos ab ipso genitos.

69. *Altera templa peto.*] Sunt qui hic de templo Magnæ matris intelligant: plerique de templo Vestæ: magis placet, propter sequens carmen, Libertatis atrium intelligas, quod ab Asinio Pollione erectum est.—*Vicino theatro.* Theatro Marcelli, aut Cornelii Balbi, propinquo. Mer.

Heinsius intelligit templum Herculis Musagetæ, de quo v. Gellium A. N. xix. c. 5. Burm. vero putat Veneris victricis templum, vicinum Pompeii theatro; Verpoort. denique porticum Octaviæ, vicinam theatro Marcelli, in qua Augustus alteram instruxit bibliothecam. Harles.

73. *In genus auctoris miseri.*] In libros filios infelicis Ovidii.

74. *Et patimur fugam.*] Et nos libri Ovidii fugamur.

75. *Et illi.*] Et Ovidio.

79. *Statio.*] h. e. locus in bibliothecis, metaphora a navibus sumta. Cedant igitur carmina Ovidii a publicarum bibliothecarum præfectis rejecta,

Vos quoque, si fas est, confusa pudore repulsæ
Sumite plebeiæ carmina nostra manus.

ELEGIA II.

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quæque Lycaonio terra sub axe jacet?
Nec vos, Pierides, nec stirps Latoia, vestro
Docta sacerdoti turba tulistis opem?
Nec mihi, quod lusi vero sine crimine, prodest,
Quodque magis vita Musa jocosa mea est;
Plurima sed pelago terraque pericula passum
Ustus ab adsiduo frigore Pontus habet.
Quique fugax rerum, securaque in otia natus,
Mollis et impatiens ante laboris eram;
Ultima nunc patior; nec me mare portubus orbum
Perdere, diversæ nec potuere viæ:

cujus ignominiæ pudore confunduntur (ut pulcre finxit poeta) in manus et bibliothecas privatorum et plebeiorum hominum. Harles.

1. *Ergo erat.*] Deerat hoc distichon cod. Servii; quod nostri ambo habent: in multis et optimis hæc Elegia continuabatur superiori.

2. *Sub axe Lycaonio.*] Sub septemtrionali plaga, sic adpellata a Callisto Lycaonis filia, quæ in majorem ursam mutata, *Lycaonia* a poetis nominatur.

3. *Latoia stirps.*] h. e. Apollo, Jovis et *Latonæ* filius. *Latoia* autem, non *Latonia* scribendum docet Heinsius: a λατὼ, Λατῴιος. Pari modo a πάτρως, Vossius ad Catul. i. p. 4, 5. πατρῷον, et *Patroam Virginem* fingit. Harles.

4. *Sacerdoti.*] Ovidio: sunt enim poetæ Apollinis et Musarum sacerdotes; Tibullus, lib. ii. El. v. ver. 1:

Phœbe, fave, novus ingreditur tua templa sacerdos.

8. *Ustus.*] h. e. gelu adstrictus. *Urere* enim ob sensum acerrimum etiam frigus dicitur; vid. infra iii. 4. 48. Harles.

Pontus.] Pontus Euxinus, cui adjacet Tomitana ora. Mer.

9. *Quique fugax rerum.*] Qui forum et lites vitabam. Pont.

12. *Diversæ viæ.*] Maris et terræ, in quibus utrisque dura passus est citra mortem.

Suffecitque malis animus; nam corpus ab illo
  Accepit vires, vixque ferenda tulit.
Dum tamen et ventis dubius jactabar et undis,
  Fallebat curas ægraque corda labor.
Ut via finita est, et opus requievit eundi,
  Et pœnæ tellus est mihi tacta meæ;
Nil nisi flere libet, nec nostro parcior imber
  Lumine, de verna quam nive manat aqua.
Roma domusque subit, desideriumque locorum,
  Quidquid et amissa restat in urbe mei.
Heu mihi, quod nostri toties pulsata sepulcri
  Janua, sed nullo tempore aperta fuit!
Cur ego tot gladios fugi, totiesque minata,
  Obruit infelix nulla procella caput?
Dî, quos experior nimium constanter iniquos,
  Participes iræ quos Deus unus habet;
Exstimulate, precor, cessantia fata; meique
  Interitus clausas esse vetate fores.

13. *Suffecitque malis.*] Hoc est, non inferior malis tolerandis fuit.

15. *Ventis dubius jactabar et undis.*] *Terris dubius* veteres plerique; sic lib. iv. Eleg. viii. 15:

Non ita Dîs visum, qui me terrâque marique
Actum Sarmaticis exposuere locis.

18. *Et tellus meæ pœnæ.*] Et terra mei exsilii: designat autem Tomon.

20. *De verna aqua.*] De nive, quæ liquescit vere, et fit aqua.

23. *Janua nostri sepulcri.*] Sæpius se mortem evasisse dicit.

28. *Quam Deus unus habet.*] *Quos* plerique veteres; et recte. Heins. *Deus unus.* Augustus. Mer. *Participes iræ;* lib. i. El. ii. oravit Deos, ne magni Cæsaris iræ subscriberent, quos hic dicit participes iræ unius Dei, Augusti scil. cum quo in caput Nasonis conspirasse censendi sunt. Pont.

ELEGIA III.

Hæc mea, si casu miraris, epistola quare
  Alterius digitis scripta sit; æger eram:
Æger in extremis ignoti partibus orbis,
  Incertusque meæ pæne salutis eram.
Quid mihi nunc animi dira regione jacenti
  Inter Sauromatas esse Getasque putes?
Nec cœlum patior, nec aquis adsuevimus istis,
  Terraque nescio quo non placet ipsa modo:
Non domus apta satis; non hic cibus utilis ægro;
  Nullus, Apollinea qui levet arte malum:
Non qui soletur, non qui labentia tarde
  Tempora narrando fallat, amicus adest.
Lassus in extremis jaceo populisque locisque;
  Et subit adfecto nunc mihi, quidquid abest.
Omnia quum subeant, vincis tamen omnia, conjux,
  Et plus in nostro pectore parte tenes.
Te loquor absentem: te vox mea nominat unam:
  Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.
Quin etiam, sic me dicunt aliena locutum,
  Ut foret amenti nomen in ore tuum.

1. *Hæc mea, si casu.*] *Si conjux* scripti quidam et priscæ editiones. Heins.

3. *Ignoti orbis.*] Scythiæ, ad quam perquam pauci accedunt: et ideo *ignotum orbem* adpellat. Mer.

4. *Incertusque meæ pæne salutis eram.*] Versus suspectus. Heins.

5. *Quem mihi nunc animum.*] Scribe cum Leidensi codice, *Quid mihi nunc animi: putes* etiam pro *putas* multi veteres. Nostri ambo *Quem mihi nunc animum*; minus eleganter.

14. *Et subit adfectu nunc mihi quidquid abest.*] *Adfecto* scribendum cum uno codice; idque jam vidit politissimus Naugerius. *Adfectus* graviter ægrotans; Suetonius, Tiberio: *Adfectum reperit, sed tamen adhuc spirantem.* Heins.

16. *Et plus in nostro pectore parte tenes.*] Plus quam partem tenes, seu potissimam partem in pectore meo tenes. Pont.

Atque utinam pereant animæ cum corpore nostræ,
  Effugiatque avidos pars mihi nulla rogos!
Nam si, morte carens, vacuam volat altus in auram
  Spiritus, et Samii sunt rata dicta senis;
Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras,
  Perque feros manes hospita semper erit.
Ossa tamen facito parva referantur in urna:
  Sic ego non etiam mortuus exsul ero.
Nec vetat hoc quisquam: fratrem Thebana peremtum
  Subposuit tumulo, rege vetante, soror.
Atque ea cum foliis et amomi pulvere misce;
  Inque suburbano condita pone solo:
Quosque legat versus oculo properante viator,
  Grandibus in tumuli marmore cæde notis:
Hic ego qui jaceo, tenerorum lusor amorum,
  Ingenio perii Naso poeta meo.

59. *Atque utinam pereant animæ.*] Utinam, inquit, ex Epicureorum sententia, cum corporibus animæ interirent! Nam ita aversabatur Barbaros illos, ut ne post mortem quidem, sola anima inter illorum animas esse velit; et potius in nihilum recidere cupiat.

60. *Pars mea nulla.*] *Pars mihi* quinque scripti; rectius: et *vacuam auram* mox pro *vacuas auras* plerique.

61. *Nam si morte carens.*] Hoc Pythagoras apud Ovidium in Met. xv. 153. apertius docet:

O genus adtonitum gelidæ formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique piacula mundi?
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.

Morte carent animæ.

67. *Non vetat hoc quisquam.*] Nemo sepulturæ officium negat. *Fratrem Thebana peremtum Subposuit*, &c. Antigonem designat, Œdipodis Thebarum regis filiam, quæ fratrem Eteoclem sepelivit: quamvis Creontes, rex Thebarum, eos qui in bello Thebano perierant insepultos jacere voluisset, ut elegantissime cecinit Papinius in ultimo Thebaidos.

69. *Et amomi pulvere*, &c.] Amomum est genus herbæ odoratissimæ: Armenicum, cæteris præstat, fulvi coloris, habensque lignum subrufum, abunde odoratum. In conservandis enim cadaveribus amomum adhiberi solet, ut docet in Ponto, i. Eleg. ix. 52. Cior.

74. *Ingenio perii Naso poeta meo.*] Lib. ii. et lib. iii. de Ponto, El. v. 4. *Lasus ab ingenio Naso poeta meo.*

At tibi qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,
  Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.
Hoc satis in titulo est; etenim majora libelli,
  Et diuturna magis sunt monumenta mei:
Quos ego confido, quamvis nocuere, daturos
  Nomen, et auctori tempora longa suo.
Tu tamen exstincto feralia munera ferto,
  Deque tuis lacrymis humida serta dato.
Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis,
  Sentiet officium mœsta favilla pium.
Scribere plura libet: sed vox mihi fessa loquendo
  Dictandi vires, siccaque lingua, negat.
Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,
  Quod, tibi qui mittit, non habet ipse, vale.

ELEGIA IV.

O MIHI care quidem semper, sed tempore duro
  Cognite, res postquam procubuere meæ;
Usibus edocto si quidquam credis amico,
  Vive tibi, et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes prælustria vita:
  Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

76. *Molliter ossa cubent.*] In cippis inscribebantur hæ litteræ S.T.T.L. sit tibi terra levis.

77. *Hoc satis in tumulo est.*] *In titulo est* prim. Polit. et decem alii; recte; nisi quod malim *in titulos*: titulum sepulcralem innuit. HEINS.

81. *Feralia munera.*] Inferias dicit. Quomodo autem inferiæ mortuis fierent, et quomodo in his uterentur coronis, docet Ovidius, lib. ii. Fastorum. MER.

82. *Deque tuis lacrymis.*] Magis Ovidianum erit, si legas *Deque suis lacrymis*; vide notam ad Epist. xx. ver. 76. De floribus quibus tumuli conspergerentur, et coronis, sive sertis quibus ornarentur, Plin. lib. xxi. cap. 3.

5. *Vive tibi.*] Tecum habita. MER. —*Vive tibi.* Platoni est τὰ ἑαυτοῦ πράττειν; vide Stephan. Schediasm. lib. i. cap. 2. Jubetur autem sua

Nam, quamquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosit potius, si quis obesse potest.
Effugit hibernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent.
Adspicis, ut summa cortex levis innatet unda,
Quum grave nexa simul retia mergat onus.
Hæc ego si, monitor, monitus prius ipse fuissem,
In qua debueram forsitan urbe forem.
Dum tecum vixi, dum me levis aura ferebat,
Hæc mea per placidas cymba cucurrit aquas.
Qui cadit in plano, vix hoc tamen evenit ipsum,
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo:
At miser Elpenor, tecto delapsus ab alto,
Obcurrit regi debilis umbra suo.
Quid fuit, ut tutas agitarit Dædalus alas;
Icarus immensas nomine signet aquas?

mediocritate esse contentus. Bersm.—*Prælustria.* Præclara atria. *Plus timoris.* Majorem formidinem.

8. Hoc pentametron reposuit Stephanus Animadv. in Adagium Erasmi, *Procul a Jove et fulmine*, e melioribus libris. Edit. enim vetus aliæque dederunt: *Non prosunt: potius plurimum obesse solent.* Atque Heinsius totum hoc distichon, tamquam Nasone indignum rejecit, Burm. recte indignante, qui docuit multis exemplis, et *potentes* simpliciter esse amicos potentes ac magnas amicitias, quas fugiendas esse monet Ovidius, et hunc antitheta illa, *obesse* ac *prodesse*, habuisse in deliciis, ut infra v. Eleg. i. 66. xi. Metam. 320. ii. Metam. 512. Harles.

11. *Adspicis, ut summa.*] Levis cortex solet in summa aqua natare, nec mergi: at retia magno plumbi pondere mergi solent. Per *corticem* autem levem, et homines tenues; per *plumbum* vero, potentes designat: qui, ut plumbum, graviore casu clientes præcipites trahunt quo volunt.

19. *At miser Elpenor.*] Elpenor apud Circen ebrius, dum sociorum strepitus abeuntium audit, et abire properat, pronus e longis lapsus scalis, collum fregit; Homer. Odyss. Λ:

Hic, nimius quondam vini, jam pocula damnat:
Quique sit ostendit sobrietatis honos.

Et Odyss. K:

Mentis inops, victusque mero, non utilis armis,
Elpenor pretium triste bibentis habet.

22. *Icarus immensas nomine signet aquas?*] Diximus de hoc loco supra lib. i. El. i. ver. 90. Superiori versu lege *agitarit* pro *agitaret*, ut τῷ *signet* melius id respondeat. Heins.

Nempe quod hic alte, demissius ille volabat:
Nam pennas ambo non habuere suas?
Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit: et infra
Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret Eumedes orbus, si filius ejus
Stultus Achilleos non adamasset equos:
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisset genitor si Phæthonta Merops.
Tu quoque formida nimium sublimia semper;
Propositique memor contrahe vela tui:
Nam pede inoffenso spatium decurrere vitæ
Dignus es, et fato candidiore frui.
Quæ pro te ut voveam, miti pietate mereris,
Hæsuraque mihi tempus in omne fide.

25. *Bene qui latuit, bene vixit.*] Quicumque humili fortuna contentus latuit, tutus vixit. Mer. *λάθε βιώσας.* Horat. i. Epist. xvii. ver. 10:

Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. Bersm.

27. *Non foret Eumedes orbus.*] Male *Eumenides* et *Emetrides*, et similia scripti. *Δόλων Εὐμήδεος υἱὸς*, Hom. Il. K. Dolonem designat, Eumedis filium, Virgil. Æn. xii. 347. Hic (ut lib. x. Iliad. scribit Hom.) missus speculator ad Græcorum castra, pactus pro remuneratione Achillis equos, in Diomedem et Ulyssem incidit, qui speculatum quoque ibant ad Trojanos: illi promissa impunitate, Trojanorum consilia ab eo didicere: inter cætera facti certiores de adventu Rhesi, Dolonem interficiunt; Thracum castra adgrediuntur; equi inde abducti sunt.

29. *Nec natum in flamma.*] Phaethonta intelligit, de quo diximus supra. Dictus est autem *Phæthon* a luce ardoris sui, ut scribit Serv. *φαεινὸς* enim lucidum significat. Ab irato enim Jove fulmine ictus, in Padum cecidit, qui ab eo *Eridanus* Græce dicitur. *In arbore natas.* Heliades accipe, quæ in populos mutatæ sunt, ut notum est ex secundo Ovidii Metamorph.

30. *Cepisset genitor si Phæthonta Merops.*] Eleganter dictum: Merops Phaethontem non cepit, quia Phaethon ad majora adspirabat, non contentus hoc patre, seque Solis filium volebat credi. Cave igitur quidquam in hoc loco mutes cum iis, qui *Flexisset* reponunt. Heins. *Genitor Merops.* Clymenes maritus, et Phaethontis pater putativus. Mer.

32. *Propositique precor.*] *Memor* rectius editiones nonnullæ, et scripti quatuor apud me. Heins. *Propositique memor*, &c. Non significat mutationem consilii, ut Merula exponit, sed moderationem: ut sit sensus: Moderata propone tibi, ac tempera cupiditatibus tuis, ne, dum altiora conaris, in periculum incidas. Mic.

33. *Spatium decurrere vitæ.*] Quidam *procurrere* habent; male. Prius enim, in simili locutione, usurparunt semper scriptores optimi.

Vidi ego te tali vultu mea fata gementem,
Qualem credibile est ore fuisse meo:
Nostra tuas vidi lacrymas super ora cadentes,
Tempore quas uno, fidaque verba, bibi.
Nunc quoque submotum studio defendis amicum,
Et mala, vix ulla parte levanda, levas.
Vive sine invidia; mollesque inglorius annos
Exige; amicitias et tibi junge pares;
Nasonisque tui, quod adhuc non exsulat unum,
Nomen ama: Scythicus cætera Pontus habet.
Proxima sideribus tellus Erymanthidos Ursæ
Me tenet, adstricto terra perusta gelu.
Bosporos et Tanais superant: Scythicæque paludes;
Vixque satis noti nomina pauca loci.
Ulterius nihil est, nisi non habitabile frigus.
Heu! quam vicina est ultima terra mihi!
At longe patria est, longe carissima conjux,
Quidquid et hæc nobis post duo dulce fuit.

44. *Amicitias et tibi junge pares.*] Sic et Curtius: *Nam et firmissima inter pares est amicitia.*

45. *Quod adhuc non exsulat.*] Cujus fama adhuc non potuit exsulare, propter claritatem et memoriam.

46. *Scythicus Pontus.*] Mare Euxinum, quod Scythiam adluit.

47. *Proxima.*] Quidam codices novam hinc Elegiam ordiuntur: non male. Heins. *Ursæ Erymanthidos.* Ursæ Arcadicæ, ab Erymantho monte in finibus Arcadiæ; per quam, ursam majorem significat.

49. *Bosporus.*] *Bosporos* prim. Vaticanus, Combii, et tres alii. *Scythiæque paludes* etiam plurimi scripti cum priscis editionibus. Cimmerium Bosporum accipe, non Thracium. Committitur autem paludi, quam *Mæotidem* adpellamus. Cimmerius autem adpellatur a Cimmerio oppido Scythiæ. *Et Tanais.* Tanais a septemtrione, ad meridiem vergens, in mediam fere Mæotida defluit, et Europam ab Asia dividit, ut Curt. docet. Mer.

50. *Vixque satis noti nomina pauca loci.*] Scribo *soli* et *nomina rauca*; hoc est, nomina ingrati et barbari soni: sic infra Pont. iv. xvi. 36:

Et raucum Getico murmur in ore fuit;

hoc est dissonum: potest tamen et ferri τὸ *loci*, ut locos parum notos rauca nomina per adpositionem adpellet. Infra El. x. 5:

Sauromatæ cingunt fera gens Bessique Getæque,
Quam non ingenio nomina digna meo! Heins.

Sic tamen hæc absunt, ut quæ contingere non est
Corpore, sint animo cuncta videnda meo.
Ante oculos errant domus, urbs, et forma locorum;
Succeduntque suis singula facta locis:
Conjugis ante oculos, sicut præsentis, imago est;
Illa meos casus ingravat, illa levat.
Ingravat hoc, quod abest; levat hoc, quod præstat
Impositumque sibi firma tuetur onus. [amorem,
Vos quoque, pectoribus nostris hæretis, amici,
Dicere quos cupio nomine quemque suo:
Sed timor officium cautus compescit; et ipsos
In nostro poni carmine nolle puto.
Ante volebatis, gratique erat instar honoris,
Versibus in nostris nomina vestra legi.
Quod quoniam est anceps, intra mea pectora
Adloquar, et nulli causa timoris ero. [quemque
Nec meus indicio latitantes versus amicos
Protrahet; occulte si quis amavit, amet.
Scite tamen, quamvis longa regione remotus
Absim, vos animo semper adesse meo;
Et, quam quisque potest, aliqua mala nostra levate:
Fidam projecto neve negate manum.

57. *Errant.*] Sic bene rescripsit Burm. quem vide, e quinque codd. olim scriptum fuit *errat*, quod duros effecit numeros. Alius cod. exhibuit *heret*, uti sæpius Ovid. infra eleg. viii. 35. l. ex Ponto ix. 7. scripserat: sed mira est h. l. φαντασία in voc. *errant*, multis variisque rebus animo Ovidii obversantibus. Et major color, quam in conjectura Heinsii frigida et inani *Ante oculos urbisque domus et forma locorum est*, quamvis *stare et esse ante oculos* nostro usitatum esse, negem nullus. HARLES.

65. *Officium.*] In quibusdam est *officii*; in aliis etiam *cautos*; quæ jungebat olim Heinsius, et *officii cautos* legi posse putabat. Sed tunc mallem *officii cautum compescit*, id est, me caute et prudenter officiosum, ne noceam officio meo. BURM.

75. *Et, qua quisque potest.*] *Quam potest*, pro quantum, plerique veteres.

Aliqua.] Scil. ratione. Sic bene rescripsit Heinsius quem vide, e tribus codd. pro vulgari lectione, *oro*. HARLES.

76. *Manum.*] Auxilium. MER.—

Id quoque si scisses, salvo fruerere sodali,
  Consilioque forem sospes, amice, tuo.
Sed mea me in pœnam nimirum fata trahebant;
  Omne bonæ claudunt utilitatis iter.
Sive malum potui tamen hoc vitare cavendo;
  Seu ratio fatum vincere nulla valet:
Tu tamen, o nobis usu junctissime longo,
  Pars desiderii maxima pæne mei,
Sis memor; et, si quas fecit tibi gratia vires,
  Illas pro nobis experiare rogo:
Numinis ut læsi fiat mansuetior ira,
  Mutatoque minor sit mea pœna loco!
Idque ita, si nullum scelus est in pectore nostro;
  Principiumque mei criminis error habet.
Nec leve, nec tutum est, quo sint mea, dicere, casu
  Lumina funesti conscia facta mali.
Mensque reformidat, veluti sua vulnera, tempus
  Illud; et admonitu fit novus ipse dolor.

17. *Tamen hoc.*] Suspecta est Heinsio repetitio *tamen*, et Burm. corrigit, *tantum vitare*. Equidem nil mutarem. Sens. Tuo consilio forem sospes (ver. 14.) aut ego tamen providentia et cautius agendo illud vitare potui [eleganter pro *potuissem*] aut nulla prudentia *valet* fatum vincere. Vim usumque *τοῦ valere* docet Cellar. in Antibarbaro p. 188. Ienæ 1745. Harles.

18. *Seu ratio fatum.*] Ex Stoicorum sententia, Fatum esse inevitabile dicit. De vi autem, et Fati necessitate, vide Gell. lib. vi.

21. *Et, si quas fecit tibi gratia vires.*] Si quid vales gratia apud Cæsarem. Mer.—*Vires.* Auctoritatem cum potestate juvandi amicos. Bersm.

26. V. Eleg. præced. v. 52. ii. 207. *Principiumque* non mutarem cum Heinsio, qui *præcipuumquè* malit. Nam Augustus, obscena carmina esse exsilii caussam, potissimum edixerat; at Ovidius, qui caussam noverat meliorem, errorem (quisquis ille fuit) principium fuisse criminis adfirmat. Versus seqq. et Pont. i. 6. 21. magis hoc confirmant. Harlès.

29. *Tempus illud.*] Quo Augustum læsi, ejusque iram in me concitavi.

30. *Dolor.*] Bene dixit *dolor*, quum antecederent *vulnera*; at quinque codd. *pudor*. "Quod si admittamus, inquit Heinsius, sequens distichon erit delendum, quod non uno nomine est suspectum." Sed neque Burmanno, neque mihi ita videtur. Harles.

Et quæcumque adeo possunt adferre pudorem,
  Illa tegi cæca condita nocte decet.
Nil igitur referam, nisi me peccasse; sed illo
  Præmia peccato nulla petita mihi:
Stultitiamque meum crimen debere vocari,
  Nomina si facto reddere vera velis.
Quæ si non ita sunt; alium, quo longius absim,
  Quære, suburbana hæc sit mihi terra, locum.

ELEGIA VII.

VADE salutatum, subito perarata, Perillam
  Litera, sermonis fida ministra mei:
Aut illam invenies dulci cum matre sedentem,
  Aut inter libros, Pieridasque suas.

32. *Illa tegi cæca condita nocte.*] Quæ Augustum agentem vidi, perpetuo silentio involvenda sunt. CIOF.—MSS. *cæca nube;* Hor. utrumque conjunxit lib. i. Epist. xvi. ver. 62:

Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.

36. *Nomina si factis.*] *Nomina si facto.* Si velis nomina rebus respondere. Nostri habent: *nomine si ficto;* quo sensu, non adsequor.

37. *Quæ si non ita sunt.*] Pont. i. El. iii. ver. 93. pari modo:

Ut tamen hæc ita sint, munus tua grande voluntas
Ad me pervenit.

Proximo versu cum melioribus *suburbana hæc* pro *hic.* HEINS.

38. *Suburbana hæc sit mihi terra.*] Sit mihi quasi suburbium; vel, non modo, inquit, ad longius proficiscar exsilium, sed etiam volo ut suburbana alicujus urbis Scythiæ magis periculosa et hostibus exposita, quam Tomos, ad majus supplicium, si non loquor vera, sint mihi exsilium. *Alium locum.* Quin tu me alio deportandum cures, causam non dico; et, nisi vera dixero, mitte me in locum tam remotum, ut præ illo terra hæc, ubi sum, Romæ vicina et quasi suburbium videatur.

1. *Perarata litera.*] Eadem metaphora utitur Plautus, in prol. Bacchid. *Ad Philoxenis Pistoclerum filium, sodalem unicum sulcat epistolium.* Cicer. ad Att. lib. xii. Epist. i.: *Hoc literarium exaravi, egrediens e villa ante lucem.*

Perillam.] Num filia an uxor fuerit, disputatum fuit. Micyllus cum Volaterrano et Merula filiam fuisse arbitratur. At Burmann: Nec filia, ait, nec uxor fuit, sed fictum nomen est, quo quam intelligat, latet: vide Masson. Vit. Ovidii ad A. U. C. DCCLXIII. HARLES.

Quidquid aget, quum te scierit venisse, relinquet;
Nec mora: quid venias, quidve, requiret, agam.
Vivere me dices; sed sic, ut vivere nolim;
Nec mala tam longa nostra levata mora:
Et tamen ad Musas, quamvis nocuere, reverti,
Aptaque in alternos cogere verba pedes.
Tu quoque, dic, studiis communibus ecquid inhæres,
Doctaque non patrio carmina more canis?
Nam tibi cum fatis mores natura pudicos,
Et raras dotes, ingeniumque dedit.
Hoc ego Pegasidas deduxi primus ad undas,
Ne male fecundæ vena periret aquæ:
Primus id adspexi teneris in virginis annis,
Utque patet, venæ duxque comesque fui.
Ergo, si remanent ignes tibi pectoris idem,
Sola tuum vates Lesbia vincet opus.

9. *Ad Musas reverti.*] Cicero libros suos vocat veteres amiculos.

11. *Studiis communibus.*] Studiis poeticis: quæ mihi tecum communia sunt. *Ecquid inhæres.* Num quid das operam?

12. *Non patrio more.*] Quid sit, disputant interpretes. Ciofanius e cod. Vatic. rescribere jubet *num patrio?* reliqui *non patrio* retinentes diverso modo explicant, Heinsius, quia poetria apud Romanos res fuit insolens: Micyllus et Verpoort. quia exemplo Sapphus, quacum comparat illam ver. 20. lyrica scripsit; quod carminis genus Romanis ante Horatium non erat usitatum. Horat. iii. Od. 30. 13. iv. 9. 2. iii. 1. 2. Merula intelligit lascivos numeros, quibus pater Ovidius usus fuit; cui interpretationi ver. 27. respondere videtur, et Sappho quoque talia conscripsit carmina: dummodo hæc Perilla Ovidii filia fuerit. Harles.

14. *Et raras dotes.*] *Caras* primus Vatic. Rottendorph. et Gottorph. *claras* Richelianus: puto, *Clarias dotes.* Superiori versu *cum fatis* scripti omnes et primæ editiones, non *cum facie*: sed utrumque rectum. *Natura cum fatis dedit*, pro, natura et fata dederunt: de facie ejus et forma, post aget. Heins.

15. *Hoc.*] Scilicet tuum ingenium. *Ad undas Pegasidas.* Ad fontem Musarum, quem equus alatus Pegasus, pede fodiens effecit. Fabulam refert Hyginus; Ovid. lib. iv. Metamorph. Designat autem Ovidius se primum filiam docuisse artem poeticam.

19. *Idem ignes.*] Iidem calores Apollinei: ardores ingenii.

Sed vereor, ne te mea nunc fortuna retardet,
  Postque meos casus sit tibi pectus iners.
Dum licuit, tua sæpe mihi, tibi nostra legebam;
  Sæpe tui judex, sæpe magister eram:
Aut ego præbebam factis modo versibus aures,
  Aut, ubi cessaras, causa ruboris eram.
Forsitan exemplo, quia me læsere libelli,
  Tu quoque sis pœnæ fata secuta meæ.
Pone, Perilla, metum: tantummodo femina non sit
  Devia, nec scriptis discat amare tuis.
Ergo desidiæ remove, doctissima, causas,
  Inque bonas artes et tua sacra redi.
Ista decens facies longis vitiabitur annis,
  Rugaque in antiqua fronte senilis erit;

20. *Sola vates Lesbia.*] Sola vates Sappho ex Lesbo insula. *Vincet opus. Vincat* bene Leidensis. Heins.

23. *Dum licuit, tua sæpe mihi.*] Puto *tua sæpe tibi;* nam de recitante Perilla proximo hexametro habes: mox etiam *Sæpe tuis judex*, hoc est versibus, opinor scribendum. Heins.

26. *Aut, ubi cessaras.*] Heinsius adscripserat suo codici, *non intelligo.* Sed puto recte se habere vulgatam, et *cessare* nihil hic aliud notare, quam inertem esse, nihil facere. Si fecisset versus Perilla, Naso præbebat aures; si per inertiam nihil fecisset, desidiam ejus increpabat Naso, et ita *pudoris causa ipsi erat.* Burm.

27. Vet. edit. cum aliis habet: *Tu quoque sis pœnæ facta ruina meæ.* At *facta secuta* in septem reperitur codicibus, in aliis *fata secuta*, quod placuit D. Heinsio; Sens. Forsitan te quoque pœnæ meæ exemplum a poesi deterret. Mihi vero h. l. in primis præteritum *secuta sis* non placet, nec omnino intelligo, nisi Syllepsin accipias quamdam, (de qua vide Sanctii Minerv. et Perizonium ad illam ii. 9. 5.) quæ mihi quidem h. l. dura esse videtur. N. Heinsius amplectitur Mureti conjecturam, *facta remissa.* Burm. scribendum putat: *Forsan ab exemplo facta remissa metu.* Auctor Electorum Eton. legit *facta severa.* Equidem ita constituerem lectionem: *Forsitan* [aut *forsan ab*] *exemplo pœnæ facta severa metu.* Meo exemplo edocta metuis et aliena facta es a lusu et poetices studio. Harles.

29. Edit. vet. *fœmina nulla, Neve vir a scriptis* Auctor Elector. Etonens. *tantum devia nequa Neve quis e scriptis.* Quia autem in sex libris est, *fœmina non sit*, Burm. suspicatur: *tantum femina non sit Devia, quæ scriptis d. a. t.* vel *femina ne sit*, ne meretrix quædam ex tuis scriptis artem discat amatoriam. Harles.

34. *In antiqua fronte.*] In fronte jam senio confecta.

Injicietque manum formæ damnosa senectus,
Quæ, strepitum passu non faciente, venit.
Quumque aliquis dicet: fuit hæc formosa; dolebis,
Et speculum mendax esse querere tuum.
Sunt tibi opes modicæ, quum sis dignissima magnis:
Finge sed immensis censibus esse pares.
Nempe dat id cuicumque libet fortuna, rapitque:
Irus et est subito, qui modo Crœsus erat.
Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
En ego, quum patria caream, vobisque, domoque,
Raptaque sint, adimi quæ potuere, mihi;
Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque:
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.
Quilibet hanc sævo vitam mihi finiat ense,
Me tamen exstincto fama superstes erit:
Dumque suis victrix omnem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.
Tu quoque, quam studii maneat felicior usus,
Effuge venturos, qua potes, usque rogos.

35. *Injiciet manus formæ.*] Formam sibi vindicabit, et turpem reddet.

36. *Damnosa senectus.*] Senectus quæ juvenes damno adficit. *Passu non faciente strepitum.* Id est, gradu qui non sentitur. Obrepit enim non intellecta senectus.

41. Ed. vet. *Nempe dat et quodcumque.* Ex uno Mediceo rescripsit Heins. *cuicumque* ac loco *et* rescribere jubet: *has* aut *ut*. Irum fuisse mendicum, et Crœsum, regem Lydiæ, ditissimum, inter omnes constat. cf. Propert. iii. 3. 39. Harles.

45. *En ego.*] Tollit interdum spiritus poeta, et se ita, sperata æternitate sua, in medio miseriarum suarum consolatur. Pont.

47. Compara elegantissimam ῥῆσιν apud Propert. iii. i. 55—64. et supra iii. 3. 78. *comitor* h. l. passive, ἀρχαϊκῶς. v. Lauremberg. antiquar. sub h. v. Sic *comitavit* de Pont. iii. 2. 33. et alibi. conf. Heusing. ad Vechneri Hellenol. pag. 116. Harles.

53. *Quam studii maneat felicior usus.*] Quæ habeas feliciorem fortunam ex studiis poeticis, quam ego habui.

54. *Qua potes.*] *Quam* octo veteres. Codex A, *quum*; codex B, *quos*.

ELEGIA VIII.

NUNC ego Triptolemi cuperem conscendere currus,
  Misit in ignotam qui rude semen humum:
Nunc ego Medeæ vellem frænare dracones,
  Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua:
Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,
  Sive tuas, Perseu; Dædale, sive tuas;
Ut, tenera nostris cedente volatibus aura,
  Adspicerem patriæ dulce repente solum,
Desertæque domus vultum, memoresque sodales,
  Caraque præcipue conjugis ora meæ.
Stulte, quid o frustra votis puerilibus optas,
  Quæ non ulla tibi fertque feretque dies?
Si semel optandum est, Augustum numen adora,
  Et quem sensisti, rite precare, Deum.
Ille tibi pennasque potest currusque volucres
  Tradere; det reditum, protinus ales eris.
Si precer hæc, neque enim possim majora precari,
  Ne mea sint timeo vota modesta parum.

1. *Triptolemi currus.*] Currum intelligit, quem a Cerere accepit Triptolemus: fabulam refert Lactant. Ovid. in Metam. et in quarto Fastorum. MER. *Conscendere currus. Consistere curru* prim. Palat. prim. Vatican. et unus Mediceus: etiam probe. Sequenti versu, pro *ignotam humum*, Richelianus *ignaram*. HEINS.

2. *In ignotam humum.*] Ignotam semini, quia nunquam expertum erat terram. PONT.

3. *Dracones Medeæ.*] Medea, post Peliæ necem, fraude interemti, junctis currui draconibus aufugit, lib. vii. Metamorph.

12. *Tibi.*] Retinendum censeo cum Burmanno; Heinsius contra rescripserat *tulit*: at dies aliquando tulit, ut videret conjugem et sodales. HARLES.

13. *Augustum.*] Ex Hafniensi et Medoniano bene rescripsit Heinsius, ut e Ponto iv. 6. 10. nam vulgo legebatur *Augusti*; isque docuit exemplis, Ovidium scribere solitum fuisse: Caput Augustum; nomen Augustum; deus Augustus; forum Augustum. HARLES.

14. *Sensisti.*] n. iratum et exsilium sibi irrogantem. v. supra ad. ii. 229. Melior hæc est lectio, quam *læsisti* ab Heinsio ex quinque scriptis receptam. v. Burm. HARLES.

Forsitan hoc olim, quum se satiaverit ira,
Tum quoque sollicita mente rogandus erit.
Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli,
Ex his me jubeat quolibet ire locis:
Nec cœlum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ;
Et mihi perpetuus corpora languor habet:
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis;
Sive mei causa est in regione mali:
Ut tetigi Pontum, vexant insomnia; vixque
Ossa tegit macies; nec juvat ora cibus.
Quique, per autumnum, percussis frigore primo
Est color in foliis, quæ nova læsit hyems,
Is mea membra tenet; nec viribus adlevor ullis,
Et nunquam queruli causa doloris abest.
Nec melius valeo, quam corpore, mente; sed ægra
Utraque pars æque, binaque damna fero. [est
Hæret, et ante oculos, veluti spectabile corpus,
Adstat fortunæ forma legenda meæ.

21. *Quod minus est.*] Quæ res est minoris momenti, quam reditum concedere. Mer. Vel: interea quod est minus, licet mihi magni sit muneris loco, oro, ut jubeat me ex hoc loco, quovis gentium migrare.

23. *Nec aquæ faciunt.*] Nec aquæ, aut alia elementa in Scythia mihi prosunt, juvant, apta sunt; ita Art. Am. iii. 57:

Dum facit ingenium, petite hinc præcepta, puellæ.

30. *Nova hyems.*] Pro principio et prima parte hyemis: sic ver in tres partes dividitur, novum, adultum, et senescens, vel præceps.

31. *Mea membra tenet.*] Tanquam capta occupat, et in sua potestate habet. Burm.

35. *Veluti spectabile corpus.*] Tanquam si esset corpus conspicuum, et dignum spectatu. Mer.

36. Edit. vet. *Astans—videnda.* At enim *adstat* et *legenda* rescripsit Heinsius e melioribus libris, et Heinsio videtur Ovidius adludere ad edictum Cæsaris, quo proscriptus erat, quod chartæ consignatum secum avexisse Nostrum est verosimile. Forsan tamen, quum proprie eleganterque scripsit *adstat*, et in *φαντασίᾳ* Fortunam coram se videt tamquam *spectabile corpus;* lectio *videnda*, aut potius lectio cod. Hamburgens. *lugenda*, aptior erit sensui, illusioni, et vi poeticæ. Harles. *Forma meæ fortunæ.* Qualitas et deformitas illa meæ conditionis.

Quumque locum, moresque hominum, cultusque, sonumque,
Cernimus, et quid sim, quid fuerimque subit;
Tantus amor necis est, querar ut de Cæsaris ira,
Quod non offensas vindicet ense suas.
At, quoniam semel est odio civiliter usus,
Mutato levior sit fuga nostra loco.

ELEGIA IX.

Hic quoque sunt igitur Graiæ, quis crederet? urbes,
Inter inhumanæ nomina barbariæ:
Huc quoque Mileto missi venere coloni,
Inque Getis Graias constituere domos.
Sed vetus huic nomen, positaque antiquius urbe,
Constat ab Absyrti cæde fuisse, loco.
Nam rate, quæ cura pugnacis facta Minervæ,
Per non tentatas prima cucurrit aquas,

40. *Quod non offensas*, &c.] Quod non ferro me interficiendo, ulciscatur injurias.

41. *Civiliter.*] Me legibus puniendo, non vi et armis: sed ut civem tractari decuit.

42. *Fuga nostra.*] Exsilium meum.

1. *Hic quoque.*] Hic etiam in Getica ora, sunt urbes Graiæ, non lingua et moribus, sed origine. Pro *igitur*, *usquam* multi receperunt.

3. *Huc quoque Mileto.*] Milesii Tomon quoque tenuere, quemadmodum etiam Istropolim, aut quemadmodum aliæ quoque Græciæ coloniæ litus Geticum tenuere. Fuit autem Miletus urbs quondam Ioniæ totius, belli pacisque artibus princeps, a Mileto adpellata.

5. *Sed vetus huic nomen*, &c.] Hic aperte significat, *Tomon* locum a cæde Absyrti nominatum: ubi urbem postea condidere Milesii, servato prioris nomine loci.

7. *Quæ cura pugnacis.*] Quæ Argo navis facta cura et tutela Palladis armatæ, quam pictam habuit. Aut ingeniose, curiose, et perite factam intellige. Hyginus etiam docet, eam Argo a celeritate Græce adpellatam; vel ab Argo ejus inventore.

8. *Per non tentatas.*] Primam navem eam fuisse ait, in quam Argonautæ conscenderunt. Cio*r*.

Impia desertum fugiens Medea parentem,
  Dicitur his remos adplicuisse vadis.
Quem procul ut vidit tumulo speculator ab alto:
  Hospes, ait, nosco, Colchide, vela, venit.
Dum trepidant Minyæ, dum solvitur aggere funis,
  Dum sequitur celeres anchora tracta manus;
Conscia percussit meritorum pectora Colchis,
  Ausa atque ausura multa nefanda manu:
Et, quamquam superest ingens audacia menti,
  Pallor in adtonito virginis ore sedet.
Ergo ubi prospexit venientia vela; tenemur,
  Et pater est aliqua fraude morandus, ait.
Dum, quid agat, quærit, dum versat in omnia vultus,
  Ad fratrem casu lumina flexa tulit:

11. *Quem.*] Patrem Medeæ. Mer. Æetes rex fuga filiæ cognita, classe celeriter instructa, eam ut fugientem retraheret, velis remisque insecutus est. Pont. *Ab alto tumulo.* Ab alto colle Getici litoris. *Speculator.* Aliquis ex Argonautis, vel ex indigenis Scythis, qui collem adscenderat, prospecturus an eos, qui rapto aureo vellere aufugerant, ex Colchide aliqui insequerentur.

12. Heinsius malit, probante Verpoorten: *Hostis ait, nosco, Colchidi, vela, venit,* h. e. ait Colchidi, hostis venit, nosco vela: et pulcre monet, adposite perplexa uti oratione speculatorem. Quum vero non soli Medeæ, sed omnibus Minyis, qui trepidabant, clamet speculator, Burmannus, se lubentius legere, scribit: *Hostis, ait, nosce, Colchide, vela, venit:* et similem perturbatam laudat orationem apud Valer. Flacc. vi. 28. *Mars sævus ab altis Hostis io conclamat, equis, agite, ite, propinquat.* Edit. vet. habet; *Hospes ait: nosco Colchida vela; venit.* ut etiam codex Moret. et multæ habent edd. nec male, si legeris, *hostis.*

Hostis cum Heinsio emendat Verburg. in reliquis nihil mutat: quum speculator dicat, videns ex alto tumulo navem se novisse vela Colchica, sive ex Colchide, quod idem est h. l. Varro *cultros Bithynia,* Cato, *soleas Syracusis* dixerant. Harles.

13. Argonautæ *Minyæ* dicti sunt, a Minya, Neptuni filio, cujus pronepos ex filia fuit Jason, Argonautarum princeps. Ab eodem Minya, qui Orchomeni in Thessalia habitavit, etiam gens illa Orchomeniorum sortita est nomen Minyarum. Ex Thessalia autem profecti sunt Argonautæ; ideoque etiam sic *Minyæ,* quasi Thessali, et speciatim Orchomenii, adpellari possunt, ut docet Scholiast. Apollon. i. 230. Verpoorten. De Medea confer quoque Begeri Spicileg. antiquit. pag. 120-130. Harles.

Aggere.] Quid sit *agger,* docet Gesner. Thes. L. L. sub h. v. hoc loco est, moles ad securitatem portus structa, et flumini marive opposita, ne inundatione agri vastentur. Harles.

Cujus ut oblata est præsentia; vincimus, inquit:
  Hic mihi morte sua causa salutis erit.
Protinus ignari, nec quidquam tale timentis
  Innocuum rigido perforat ense latus;
Atque ita divellit, divulsaque membra per agros
  Dissipat, in multis invenienda locis.
Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto
  Pallentesque manus, sanguineumque caput;
Ut genitor luctuque novo tardetur, et artus
  Dum legit exstinctos, triste moretur iter.
Inde Tomis dictus locus hic; quia fertur in illo
  Membra soror fratris consecuisse sui.

ELEGIA X.

Si quis adhuc istic meminit Nasonis ademti,
  Et superest sine me nomen in urbe meum;
Subpositum stellis nunquam tangentibus æquor,
  Me sciat in media vivere barbarie.

32. *Triste retardet iter.*] *Moretur*, Vatic. Pal. Polit. meliores; et duo alii. Putabam aliquando *justa morentur iter*; Ep. Herus:

Quæque tuum miror causa moretur iter.

Retardandi verbo tamen usus est supra, Eleg. vii. Heins.

33. *Inde Tomos dictus locus hic.*] A dissectione, seu dilaceratione, a *τέμνω*, *seco*. *Tomus* prim. Vatic. et quinque alii; prim. Polit. et sex alii ex melioribus *Tomis*; recte: nam et Straboni, lib. vii, Τόμις est; etsi legisse in eo videatur Stephanus Τομεὺς, qui eamdem de Absyrto historiam recenset. Τόμις etiam Constantino Porphyrogenetæ, l. ii. Them. 2. atque ita apud Nostrum quidam veteres. Pont. lib. iv. El. xiv.

Tam mihi grata Tomis.

Hinc *Tomita* et *Tomitanus* derivantur. Scaliger *Tomi* emendabat: quomodo Apollinaris Sidonius: *Et te carmina per libidinosa Notum Naso tener Tomosque missum.* Ptolemæo quoque Τομοὶ· *Tomos* Plinio. Heins.

3. *Nunquam tangentibus æquor.*] Septemtrionem designat. Ideo autem revera non cadit, quia quum super nos sit polus Arcticus, semper a nobis vi-

Sauromatæ cingunt, fera gens, Bessique, Getæque:
Quam non ingenio nomina digna meo!
Dum tamen aura tepet, medio defendimur Istro;
Ille suis liquidus bella repellit aquis.
At quum tristis hyems squallentia protulit ora,
Terraque marmoreo candida facta gelu est:
Dum patet et Boreas et nix injecta sub Arcto,
Tum liquet has gentes axe tremente premi.
Nix jacet; et jactam nec sol, pluviæve resolvunt:
Indurat Boreas, perpetuamque facit.
Ergo, ubi delicuit nondum prior, altera venit;
Et solet in multis bima manere locis.
Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas
Æquet humo turres, tectaque rapta ferat.
Pellibus, et sutis arcent male frigora braccis;
Oraque de toto corpore sola patent.

detur; sic Maro, Georg. lib. i. ver. 246.

Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

5. *Sauromatæ cingunt, fera gens.*] Plinius scribit Pontico litori varias gentes adpositas, alias Getas, Dacos a Romanis dictos: alias Sarmatas, a Græcis Sauromatas.

Bessi.] Populus in Thracia omnium ferocissimus majorem Hæmi montis partem tenuit, et a prædonum multitudine prædones cognominabantur. Harles.

7. *Medio Istro.*] Medio inter Tomitanam urbem, et Sauromatas; carent enim navigiis quibus trajiciant.—*Defendimur;* arcemur a solis calore. Mer. Non a sole, sed ab hostibus, de quibus mox meminit.

8. *Liquidus.*] Non gelu adstrictus. *Bella.* Quia hostes non possunt aquam tranare.

11. 12. Hos versus adulterinos esse putat Heinsius; secus videtur Burm. qui, quum in nonnullis codd. esset *nox* et *habitare*, hanc effingit lectionem: *Tum pariter Boream, et noctem habitare sub Arcto* (quia perpetui per totam hiemem ibi sentiuntur) *Tum liquet has gentes axe rigente* (vel *fremente*) *premi* (h. e. sub polo jacere) et post Passeratium ad Propert. ii. 9. 17. docet, homines ac res *habitare*, quæ manent diu, et perpetuo sunt in aliquo loco; tamquam sedem posuerint illic. Harles.

12. *Axe tremente.*] Axe nutante nimio vento.

15. *Ubi deliquit.*] Quando liquefacta est; a *deliquo* verbo. Neoterici quidam scioli hunc locum ita emendant, *Ergo ubi delicuit,* non *deliquit,* ignorantes, a *deliqueo* præteritum fieri *delicui,* a *deliquo* vero *deliqui,* quod est, in humorem, sive liquorem resolvo, defluo. Mer.

16. *Bima.*] Nix duorum annorum.

19. *Pellibus, et sutis arcent mala frigora braccis.*] Scribe *arcent male;*

Sæpe sonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu:
Nudaque consistunt formam servantia testæ
Vina; nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi,
Deque lacu fragiles effodiantur aquæ?
Ipse, papyrifero qui non angustior amne,
Miscetur vasto multa per ora freto,
Cæruleos ventis latices durantibus, Ister
Congelat, et tectis in mare serpit aquis.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur; et undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.
Perque novos pontes, subter labentibus undis,
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
Vix equidem credar: sed quum sint præmia falsi
Nulla, ratam testis debet habere fidem.

quidquid libri veteres dissentiunt: neque hic tantum; sed et lib. v. Eleg. vii. ver. 49:

Pellibus et laxis arcent male frigora braccis.

Braccis.] Bracca est vox Gallica, appellat Herodotus ἀναξυρίδας.

20. *Oraque de toto.*] Facies tantum non occultatur. Bersm.

22. *Candida barba.*] Cana, seu candida facta gelu, et quasi argenteis ramentis adspersa. Pont.

23. *Udaque.*] Sic e libro Combiano rescripsit Heinsius, minus probante Burmanno, cui vulgaris lectio *nuda* non displicet, ut sint *nuda vina* conglaciata, sed quæ nulla testa, vel dolio vestiuntur, ita ut securi possint in frusta dissecari, et homines frusta bibant; *uda* vero ideo ei non placet, quia non agitur de vini conditione, in qua fuit, antequam congelaret, sed postquam constiterit gelu, et in glaciem coieret, ut ita mox *fragiles aquæ*, non humidæ effodiuntur. Harles.

26. Ciofanius tradidit, se a doctis Polonis relatum accepisse, hunc locum hodierno die Polonorum lingua dici *Owidowe jezioro*, quod latine est: *Ovidii lacus.* Est autem non longe a Kiovia, quæ antiquitus, ut putant, vocabatur Tomis ipsius Ovidii relegatione clara. Harles.

27. *Papyrifero amne.*] Nilo papyrum ferente.

28. *Multa per ora.*] Septem enim ostiis Pontum influit.

29. *Cæruleos latices.*] Aquas fluentes et cæruleas. *Ventis durantibus.* Ventis adstringentibus et congelantibus.

30. *Tectis aquis.*] Coopertis ipsa glacie. *In mare.* In Pontum Euxinum.

33. *Per novos pontes.*] Novos adpellat glaciem, sub qua currit Ister in Pontum. Heins.

Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
Lubricaque immotas testa premebat aquas.
Nec vidisse sat est; dúrum calcavimus æquor;
Undaque non udo sub pede summa fuit.
Sic tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,
Non foret angustæ mors tua crimen aquæ.
Tum neque se pandi possunt delphines in auras
Tollere: conantes dura coercet hyems;
Et, quamvis Boreas jactatis insonet alis,
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit.
Inclusæque gelu stabunt, ut marmore, puppes:
Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie pisces hærere ligatos;
Et pars ex illis tum quoque viva fuit.
Sive igitur nimii Boreæ vis sæva marinas,
Sive redundatas flumine cogit aquas;
Protinus, æquato siccis Aquilonibus Istro,
Invehitur celeri barbarus hostis equo:
Hostis equo pollens, longeque volante sagitta,
Vicinam late depopulatur humum.
Diffugiunt alii; nullisque tuentibus agros,
Incustoditæ diripiuntur opes;

37. *Testa.*] h. e. glacies, quæ testæ instar incrustat aquam; Burmann. tamen, quia insolitum esse putat, *testam* pro glacie dicere, præfert lectionem, a Merula jam notatam, et quæ est in cod. Francofurt. *crusta*. HARLES.

42. *Angustæ aquæ.*] Hellespontum designat, cujus angustiæ in latitudinem sunt stadiorum septêm.

43. *In auras.*] Nam delphini (auctore Plinio) tanta vi exsiliunt, ut plerumque vela navium transvolent vento.

45. *Jactatis alis.*] Venti enim a poetis finguntur esse alati. Hinc Auster ales. Virgil. Æn. viii. v. 429 sqq:

Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ
Addiderant, rutili tres ignis, et alitis Austri.

55. *Hostis equo pollens.*] Sauromatas arbitror designare Ovidium. Plinius enim lib. viii. scribit, Scythas equitatus et equorum gloria strepere.

57. *Nullisque tuentibus.*] In Epist. Penelop. ad Ulyss. ver. 89.

Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula:
Viscera nostra, tuæ dilacerentur opes.

Ruris opes parvæ pecus, et stridentia plaustra;
Et quas divitias incola pauper habet.
Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,
Respiciens frustra rura Laremque suum:
Pars cadit hamatis misere confixa sagittis:
Nam volucri ferro tinctile virus inest.
Quæ nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt;
Et cremat insontes hostica flamma casas.
Tum quoque, quum pax est, trepidant formidine belli,
Nec quisquam presso vomere sulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hostem:
Cessat iners rigido terra relicta situ.
Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra;
Nec cumulant altos fervida musta lacus.
Poma negat regio: nec haberet Acontius, in quo
Scriberet hic dominæ verba legenda suæ.
Adspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos;
Heu loca felici non adeunda viro!
Ergo, tam late pateat quum maximus orbis,
Hæc est in pœnam terra reperta meam?

61. *Pars agitur vinctis.*] Pars capta vincitur, et in servitutem abripitur.

71. *Non hic.*] Thraciæ regio, quæ Istro pelagoque contingitur, nec cœlo læta est, nec solo: eorumque, quæ seruntur, maligne admodum patiens. *Pampinea umbra.* *Ulmo* unus Mediceus; venuste. Calpurnius:

Inter pampineas ponetur vitibus ulmos. HEINS.

73. *Nec haberet Acontius.*] Cydippes et Acontii fabula nota est Ovidii epistola. Heroid. Epist. xx. xxi.

ELEGIA XI.

Si quis es, insultes qui casibus improbe nostris,
  Meque reum, demto fine, cruentus agas;
Natus es e scopulis, nutritus lacte ferino;
  Et dicam silices pectus habere tuum.
Quis gradus ulterior, quo se tua porrigat ira,
  Restat? quidque meis cernis abesse malis?
Barbara me tellus, et inhospita litora Ponti,
  Cumque suo Borea Mænalis ursa videt.
Nulla mihi cum gente fera commercia linguæ:
  Omnia solliciti sunt loca plena metus.
Utque fugax avidis cervus deprensus ab ursis,
  Cinctave montanis ut pavet agna lupis;
Sic ego, belligeris a gentibus undique septus,
  Terreor, hoste meum pæne premente latus.
Utque sit exiguum pœnæ, quod conjuge cara,
  Quod patria careo, pignoribusque meis;
Ut mala nulla feram, nisi nudam Cæsaris iram;
  Nuda parum nobis Cæsaris ira mali est?
Et tamen est aliquis, qui vulnera cruda retractet,
  Solvat et in mores ora diserta meos.

1. *Si quis es.*] *Quisquis es*, puto, scripserat Noster. Heins. Et cur non *Si quis*, ut eleganter præcedentem elegiam inchoavit? *Invide pro improbe* unus codex.

2. Et me perpetuo adcuses.

5. *Quis gradus ulterior restat?*] Quod aliud malum superest, quod iratus mihi cupias accidere?

7. *Inhospita.*] Pontus dicebatur antiquis ἄξενος, inhospitalis. conf. iii. 3. 27, 28. Harles.

8. *Mænalis ursa.*] Ursa Arcadia. Callisto enim, quæ postea in ursam mutata dicitur, fuit ex Arcadia. *Parrhasis* duo veteres; sic Fast. iv. *Parrhasides stellæ*; et Met. ii. *Parrhasis erubuit*, de hac ipsa. Heins.

19. *Vulnera cruda retractat.*] Vulnus, quod nondum coivit, renovat.

20. Qui in adcusandis moribus meis ostendat eloquentiam. conf. e. Ponto i. 2. 104. Harles.

In causa facili cuivis licet esse diserto;
Et minimæ vires frangere quassa valent.
Subruere est arces et stantia mœnia virtus;
Quamlibet ignavi præcipitata premunt.
Non sum ego, quod fueram: quid inanem proteris umbram?
Quid cinerem saxis bustaque nostra premis?
Hector erat tunc quum bello certabat; at idem
Vinctus ad Hæmonios non erat Hector equos.
Me quoque, quem noras olim, non esse memento;
Ex illo superant hæc simulacra viro.
Quid simulacra, ferox, dictis incessis amaris?
Parce, precor, manes sollicitare meos:

21. *In causa facili.*] In causa non difficili ad probandum.

24. *Præcipitata premunt.*] Duo libri *ruunt:* eleganter, probante Heinsio, pro, proruunt, dejiciunt; vide Metam. xii. 134. *Cedentique sequens instat, turbatque ruitque;* atque ita passim alii; et hoc melius τῷ *præcipitata* convenit, quæ non premuntur, sed ruuntur. BURM.

25. *Proteris.*] Conculcas, pedibus teris. *Inanem umbram.* Umbram sine corpore, id est, me sine ullis viribus.

26. *Premis.*] Sic pro vulgari *petis* rescripsit Burm. e multis codd. poeta enim respicit ad terram levem, quam optabant sepultis, non ut saxorum pondere manes premerentur. *Bustum* vero, ut ait Festus sub h. v. proprie dicitur locus, in quo mortuus est combustus diciturque bustum, quasi bene ustum. Ubi vero combustus quis tantum modo, alibi vero est sepultus, is locus ab urendo *ustrina* vocatur. Sed modo bustum eo, quod sepelitur, *sepulcra* vocamus. Adde Servium ad Virg. Æn. xi. 185. HARLES.

27. *Hector erat tunc quum bello certabat.*] Quo pacto cæso Hectori insultarint Græci, invenies Iliad x. 372, sqq:

Ὧ δε δέ τις εἴπεσκεν ἰδὼν ἐς πλησίον ἄλλον,
Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ.
Ne strato illudas, ignobile vulgus Achivum:
Egregie functum sit violare pudor.
Non ita spirantem quisquam tetigisset in armis;
Nunc impune licet corpus inane premas.
Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσι.

Servius tradit, moris fuisse antiquitus, ut interemtos hostium duces omnis percuteret exercitus. Æn. xi. 9.

30. *Hæc simulacra.*] Hoc corpus sine viribus, et hanc fictam imaginem. Simulacra enim proprie sunt mortuorum imagines, quæ ex desiderio mortuorum ortæ sunt; ut qui jam defecerant, vivere viderentur. His autem verbis poeta se quasi mortuum esse designat, nec quidquam præter simulacrum restare significat.

32. *Sollicitare.*] Inquietare. *Meos*

Omnia vera puta mea crimina: nil sit in illis,
  Quod magis errorem, quam scelus, esse putes.
Pendimus en profugi, satia tua pectora, pœnas,
  Exsilioque graves, exsiliique loco:
Carnifici fortuna potest mea flenda videri;
  Te tamen est uno judice mœsta parum.
Sævior es tristi Busiride; sævior illo,
  Qui falsum lento torruit igne bovem;
Quique bovem Siculo fertur donasse tyranno,
  Et dictis artes conciliasse suas.
Munere in hoc, Rex, est usus, sed imagine major;
  Nec sola est operis forma probanda mei:
Adspicis a dextra latus hoc adapertile tauri?
  Huc tibi, quem perdes, conjiciendus erit:
Protinus inclusum lentis carbonibus ure;
  Mugiet, et veri vox erit illa bovis:
Pro quibus inventis, ut munus munere penses,
  Da, precor, ingenio præmia digna meo.
Dixerat; at Phalaris: pœnæ mirande repertor,
  Ipse tuum præsens imbue, dixit, opus.

manes. Animam, quæ a meo corpore discessit.

37. *Carnifici.*] Crudelissimo homini.

39. Busiris, rex Ægypti crudelissimus, Neptuni filius, qui hospites ad aram mactare solebat, ob eamque caussam ab Hercule cæsus est. Apollod. ii. 5. 11. Ovid. Metam. ix. 182. Virgil. Georg. iii. 5. et ibi Servius. Verpoort. Harles.

40. *Qui falsum lento torruit igne bovem.*] Phalarim designat, Agrigentinorum tyrannum; de quo Paulus Orosius.

41. *Quique bovem Siculo fertur.*] Perillum dicit: eum crudelem fuisse Plin. adserit; et Propert. ii. 51. sq:

Nonne fuit satius tristi servire tyranno,
Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo? Mer.

42. *Et dictis artes conciliasse.*] Et verbis ornasse munus atque artificium suum, illudque fecisse acceptius. Pont.—Ἡ χάρις οὐ μακρῶν λόγων δεῖται Nestor ap. Eurip. Troad. Formula conciliandi in Plaut. Truc. ii. vii. ver. 27:

Jussit orare, ut hæc grata haberes tibi.

43. *Munere in hoc, Rex, est usus, sed imagine.*] Hæc sunt Perilli verba ad Phalaridem regem.

52. *Imbue.*] Incipe. Imbuere enim (auctore Servio) est proprie inchoare

Nec mora; monstratis crudeliter ignibus ustus,
Exhibuit querulos ore tremente sonos.
Quid mihi cum Siculis inter Scythiamque Getasque?
Ad te, quisquis is es, nostra querela redit:
Utque sitim nostro possis explere cruore,
Quantaque vis, avido gaudia corde feras;
Tot mala sum fugiens tellure, tot æquore passus,
Te quoque ut auditis posse dolere putem.
Crede mihi, si sit nobis collatus Ulysses,
Neptuni minor est, quam Jovis ira fuit.
Ergo quicumque es, rescindere vulnera noli,
Deque gravi duras ulcere tolle manus:
Utque meæ famam tenuent oblivia culpæ,
Fata cicatricem ducere nostra sine:
Humanæque memor sortis, quæ tollit eosdem,
Et premit, incertas ipse verere vices.

et initiare. Mer. Vel tu primus experire. Nolo hinc discedas impunitus. Pont.

54. *Exhibuit geminos ore gemente sonos.*] Nugæ sunt de geminis sonis: diu est, quod *querulos sonos* reponendum hic vidi; idque quinque veteres confirmant. Trist. v. El. i. 53:

Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, et bovis ore queri.
Heins.

57. *Utque sitim nostro possis explere cruore.*] Hierocles, quum Bizantii esset judicio damnatus, et virgis concisus, manante ex corpore lacerato sanguine judicem adspersit, subjiciens illud Ulyssis apud Homerum, Odyss. I. 347:

Κύκλωψ, τῆ, πῖε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.

62. *Neptuni minor est ira.*] Homer. Odyss. E, et Odyss. N:

Perpetuo rebus pater Ennosigæus Ulyssis
Additus.

Quam Jovis. Quam Augusti. *Rescindere.* Noli iterum crimina mea lacerando commemorare, et retractare.

63. *Rescindere crimina noli, Deque gravi duras vulnere tolle manus.*] *Rescindere vulnera* repone cum melioribus duodecim: nam alterum vix Latinum est. Sed offendit bonos censores, quod τὸ *vulnere* sequenti versu denuo obcurrebat: ubi, vel invitis libris, *ulcere* refingendum. Heins. Symm. lib. i. Ep. c: *Ne fortunæ vulnera, quæ cicatricem processu temporis ducunt, intempestive contracta crudescant.*

67. *Humanæque memor sortis, quæ, &c.*] Juvenalis, Sat. vii. ver. 197 sq.

Si fortuna volet, fies de rhetore consul;

Et quoniam, fieri quod nunquam posse putavi,
Est tibi de rebus maxima cura meis;
Non est quod timeas: fortuna miserrima nostra est;
Omne trahit secum Cæsaris ira malum.
Quod magis ut liqueat, neve hoc tibi fingere credar,
Ipse velim pœnas experiare meas.

ELEGIA XII.

Frigora jam Zephyri minuunt, annoque peracto
Longior antiquis visa Mæotis hyems:
Impositamque sibi qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis æqua diurna facit.

Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.

Et Virg. Æn. lib. xi. 426. sq.

multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.

2. Interpretatio hujus versus valde torsit interpretes, et latet mendum non adeo facile curandum. Loco τοῦ *longior* alii legunt *tardior*: sed hoc leve est. *Antiquis* est præteritis, superioribus annis, ut Burmann. pluribus docet locis e.g. e Ponto i. 5. 37. Trist. i. 6. 32. iii. 7. 29. iv. 10. 94, &c. Unica Scythica hiems, ubi annum consumserit in exsilio, longior videbatur, quam superiores Romæ transactæ. Mæotis palus est Ponti Euxini sinus a bosphoro Cimmerio ad Tanais ostia pertinens, inter Chersonesum Tauricam et Asiam. At *Mæotis*, cujus prima syllaba h. l. correpta est contra auctoritatem et consuetudinem, criticorum acuit industriam et sagacitatem. Quare alii aliter tentarunt hunc versum. Quorumdam proferre lubet conjecturas, (reliqua videbis apud Burm. quem consules:) Bersm. *longior antiquis visa meavit hiems*, (quæ quidem mihi in primis placet.) Micyllus, ad h. l. de medicina desperans, ad libr. i. ex Ponto el. i. legit, *tardior antiquis visa recedit hiems.* Burm. suspicatur,

Annoque peracto
Longior antiquis visa, fugatur hiems.

Heinsius *Boötis* aut *Boreis hiems.* Uterque utem sibi ipse non satisfecit. Harles.

3. *Impositamque sibi.*] Æquinoctium vernum describit. *Qui non bene pertulit Hellen.* Aries qui postea inter sidera collocatus fuit, Phryxum et Hellen per Hellespontum transtulit. Sed Hellen narrant decidisse in Hellespontum, quam ob causam hic Ovidius arietem dicit non bene pertulisse Hellen.

4. *Tempora nocturnis.*] Arietis signum ingreditur sol mense Martio, et vernum æquinoctium efficit.

Jam violam puerique legunt hilaresque puellæ,
  Rustica quam nullo terra serente gerit:
Prataque pubescunt variorum flore colorum,
  Indocilique loquax gutture vernat avis:
Utque malæ crimen matris deponat hirundo,
  Sub trabibus cunas parvaque tecta facit:
Herbaque, quæ latuit Cerealibus obruta sulcis,
  Exserit e tepida molle cacumen humo:
Quoque loco est vitis, de palmite gemma movetur;
  Nam procul a Getico litore vitis abest:
Quoque loco est arbor, turgescit in arbore ramus;
  Nam procul a Geticis finibus arbor abest.

6. Vulgata est lectio, *Ruraque, quæ nullo nata serente vehunt*, quam Ciofanius et Burmannus sequendam putant. Sed valde turbant veteres libri: Pæne omnes habent *Rustica*. Burmann. *rusticam* dici terram, concoquere vix potest, nisi quæ incolas moribus agrestibus habeat, non, in qua rustici degunt. At enim in voc. *ruraque* (in quo quidem floris aliquod genus latere suspicatur Burm.) nullum video sensum. In consensu igitur codicum retinerem *rustica*; at enim explicarem, non culta; ferro non sollicitata: uti *mores rustici* opponuntur politis, excultis. Atqui h. l. huic vocabulo idem forsan inest singularis significatus ususque, quem de usu v. *rusticitatis* ad illud Plin. i. ep. 14. *Brixia quæ multum adhuc verecundiæ, frugalitatis, atque etiam* rusticitatis [h. e. simplicitatis] *antiquæ retinet*, Gesnerus in sua Plinii editione observavit. Sensus nunc luce clarior est. Nisi legere malis, *roscida* terra, quod epitheton tempori reique bene responderet. Sic Seneca in quadam tragœdia, *roscida tellus*; alii *roscidum solum* dixerunt. HARLES.

8. *Indocili gutture.*] Non docto gutture: hoc est, quod a nullo doctum fuit nisi a natura.

Vernat.] Metaphora ab agris et arboribus, quæ verno tempore lætæ sunt et floridæ. Petron. c. 120.

non verno *persona cantu*
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur.

ubi v. Burm. Avis est Verpoortenio coccyx, Latinis cuculus, vere tantum procedens et cantans: de quo Plin. x. 9. HARLES.

9. *Ut deponat crimen malæ matris.*] Ut, deponendo in eis cunis et nidis pullos, videatur pia, et velle crimen filii quem occidit, ea educatione celare, nec mala mater dici. Nota est fabula Prognes, quæ Itym filium interfecit, et patri Tereo epulandum adposuit, ut ulcisceretur vim sorori turpiter illatam. Vide Ovidium, vi. Met. ver. 636. sqq.

10. *Sub trabibus cunas.*] *Cunas*, hirundinis nidos adpellat.

11. *Herbaque, quæ latuit.*] Frumentum quoque adparere ostendit.

15. *Turgescit.*] Tumet, ὀργᾷ; et Virgilius, Georg. lib. ii. 330,

Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus.

Otia nunc istic: junctisque ex ordine ludis
  Cedunt verbosi garrula bella fori.
Usus equi nunc est, levibus nunc luditur armis;
  Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus:
Nunc, ubi perfusa est oleo labente juventus, 21
  Defessos artus Virgine tingit aqua.
Scena viget, studiisque favor distantibus ardet;
  Proque tribus resonant terna theatra foris.

17. Mensibus Aprili et Maio ludi erant fere continui, (hinc *ex ordine juncti* dixit. cf. supra i. 1. 107.) et feriæ stativæ: *Bonæ deæ sacrum* Kalend. Maiis. *Cerealia* in honorem Cereris, v. idus April. *Floralia*, in honorem Floræ, iv. Kal. Maias. (v. Spanhem. de V. et PR. numism. diss. x. tom. ii. pag. 146. sqq.) *Lavatio matris deûm*. iv. Kal. April. *Liberalia*, quæ Baccho sacra erant xvi. Kal. April. *Lupercalia* Pani sacra xv. Kal. Mart. *Matronalia* Kal. Martii, in memoriam diremti a matronis inter Romanos et Sabinos belli (Ovid. Fast. in quibus libris de feriis Romanorum multus est, iii. 170. sqq.) *Parilia* sive *Palilia* ante Romam conditam jam celebrata, postea vero sollemniora, quod idem dies urbis Romæ fuerat natalis, Propert. iv. 4. 73. xi. Kal. Maias. *Quinquatrus majores* xiv. Kal. April. in honorem Minervæ: quibus diebus scholarum magistri donaria accipiebant, *minervalia* dicta v. interpretes ad Ovid. Fast. iii. 829. Quod *juncti—ludi* septem codd. et *edunt* triginta fere habent, scribendum putat Burmann.

Otia sunt illic: junctique ex ordine ludi
Sedant verbosi garrula bella fori.

Equidem *juncti—ludi: Cedunt*—interpungerem et legerem. Elegantior etiam est lectio, *garrula bella* quam *garr. verba*, ut edit. vet. et 14. codd. habent. v. Burm. et iv. ex Ponto vi. 29. iv. Trist x. 18. Harles.

18. *Cedunt verbosi.*] Non dicitur jus Romæ eo tempore, quo in scena ludi celebrantur.

20. *Celeri orbe.*] Celeri agitatione. Mer. *Vertitur orbe trochus.* Horat. ad Pisones, 379. sq:

Ludere qui nescit, campestribus, &c.
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit, &c. Heins.

22. Aqua Virgine pulverem et sudorem abluebant, qui exercebantur in campo Martio. Eo enim perduxerat Agrippa, et aqua virgo dicta fuit, quia fontes ejus militibus, aquam quærentibus, a virgine quadam fuerant monstrati. cf. Ovid. Fast. i. 464. e Ponto i. 8. 38. Harles.

23. *Studiis distantibus.*] Favoribus diversis. *Studiisque favor distantibus ardet.*

Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis;

Virgil. Æneid. v. 227, in certamine navali; *ἐπευφήμησαν δὲ πάντες*, Argon. Apoll. iv. ver. 295; *μετ' εὐφημίας ἐβόησαν*, Homer. *ξύναυλος βοᾷ χαρᾷ*, Eurip. Electr. *fremituque secundo* Virgil. Æneid. v. 338.

24. *Proque tribus.*] Tria fora, Romanum, Cæsaris, Augusti: terna theatra, Pompeii, Marcelli, Statilii.

O quater, et quoties non est numerare, beatum,
  Non interdicta cui licet urbe frui!
At mihi sentitur nix verno sole soluta,
  Quæque lacu duro vix fodiantur aquæ.
Nec mare concrescit glacie; nec, ut ante, per Istrum
  Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.
Incipient aliquæ tamen huc adnare carinæ,
  Hospitaque in Ponti litore puppis erit:
Sedulus obcurram nautæ, dictaque salute,
  Quid veniat, quæram, quisve, quibusve locis.
Ille quidem mirum, ni de regione propinqua
  Non nisi vicinas tutus ararit aquas.
Rarus ab Italia tantum mare navita transit;
  Litora rarus in hæc portubus orba venit.
Sive tamen Graia scierit, sive ille Latina
  Voce loqui; certe gratior hujus erit.
Fas quoque ab ore freti longæque Propontidos undis
  Huc aliquem certo vela dedisse Noto:
Quisquis is est, memori rumorem voce referre,
  Et fieri famæ parsque gradusque potest:
Is, precor, auditos possit narrare triumphos
  Cæsaris; et Latio reddita vota Jovi:
Teque, rebellatrix, tandem, Germania, magni
  Triste caput pedibus subposuisse ducis.

44. *Et fieri famæ parsque gradusque potest.*] Quasi dicat: Rumor ille poterit ad partem aliquam, seu gradum veritatis pervenire.

47. *Teque, rebellatrix, tandem.*] De Tiberio intellige hoc loco, non de Druso. Nam Drusus jam multo ante, lapsu equi, perierat. Tiberius autem, occiso paulo ante Quintilio Varo, in Germaniam missus hoc tempore fuit, ut cladem acceptam ulcisceretur, et Germanos in ordinem redigeret. Hunc ergo optat poeta, devicta, ut ipse ait, rebellatrice Germania, cum triumpho redire, idque se ex aliquo audire posse. Mer.

Hæc mihi qui referet, quæ non vidisse dolebo,
  Ille meæ domui protinus hospes erit.
Heu mihi! jamne domus Scythico Nasonis in orbe?
  Jamque suum mihi dat pro Lare pœna locum?
Dî faciant, Cæsar non hic penetrale domumque,
  Hospitium pœnæ sed velit esse meæ.

ELEGIA XIII.

Ecce supervacuus, quid enim fuit utile gigni?
  Ad sua natalis tempora noster adest:
Dure, quid ad miseros veniebas exsulis annos?
  Debueras illis imposuisse modum.
Si tibi cura mei, vel si pudor ullus inesset,
  Non ultra patriam me sequerere meam;
Quoque loco primum tibi sum male cognitus infans,
  Illo tentasses ultimus esse mihi.
Jamque relinquenda, quod idem fecere sodales,
  Tu quoque dixisses tristis in urbe, vale.

52. Heinsio suspectus esse videtur hic locus. Ego vero neque vellem adeo facile expungere, neque cum Burm. corrigere, *Jamne novum mihi dat pro lare pœna focum*. Sensus enim est. Jam pœna sive exsilium nonne mihi dat stabilem quemdam locum et habitationem pro domicilio Romano? Aut, si conjecturæ locus dabitur, legi poterit. *Jamque alium*, aut *Jam miserum mihi*, &c. ut sit quasi explicatio versus superioris. Harles.

4. *Modum.*] Finem, ut morerer.

5. *Pudor ullus adesset.*] *Inesset* plerique. Heins.

7, 8. Impium hoc distichon non æque placet, quam fictio poetica et adlocutio ad natalem, quem tamquam Genium aut hominem inducit, et acerba brevisque reprehensio timidorum amicorum, *quod idem fecere sodales*. Harles.

7. *Quoque loco primum.*] Sulmone, quum primum natus fui. *Sum male cognitus*. Sum infeliciter cognitus, malis et infortuniis exsilii. *Creditus* Cod. Strozzæ.

Quid tibi cum Ponto? num te quoque Cæsaris ira
  Extremam gelidi misit in orbis humum?
Scilicet exspectes soliti tibi moris honorem,
  Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?
Fumida cingatur florentibus ara coronis?
  Micaque solemni turis in igne sonet?
Libaque dem pro me genitale notantia tempus?
  Concipiamque bonas ore favente preces?
Non ita sum positus; nec sunt ea tempora nobis,
  Adventu possim lætus ut esse tuo.
Funeris ara mihi, ferali cincta cupresso,
  Convenit, et structis flamma parata rogis:

14. *Vestis ut alba.*] Quam induebant, qui natalem celebrabant.

15. *Fumida cingatur.*] Solebant enim die natali honorem Diis exhibere, et Genio potissimum, cujus aram sertis coronatam ture vaporabant: Tib. ii. 2. 3:

Urantur pia tura focis, urantur odores. Mer.

16. *Micaque.*] *Micas* vocant vel contusa grana et fracta, vel concussa et elisa. Plin. xii. 14. Columel. vi. 30. Bersmann. Harles.

In igne sonet.] *Crepet* Vossianus, ut in Fastis, lib. iv. ver. 742:

Et crepet in mediis laurus adusta focis;

sed lib. iv. El. ii. ver. 4:

Turaque in igne sonat. Mer.

Sonet. Nam a sonitu et crepitu tam turis, quam lauri ardentium, felix omen captabant. Pont.

17. *Libaque dem pro te.*] *Dem propriis* plerique. Sed prim. Polit. *dem pro me;* quod sequor. Heins. Servius scribit, libum placentam fuisse, quæ farre, melle, et oleo constabat, et apta erat sacrificiis: eaque die natali discumbentibus adponebatur: nemo autem prius gustabat, quam is qui suum natalem celebrabat: et omnes qui libum gustassent, bene precari oportebat. *Genius* Deus est, cujus in tutela, ut quisque natus est, vivit: sive quod nos genitos suscipiat ac tueatur.

18. *Ore favente.*] Εὐφημοῦντι. Favere autem est bona fari.

19. *Non ita sum positus; non sunt ea tempora nobis.*] *Non ita subpositus* prim. Vatican. Versus est aut mendosus, aut adulteratus; Hafniensis: *nec sunt tam prospera nobis.* Heins. Ex ipso verbo *positus* Ovidii intelligitur exsilium et infelix conditio. Ita Horat. i. Od. xxii. ver. 17. sq.

Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor æstiva recreatur aura;

et ibid.

Pone sub curru nimium propinqui
Solis;

Lucan. v. 784. sq.

notescent litora clari
Nominis exsilio, positaque ibi conjuge Magni. Burm.

21. *Funeris ara mihi, ferali cincta cupressu.*] *Cupresso* meliores. Malo etiam *Funebris ara:* sic *funebres cupressos* et *funebre bellum,* media syllaba correpta, dixit Horatius: sic *fu-*

Nec dare tura libet, nihil exorantia Divos;
  In tantis subeunt nec bona verba malis.
Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum,
  In loca ne redeas amplius ista, precor;
Dum me, terrarum pars pæne novissima, Pontus,
  Euxini falso nomine dictus, habet.

ELEGIA XIV.

Cultor et antistes doctorum sancte virorum,
  Qui facis ingenio semper amice meo;
Ecquid, ut incolumem quondam celebrare solebas,
  Nunc quoque, ne videar totus abesse, caves?
Suscipis exceptis ecquid mea carmina solis
  Artibus, artifici quæ nocuere suo?
Immo ita fac, vatum, quæso, studiose novorum;
  Quaque potes, retine corpus in urbe meum.

nebria sacra, Trist. iv. El. iv. ver. 85: in Ibide tamen, ver. 104:

Jam stat, ut ipse vides, funeris ara tui. Heins.

25. *Si tamen est aliquid nobis*, &c.] Hoc dicit, quia natalem celebrantes, a Diis aliquid petebant.

27. *Pars pæne novissima Ponti Euxinus.*] *Pontus* multi veteres. Scribe:

Dum me, terrarum pars pæne novissima, Pontus,
Euxini falso nomine dictus, habet. Heins.

Ita et legebat Tanaquillus Faber ad Phædrum, lib. iv. Fabul. vi.

28. *Euxinus falso*, &c.] Nam circa Euxinum loca sunt asperrima, et fera, gentesque etiam immites, quum ab inhospitali feritate, rectius *Axenus* adpellaretur.

1. *Antistes.*] Qui alios omnes antecedis, q. προστάτης: ducta adpellatione vel a re militari, vel a sacrorum consuetudine. Bersm.

5. *Suscipis.*] Ed. vet. et codd. haud pauci *colligis*, quod sequitur Heinsius, et interpretaberis de studio amici, qui opera Ovidii et reliquorum novorum poetarum diligenter colligit et conquirit. At Burm. qui malit de patrocinio capere, vid. vv. 15, 16. et quia *colligere* proprie idem est, quod tamquam expositum partum tollis, Ovidius autem sua carmina agnoscit, mittit amico, non projicit, sed tamquam infamata patrocinio commendat, rescripsit *suscipis*, quod patroni est, ut infra v. 6. 3. Harles.

7. *Novorum.*] h. e. qui hoc tempore vivunt, quos tueris et amas. E

Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis,
  Qui domini pœnam non meruere pati.
Sæpe per extremas profugus pater exsulat oras;
  Urbe tamen natis exsulis esse licet.
Palladis exemplo, de me sine matre creata
  Carmina sunt; stirps hæc progeniesque meâ est.
Hanc tibi commendo: quæ, quo magis orba parente,
  Hoc tibi tutori sarcina major erit.
Tres mihi sunt nati contagia nostra secuti:
  Cætera fac curæ sit tibi turba palam:
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
  Carmina de domini funere rapta sui:
Illud opus potuit, si non prius ipse perîssem,
  Certius a summa nomen habere manu:
Nunc incorrectum populi pervenit in ora;
  In populi quidquam si tamen ore meum est.
Hoc quoque, nescio quid, nostris adpone libellis,
  Diverso missum quod tibi ab orbe venit.
Quod quicumque leget, si quis leget, æstimet ante,
  Compositum quo sit tempore, quoque loco;

lectione unius codicis *virorum* Heinsius emendaturus erat, *bonorum* vel *piorum*. Harles.

8. *Retine nomen in urbe meum.*] *Corpus* major pars veterum; argute et vere: sic lib. ii. de scriptis Virgilianis, ver. 533:

Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,
Quam non legitimo fœdere junctus amor.

13. *Palladis exemplo.*] Tertio Fastorum, ver. 841:

Aut quia de capitis fertur, sine matre, paterni
Vertice, cum clypeo prosiluisse suo,

unde et ἀμάτωρ Græcis dicta; quia Sapientia solius Dei munus sit, et cum voluptate corporis non consistat. Quam ob causam, Musas quoque virgines finxit antiquitas. Pont.

17. *Tres mihi sunt nati.*] Tres illos de Arte amandi libros significat. *Fratres*, unus Gallicanus. *Contagia nostra.* Nostra mala: nam et ipsi ex urbe ejecti sunt.

19. *Sunt quoque.*] Lege *Sint;* nempe curæ tibi. Heins.

20. *De domini funere.*] Subita enim relegatione opus illud inemendatum emissum est.

Æquus erit scriptis, quorum cognoverit esse
  Exsilium tempus, barbariemque locum;
Inque tot adversis carmen mirabitur ullum
  Ducere me tristi sustinuisse manu.
Ingenium fregere meum mala; cujus et ante
  Fons infœcundus parvaque vena fuit.
Sed quæcumque fuit, nullo exercente refugit,
  Et longo periit arida facta situ.
Non hic librorum, per quos inviter alarque,
  Copia; pro libris arcus et arma sonant:
Nullus in hac terra, recitem si carmina, cujus
  Intellecturis auribus utar, adest:
Nec, quo secedam, locus est; custodia muri
  Submovet infestos, clausaque porta, Getas.
Sæpe aliquod verbum quæro, nomenque, locumque;
  Nec quisquam est, a quo certior esse queam.
Dicere sæpe aliquid conanti, turpe fateri,
  Verba mihi desunt; dedidicique loqui.
Threicio Scythicoque fere circumsonor ore;
  Et videor Geticis scribere posse modis.
Crede mihi; timeo, ne sint immista Latinis,
  Inque meis scriptis Pontica verba legas.
Qualemcumque igitur venia dignare libellum,
  Sortis et excusa conditione meæ.

37. *Si* rescripsit Ciofan. *Cui* edit. vet. et, ut ait Burm. omnes fere scripti et editi nonnulli: atqui *cui* bene se habet, ut libr. iv. 1. 89. De recitationibus veterum publicis et privatis res nota est, vel ex Plinii junioris epistolis i. 5. 4. i. 13. 1. &c. conf. supra iii. 7. 23. sqq. et infra iv. 10. 43. sqq. HARLES.

43. *Sæpe aliquod verbum.*] Hic denuo sciolus aliquis importune grassatus est. Sequitur enim mox, *Verba mihi desunt.* HEINS.

PUBLII OVIDII NASONIS

TRISTIUM

LIBER QUARTUS.

ELEGIA PRIMA.

Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis,
  Excusata suo tempore, lector, habe:
Exsul eram, requiesque mihi, non fama petita est;
  Mens intenta suis ne foret usque malis.
Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor,
  Indocili numero quum grave mollit opus:
Cantet et, innitens limosæ pronus arenæ,
  Adverso tardam qui trahit amne ratem:
Quique ferens pariter lentos ad pectora remos,
  In numerum pulsa brachia versat aquâ.
Fessus ut incubuit baculo, saxove resedit
  Pastor, arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
  Fallitur ancillæ decipiturque labor.

7. *Cantat.*] *Cantet* cum scriptis: præcedentia id exigunt. Heins.

9. *Ferens.*] Hanc Micylli emendationem rescripsit Burmann. quod sensus aliter non constat, et *pariter* requirit hoc voc. ut æquali ordine currant remi, quod ad numerum, h. e. ad celeusma fiebat. Harles.

12. *Arundineo carmine.*] Fistulæ cantu.

Ille nec exsilium, Scythici nec litora ponti,
Ille nec iratos sentit habere Deos.
Utque soporiferæ biberem si pocula Lethes,
Temporis adversi sic mihi sensus hebet.
Jure Deas igitur veneror mala nostra levantes,
Sollicitæ comites ex Helicone fugæ;
Et partim pelago, partim vestigia terra,
Vel rate dignatas, vel pede, nostra sequi.
Sint precor hæ saltem faciles mihi: namque Deorum
Cætera cum magno Cæsare turba facit:
Meque tot adversis cumulant, quot litus arenas,
Quotque fretum pisces, ovaque piscis habet.
Vere prius flores, æstu numerabis aristas,
Poma per autumnum, frigoribusque nives;
Quam mala, quæ toto patior jactatus in orbe,
Dum miser Euxini litora læva peto.
Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum est:
Huc quoque sunt nostras fata secuta vias:
Hic quoque, cognosco natalis stamina nostri,
Stamina de nigro vellere facta mihi.
Utque nec insidias, capitisque pericula narrem,
Vera quidem, vera sed graviora fide;

cumvolutas; *pampineas hastas* vocat Virgil. ipsi *thyrsigeri* dicti. Pont.

44. *Altior humano spiritus ille malo est.*] In Leid. erat, *ille loco est.* Vide an huc faciat illud Petronii, c. xc:

Sæpius poetice quam humane locutus es. Burm.

60. *Dum miser Euxini litora sæva peto.*] *Jussa* bene Medonianus; nisi quod *litora læva* rectius scribetur cum Bualidiano; Trist. i. Eleg. ii. 83:

Obligor ut tangam lævi fera litora Ponti;

Pont. lib. iv. El. ix. 119:

Is quoque, quo lævus fuerat sub præside Pontus;

quæ et ibi vera lectio: *sinistrum Pontum* alibi non uno loco adpellat, et passim ad id nomen alludit. Heins.

61. *Ut veni.*] Posteaquam in Scythiam perveni. *Nec tamen levior.* Nec tamen in presentia, minori, quam antea, me adficit poena: quasi dicat: credideram me tantum doliturum, quod patria carerem: sed alia etiam mala non leviora, quæ statim poeta subjungit, me angunt.

Nos quoque delectant, quamvis nocuere, libelli;
Quodque mihi telum vulnera fecit, amo.
Forsitan hoc studium possit furor esse videri;
Sed quiddam furor hic utilitatis habet:
Semper in obtutu mentem vetat esse malorum,
Præsentis casus immemoremque facit.
Utque suum Bacchis non sentit saucia vulnus,
Dum stupet Edonis exululata jugis;
Sic, ubi mota calent viridi mea pectora thyrso,
Altior humano spiritus ille malo est:

29. *Vis me tenet ipsa sacrorum.*] *Sororum* sex veteres; quod placet: hoc est, Musarum; vide Met. iv. 470. ubi *sorores* pro Furiis ponuntur: nam ex contextu orationis satis agnosci potest ac deprehendi, de quibus sororibus agatur: duo codices *vis me tenet ipsa locorum.* Infra lib. iv. El. x. 39. *Aonias sorores;* et lib. v. El. xii. 45. *novem sorores* dixit. HEINS. *Vis me tenet ipsa.* Nequeo hæc studia deponere. PONT.

31. *Sic nova Dulichio.*] Homerus, lib. ix. Odyss. scribit, Ulyssem tempestate actum, in Africam ad Lotophagos accessisse, ejusque socios gustata loto, reditum in patriam oblitos fuisse: quos invitos et flentes coegit Ulysses navem conscendere. Fuere autem Lotophagi populi in Africa, a loto arbore adpellati, cujus fructus sunt magnitudine fabæ, colore croci, tam dulcis, ut advenis incutiant patriæ oblivionem: quod docet Plinius, lib. xiii. cap. 17; Silius, lib. iii. ver. 310. sq.

Spectari castris, quos succo nobilis arbor,
Et dulci pascit lotos nimis hospita bacca.

34. *Materiam culpæ suæ.*] Malim *curæ tuæ*, hoc est, flammæ, vel amoris. HEINS.

41. *Bacchis.*] Phœbas, vates Apollinis, quæ Baccho orgia celebrat, furore correpta, qualis mater Penthei, et similes describuntur lib. iii. Metam. *Saucia.* Deo plena. *Non sentit suum vulnus.* Non sentit suum furorem.

42. *Dum stupet Idæis exululata jugis.*] Prim. Politiani *Idonis.* Lege *Edonis.* Superiori versu pro *Bacche,* prim. Vatic. et codex Petri Servii *Bacchis.* Certe Βακχίδες Aristoteli in Problematis, et Plutarcho eædem, quæ aliis Βάκχαι. Hesychius Θυιάς βακχίς. οἱ δὲ Μαινάς. *Edonis jugis* amplector præ vulgata lectione *jugis Idæis:* sic *Edonus Boreas* Maroni, Æneid. lib. xii. 365; *Edonæ hyemes* apud Statium et Claudianum, et *Edoni venti* apud Valerium Flaccum; produxit quoque secundam syllabam Horatius, *non ego levius Bacchabor Edonis:* quare frustra sunt, qui *Edonius* pro *Edono* reponunt. In *Edonis* tamen ambigua est syllaba, quomodo et in *Sidonis.* HEINS. *Dum stupet.* Dum est adtonita. *Modis Idæis.* Vocibus, vel modis, quibus Bacchi sacerdotes utuntur in Ida monte Cretæ, matrem Deûm clamitantes.

43. *Sacro mea pectora thyrso.*] *Viridi thyrso* prim. Vatican. Rottendorph. alter Polit. et octo alii. HEINS. In sacris Bacchi, sacerdotes ejus gestabant thyrsos, hastas pampinis cir-

Aut sequitur captus, conjectaque vincula collo
  Accipit, aut telo virus habente cadit.
Hic ego sollicitæ jaceo novus incola sedis;
  Heu nimium fati tempora longa mei!
Et tamen, ad numeros antiquaque sacra reverti
  Sustinet in tantis hospita Musa malis:
Sed, neque cui recitem quisquam est mea carmina; nec qui
  Auribus accipiat verba Latina suis.
Ipse mihi, quid enim faciam? scriboque, legoque;
  Tutaque judicio litera nostra suo est.
Sæpe tamen dixi, cui nunc hæc cura laborat?
  An mea Sauromatæ scripta Getæque legent?
Sæpe etiam, lacrymæ me sunt scribente profusæ,
  Humidaque est fletu litera facta meo;
Corque vetusta meum, tanquam nova, vulnera sentit,
  Inque sinum mœstæ labitur imber aquæ.
Quum, vice mutata, quid sim fuerimque recordor,
  Et tulerit quo me casus, et unde, subit;
Sæpe manus demens, studiis irata malignis,
  Misit in arsuros carmina nostra focos.
Atque ita de multis, quoniam non multa supersunt,
  Cum venia facito, quisquis es, ista legas:

Ex opibus illis, quas procul raptas Scythæ
Usque a perustis Indiæ populis agunt;
vulgati *petunt*. HEINS.

85. *Sollicitæ.*] In Francofurt. erat, *Sarmaticæ jaceo novus incola gentis;* unus, *incola cædis*, corrupte. Francius conjiciebat *vetus incola sedis*, ut alibi *se non novum incolam* vocat initio Pontic. Sed plus temporis abierat, quum illa scriberet, et inde probatur legi debere *novus*, quia ibi dicit jam se non novum esse incolam, ut ante se vocaverat. BURM.

91. *Ipse mihi, quid enim*, &c.] Quod lego ac compono, meo judicio examinandum permitto. Careo enim amicis, quorum, quum Romæ essem, in meis carminibus corrigendis, judicio uti solitus sum. CIOF.

98. *Inque sinum mœstæ labitur imber aquæ.*] Δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι. An hoc etiam de oculorum sinu? Imber enim vehementer depluit.

Tu quoque non melius, quam sunt mea tempora, carmen,
Interdicta mihi, consule, Roma, boni.

ELEGIA II.

JAM fera Cæsaribus Germania, totus ut orbis,
Victa potes flexo succubuisse genu:
Altaque velentur fortasse Palatia sertis;
Turaque in igne sonent, inficiantque diem;
Candidaque, adducta collum percussa securi,
Victima purpureo sanguine tingat humum:

105. Roma, quæ mihi interdicta es, carmen meum, quod non melius est, quam tempora mea, n. miserrima, æqui bonique consules. HARLES.

1. De Tiberii expeditione intelligendum est, non Drusi. Nam hic aliquot annis ante in Germanis perierat quam poeta relegatus fuit. Tiberius autem proximo post cladem Varianam anno, ut Suetonius auctor est, contra Germanos profectus est, ubi biennium commoratus, ac prœliis aliquot factis, Romam rediit ad agendum triumphum, quem eodem anno, quo Varus occisus est, de Dalmatis et toto Illyrio meruerat: sed tum, ob cladem a Germanis acceptam mœsta urbe, distulerat; qui triumphus quarto a clade Variana anno actus est, ut ex eodem Suetonio adparet, quum totidem jam annos poeta in exsilio fuisset. Nam libr. de Ponto i. El. i. *Ut careo vobis,* inquit, *Scythicas detrusus in oras Quattuor auctumnos Pleias orta fuit.* Et mox triumphum eum, de quo modo diximus, describit. Hæc Micyllus, qui præter ea tres triumphos, quos Naso in his et in libris e Ponto scriptis memorat, copiose explicuit et ex historia antiqua docte illustravit. HARL.

2. *Procubuisse.*] Sic e quinque codd. eleganter apteque rescripsit Burm. reliqui habent *succubuisse*. Prior autem lectio respicit ad habitum, quo victi reges et gentes in nummis flexo genu procumbunt. Vide Oiselii Thesaur. Numism. tab. 24 et 25. ubi plures nummi in memoriam devictæ Germaniæ occurrunt. Inter alia tab. 24. nr. 10. est Germanus captivus utroque bracchio et cruribus nudus, cetera adstricta veste amictus, supplex cum scuto oblongo in manibus in dextrum genu procumbit ante imperatorem Domitianum laureatum. HARLES.

4. *Turaque in igne sonent.*] Tura etiam crementur in templis Deorum immortalium. *Inficiantque diem.* Diem fumo obscurum reddant, et offuscent.

5. *Adducta securi.*] Reducta, ut graviore incidat pondere; Virg. v. 478:

durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua cestus.

Donaque, amicorum templis promissa Deorum,
Reddere victores Cæsar uterque parent;
Et qui Cæsareo juvenes sub nomine crescunt,
Perpetuo terras ut domus ista regat:
Cumque bonis nuribus pro sospite Livia nato
Munera det meritis, sæpe datura, Deis:
Et pariter matres, et quæ sine crimine castos
Perpetua servant virginitate focos.
Plebs pia, cumque pia lætentur plebe senatus,
Parvaque cujus eram pars ego nuper, eques.
Nos procul expulsos communia gaudia fallunt,
Famaque tam longe non nisi parva venit.
Ergo omnis poterit populus spectare triumphos,
Cumque ducum titulis oppida capta leget;
Vinclaque captiva reges cervice gerentes,
Ante coronatos ire videbit equos;

7. *Donaque, amicorum.*] Dona, quæ imperatores templis Deorum sibi faventium; vel dona amicorum, quæ pro imperatoribus amici ipsorum Diis promiserant. PONT. Virgil. Æn. viii. 720. sqq.

Ipse sedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus: incedunt victæ longo ordine gentes.

8. *Uterque Cæsar.*] Augustus et Tiberius.

9. *Nomine.*] h. e. tutela, patrocinio, v. supra ii. 561. ibique Burmann. HARL.

11. *Cum bonis nuribus.*] Ego non Tiberii, aut Drusi uxores accipio, quum Tiberii quæ erat Julia videlicet, Augusti filia, jam relegata esset: sed Germanici et Drusi junioris, quorum alteri Agrippina, Juliæ et Agrippæ filia; alteri Germanici soror Livia, nupta erat, ut ex Taciti Ann. i. et ii. manifestum est. Dicuntur autem nurus non tantum a parentibus maritorum, sed et ab avis.

13. *Et pariter matres.*] Ob filios sospites. Malo, *Dent pariter*; quæ repetitio sensum erigit. *Et quæ sine.* Vestales.

15. *Plebs pia, cumque pia.*] Notanda est traductio similis illi Catullianæ, in Epithalam.

Bona cum bona
Nubit alite virgo:

atque familiaris est illa species τῆς παλιλογίας etiam Plauto. BERSM.

16. *Cujus ego nuper eram parva pars.*] Fuit enim Ovidius eques, et equestri ortus familia.

20. *Cumque ducum titulis.*] Captivi et loca imaginibus scriptisque in triumphum deferebantur. Propert. *et titulis oppida capta legam.* MEN.

22. *Ante coronatos.*] Triumphantis currum trahebant equi candidi quatuor: quì et ipsi lauro coronabantur.

Et cernet vultus aliis pro tempore versos,
  Terribiles aliis, immemoresque sui.
Quorum pars causas, et res, et nomina quæret:
  Pars referet, quamvis noverit ipsa parum:
Is, qui Sidonio fulget sublimis in ostro,
  Dux fuerat belli: proximus ille duci:
Hic, qui nunc in humo lumen miserabile figit,
  Non isto vultu, quum tulit arma, fuit:
Ille ferox, oculis et adhuc hostilibus ardens,
  Hortator pugnæ consiliumque fuit:
Perfidus hic nostros inclusit fraude locorum,
  Squallida promissis qui tegit ora comis:
Illo, qui sequitur, dicunt mactata ministro
  Sæpe recusanti corpora capta Deo:
Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes,
  Plena feræ cædis, plena cruoris erant:
Drusus in his quondam meruit cognomina terris,
  Quæ bona progenies digna parente fuit.

23. *Vultus versos.*] Vultus mutatos, nam qui primo fuerant feroces, tunc erant humiles et abjecti. *Pro tempore.* Habita temporis ratione, quod poscit, ut victi ferociam ponant. *Aliis pro tempore versos.* Hoc est mutatos, et dejectos. Malim tamen *mœstos*. Heins.

24. *Terribiles aliis.*] Cernet, inquit, populus alios captivos truci vultu, tanquam si essent victores, quod his solet evenire, qui sui sunt immemores.

27. *Hic, qui Sidonio.*] Μίμησις est narrantium, et digito commonstrantium: Hic fuerat hostium summus imperator. Pont.

33. *Fraude locorum.*] Germanum transfugam denotat, qui in hostium insidias præcipitavit Romanos, aut in loca duxit iniqua.

35. *Illo ministro.*] Ministrum sacrorum intelligit, ex Druidibus aliquem. Scribit enim Cæsar, libro Comment. vi. nationem omnium Gallorum esse admodum deditam religionibus: atque ob eam causam qui sunt adfecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculisque versantur, pro victimis homines immolare, aut se immolaturos vovere, administrisque ad ea sacrificia Druidibus uti: qui pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse numen Deorum immortalium placari arbitrabantur, publiceque ejusdem generis instituta habent sacrificia. Mer. *Illo, qui sequitur.* Videtur hoc loco poeta ad ea alludere, quæ apud Tacitum referuntur, libro primo, de ingressu Germanici in saltum Teutoburgiensem, et de facie locorum, circa quæ Varus cum legionibus suis occisus fuerat. Micyl.

Cornibus hic fractis, viridi male tectus ab ulva,
  Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit:
Crinibus en etiam fertur Germania passis,
  Et ducis invicti sub pede mœsta sedet;
Collaque Romanæ præbens animosà securi,
  Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.
Hos super in curru, Cæsar, victore veheris
  Purpureus populi rite per ora tui;
Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum,
  Undique jactato flore tegente vias.
Tempora Phœbea lauro cingeris; ioque,
  Miles, io, magna voce, triumphe, canet.
Ipse sono, plausuque simul, fremituque canentûm,
  Quadrijugos cernes sæpe resistere equos.
Inde petes arcem, delubra faventia votis;
  Et dabitur merito laurea vota Jovi.

41. *Cornibus hic fractis.*] *Infractis* duo veteres. Claudianus de Rheno:

Cornibus infractis adeo mitescere cogit:

infracti adverso Marte Latini, apud Virg. Æn. xii. 1. et *erit* pro *erat* prim. Polit. ac duo alii. Heins. *Male tectus ab ulva.* Non coronatum ulva intelligit poeta, sed delitescentem, quasi præ formidine, eo quod jam victus et ab hoste jam captus esset.

48. *Purpureus populi rite.*] In veste purpurea, quam aureis intextam sideribus triumphantes gestabant. Mer.

50. *Undique jactato flore.*] Item populus Rom. floribus adspergere, coronas et lemniscos projicere solebat in eos, quos cohonestare volebat. Pont.

Festus Pompeius: *Laureati, inquit, milites, subsequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati a cæde humana intrarent urbem. Itaque eamdem laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat; vel quod medicamento siccissima sit.* De jure triumphi docte pleneque agit Perizon. in animadvers. historicis cap. vi. p. 227. sqq. Harles.

52. *Ioque, Miles, io, magna voce, triumphe, canet.*] Io vox est clamantis, qua triumphantem imperatorem exercitus sequens utebatur; vide Horat. iv. Od. ii. 49:

Tuque dum procedis, Io, triumphe,
Non semel dicemus, Io, triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis
Tura benignis.

53. *Ipse sono, plausuque.*] Nam citharœdorum ac tibiarum turba, ad Hetruscæ similitudinem pompæ, imperatorem præcedebant. Hi succincti, coronisque aureis redimiti, suo quisque ordine psallentes canentesque prodibant. Heins.

55. *Arcem.*] Capitolium. *Et delubra faventia votis.* Templum Jovis Capitolini, qui favit votis imperatoris ad bellum exeuntis, et populi Romani. Mer.

56. *Vota.*] Alii codd. *serta*, quod

Hæc ego submotus, qua possum, mente videbo:
 Erepti nobis jus habet illa loci.
Illa per immensas spatiatur libera terras;
 In cœlum celeri pervenit illa fuga:
Illa meos oculos mediam deducit in urbem,
 Immunes tanti nec sinit esse boni;
Invenietque viam, qua currus spectet eburnos:
 Sic certe in patria per breve tempus ero.
Vera tamen populus capiet spectacula felix,
 Lætaque erit præsens cum duce turba suo:
At mihi fingenti tantum, longeque remoto,
 Auribus hic fructus percipiendus erit;
Atque procul Latio diversum missus in orbem
 Qui narrat cupido, vix erit, ista mihi:
Is quoque jam serum referet veteremque trium-
 Quo tamen audiero tempore, lætus ero. [phum;
Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam,
 Causaque privata publica major erit.

voc. multis Heinsius illustrat exemplis, alii *vitta*, *multa*, *mota*, *victa*, *juncta*, *nota*, quo ultimo vocabulo Augusto adulatus fuisset, qui sæpe Jovi dederat laurum. Harles. *Laurea vota.* In capitolium quum esset ventum, imperator victor Diis gratias conceptis verbis agebat. Tum victimæ cædebantur, et corona aurea, cum pretiosis manubiis et spoliis opimis, Jovi sacrabatur, et in gremio ejus deponebatur, vel templis dicabatur. Pont.

60. *Fuga.*] Quoniam *invenietque viam* (ubi tamen quidam libri *inv. animus* habent, et Heinsius *invenietque aditum* scribere jubet) mox sequitur, Burm. cum cod. Leidensi et multis editionibus antiquioribus rescripsit *fuga:* quod vocab. pro celeri itinere passim ponitur. Ille laudat Gronov. ad Senec. Thyest. 629. Herc. Œt. 140. Serv. ad Virg. i. Georg. 286. Harles.

69. *In orbem diversum.*] In Scythiam procul positam ab Italia, quasi ea sit alter orbis.

73. *Illa dies veniet.*] Scribe *veniat:* est enim optantis. Heins.

ELEGIA III.

MAGNA minorque feræ, quarum regis altera Graias,
  Altera Sidonias, utraque sicca, rates;
Omnia quum summo positæ videatis in axe,
  Et maris occiduas non subeatis aquas;
Ætheriamque suis cingens amplexibus arcem,
  Vester ab intacta circulus exstet humo;
Adspicite illa, precor, quæ non bene mœnia quondam
  Dicitur Iliades transiluisse Remus:
Inque meam nitidos dominam convertite vultus,
  Sitque memor nostri necne, referte mihi.
Heu mihi! cur, nimium quæ sunt manifesta, requiro?
  Cur labat ambiguo spes mihi mista metu?
Crede quod est, quod vis, ac desine tuta vereri;
  Deque fide certa sit tibi certa fides:
Quodque polo fixæ nequeunt tibi dicere flammæ,
  Non mentitura tu tibi voce refer:
Esse tui memorem, de qua tibi maxima cura est;
  Quodque potest, secum nomen habere tuum.

1. *Magna minorque.*] Ursa minor *Cynosura* dicitur; major, *Helice*. A Phœnicibus potissimum Cynosurâ inter navigandum observabatur: Sidon quippe in Phœnicia: major autem a Græcis. PONT. *Utraque sicca.* Neutra occumbit, nec in Oceanum descendit. MER.

vv. 4, 5. Verpoortenius jam bene sic interpretatus est: *Quum circulus vester*, quem motu diurno describitis, *exstet*, emineat, elevatus sit *supra terram, nec eam tangat*, quippe qui *amplexibus suis*, i. e. ambitu, orbe suo, tantum cœli summam partem, polo vicinam *tangit*, sive includit. HARLES.

5. *Ætheriamque arcem.*] Polum arcticum: qui circulus est brevissimus, ab Ursis nominatus, quæ sunt astra vicina polo septemtrionali, atque ideo nequeunt occidendo terram contingere. PONT.

8. *Iliades.*] Iliæ filius. HEINS.

9. *In meam dominam.*] In meam uxorem. *Nitidos vultus.* Propter stellarum nitorem, quo nihil nitidius.

12. *Mixta.*] Non video, cur Heinsius *victa metu* malit: nam ne ullam quidem metus scintillam quasi videre voluit poeta. HARLES.

17. Amplector cum Burmanno Puteani lectionem *de quo*: maxima scilicet cura est, an tui sit memor. HARLES.

Vultibus illa tuis, tanquam præsentis, inhæret,
Teque remota procul, si modo vivit, amat.
Ecquid, ut incubuit justo mens ægra dolori,
Lenis ab admonito pectore somnus abit?
Tunc subeunt curæ, dum te lectusque locusque
Tangit, et oblitam non sinit esse mei?
Et veniunt æstus, et nox immensa videtur?
Fessaque jactati corporis ossa dolent?
Non equidem dubito, quin hæc et cætera fiant,
Detque tuus casti signa doloris amor;
Nec cruciere minus, quam quum Thebana cruentum
Hectora Thessalico vidit ab axe rapi.
Quid tamen ipse precer, dubito; nec dicere possum,
Adfectum quem te mentis habere velim.
Tristis es? indignor, quod sum tibi causa doloris:
Non es? ut amisso conjuge digna fores.
Tu vero tua damna dole, mitissima conjux,
Tempus et a nostris exige triste malis;
Fleque meos casus: est quædam flere voluptas;
Expletur lacrymis egeriturque dolor.
Atque utinam lugenda tibi non vita, sed esset
Mors mea; morte fores sola relicta mea!
Spiritus hic per te patrias exîsset in auras;
Sparsissent lacrymæ pectora nostra piæ!

25. *Núm veniunt questus.*] Scribere jubet Heins. quoniam de æstu animi jam egerit et *questus* fuerat in cod. Barberin. Nondum plane adsentior: curæ enim et æstus h. l. differunt et vi et gradu. HARLES.

29. *Thebana.*] Andromache, filia Eetionis, Thebarum in Cilicia regis.

30. *Ab axe Thessalico.*] A curru Achillis Thessali. MER.

34. *Non es? ut amisso conjuge digna fores.*] *Fleas* priscæ editiones et quidam scripti; unus *feres.* Carmen mendosum. Illa autem *Tristis es* et *Non es* per interrogationem lege: si quid video, et hoc et superius distichon hic denuo inculcata sunt ab aliena manu. HEINS.

41. *Per te.*] Bene sic scripsit poeta. Cognati enim præsentes moribundi spiritum ore excipiebant, osculisque animam moribundi quasi sugebant. v.

Supremoque die notum spectantia cœlum
Texissent digiti lumina nostra tui!
Et cinis in tumulo positus jacuisset avito,
Tactaque nascenti corpus haberet humus!
Denique et, ut vixi, sine crimine mortuus essem!
Nunc mea supplicio vita pudenda suo est.
Me miserum, si tu, quum diceris exsulis uxor,
Avertis vultus, et subit ora rubor!
Me miserum, si turpe putas mihi nupta videri;
Me miserum, si te jam pudet esse meam!
Tempus ubi est illud, quo me jactare solebas
Conjuge, nec nomen dissimulare viri?
Tempus ubi est, quo te, nisi si fugis illa referre,
Et dici memini, juvit et esse meam?
Utque probæ dignum est, omni tibi dote place- [bam:
Addebat veris multa faventis amor.

Bion. Idyll. i. 48. ibique Heskin et Schwebel. Burmannum ii. ad Anthol. Vet. Lat. iii. Ep. 219. v. 15. Ex hoc humanitatis ultimæ apud veteres officio facile possumus cognoscere, neque correctionem Heinsianam *prope te*, nec Burmanniam *certe* esse admittendam. Confer supra iii. 3. 40. sqq. ibique adnotata. Harles.

46. *Tactaque nascenti.*] Solebant infantes, simul ac editi essent, humi deponere, et Opem Deam invocare, quæ nascentibus opem ferret. Quos autem alere decreverant, eos humo tollebant, cui rei Deam Levanam præficiebant: quæ scil. pueris de terra levandis præesset. Pont.

55. *Tempus ubi est, quo te, nisi non vis illa referri.*] Primus Vaticanus:

Tempus ubi est illud, quo non fugis illa referre;

primus Politiani et primus Palatinus:

Tempus ubi est illud, quo, ni fugis illa referre;

optimus Mediceus:

Tempus ubi est, quo te, nisi non fugis illa referre.

alii aliter, sed longius a vestigiis veræ scripturæ, quam ecce:

Tempus ubi est, quo te (nisi si fugis illa referre)
Et dici memini, juvit et esse meam?

τὸ *nisi si* passim corruptum est apud Ovid. *Referre* pro meminisse, recordari. *Fugis referre*, pro metuis. Heins.

57. *Utque proba dignum est.*] *Probæ* plurimi ex castigatioribus; optime: regit enim ea vox non secundum minus, quam sextum casum. Adeatur exactissimus Vossius opere grammatico, lib. i. de Constructione, c. xi. vide et Nonium in ea voce; Virg. Æn. xii. 649.

58. *Addebat veris.*] Et vera de me prædicabas; et falsa etiam non pauca veris adjungebas, quo te beatiorem faceres. Pont.

Nec quem præferres, ita res tibi magna videbar,
Quemve tuum malles esse, vir alter erat.
Nunc quoque ne pudeat, quod sis mihi nupta: tuusque
Non dolor hinc debet, debet abesse pudor.
Quum cecidit Capaneus subito temerarius ictu,
Num legis Evadnen erubuisse viro?
Nec, quia rex mundi compescuit ignibus ignes,
Ipse tuis, Phaethon, inficiandus eras:
Nec Semele Cadmo facta est aliena parenti,
Quod precibus periit ambitiosa suis:
Nec tibi, quod sævis ego sum Jovis ignibus ictus,
Purpureus molli fiat in ore rubor:
Sed magis in nostri curam consurge tuendi,
Exemplumque mihi conjugis esto bonæ;
Materiamque tuis tristem virtutibus imple:
Ardua per præceps gloria vadat iter.
Hectora quis nosset, si felix Troja fuisset?
Publica virtuti per mala facta via est.
Ars tua, Tiphy, jacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet.
Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Adparet virtus arguiturque malis.
Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputque
Conspicuum pietas qua tua tollat habet.

63. *Quum cecidit Capaneus.*] Capaneus fuit unus ex septem regibus qui Thebas obsederunt, superbus et Deorum contemtor: qui provocans scilicet Jovem ipsum, eoque invito capturum Thebas se minitans, in obpugnatione Thebani muri a Jove ictus cecidit.

64. *Non legis.*] *Num* pr. Vatic. Rottendorphian. et duo alii; bene. Heins. *Evadnen.* Capanei uxorem. *Erubuisse viro.* Pro, propter virum, aut viri casum. Quasi dicat, maritum etiam in adversis amavit Evadne, quod in ejus rogum ardentem se nimio amore præcipitavit.

66. *Ipse suis Phaethon infitiandus erat.*] *Tuis eras* Junianus; magis poetice. Heins.

81. *Dat tibi —— locum tituli for-*

Utere temporibus, quorum nunc munere freta es :
En! patet in laudes area lata tuas.

ELEGIA IV.

O QUI, nominibus quum sis generosus avitis,
Exsuperas morum nobilitate genus;
Cujus inest animo patrii candoris imago,
Non careat nervis candor ut iste suis;
Cujus in ingenio patriæ facundia linguæ est,
Qua prior in Latio non fuit ulla foro;
Quod minime volui, positis pro nomine signis
Dictus es; ignoscas laudibus ista tuis.

tuae.] Malim *titulis*. HEINS. *Tituli*. Laudis. *Caputque Conspicuum*. Et tua pietas habet quo tollat caput conspicuum.

88. *Quorum nunc munere freta es.*] In MSS. Richel. erat, *quorum tibi copia nunc est*; sed neque hoc sensum aptum facit: in quatuor aliis, *quorum tu munere freta es*; in Lovan. *quorum sic*; in optim. Codd. Junian. et Leid. *Quorum non munere freta es*; ex quorum vestigiis rectius legi posset:

Utere temporibus, quorum non munere spreto,
En patet in laudes area lata tuas!

Utere infelicibus mariti tui temporibus, quorum munus, id est, occasionem si non spernas, ingens tibi in laudes area patebit, et ita erit, ut alibi dicit, aliquis usus in ipsis malis. *Munera* vero et *dona* temporis, obvia et elegans locutio: ita Quintil. x. 6. *Refutare temporis munera longe stultissimum*; quod idem est ac *spernere*. BURM.

E vestigiis codicum Juniani et Leidensis, *quorum non munere freta es*, rectius legi posse autumat Burm. *quorum non munere spreto, En*—. Sens. utere infelicibus mariti tui temporibus, quorum munus, id est occasionem, si non spernas, ingens tibi in laudes area patebit, et ita erit, ut alibi dicit, aliquis usus in ipsis malis. HARLES.

4. *Nervis.*] Equidem vehementer dubito, num candori recte tribuantur *nervi*: certe durius dictum videretur. Quare cum Burmanno meliorem esse puto lectionem codd. Juniani, Bernensis et sexdecim aliorum, *non careat numeris*, h. e. ut sit perfectus ille candor. Librarii vero *nervos* et *numeros* sæpe confuderant. HARLES.

6. *In Latio foro.*] In Romano foro. Messalinum autem hic poetam arbitror designari.

7. *Quod minime volui.*] Maluissem te vero nomine adpellare: nunc ab adjunctis et signis te significare cogor. PORT.

8. *Ignoscas laudibus ipse tuis.*] *Ista*

Nil ego peccavi; tua te bona cognita produnt:
Si, quod es, adpares, culpa soluta mea est.
Nec tamen, officium nostro tibi carmine factum,
Principe tam justo, posse nocere puta.
Ipse pater patriæ, quid enim civilius illo?
Sustinet in nostro carmine sæpe legi:
Nec prohibere potest, quia res est publica, Cæsar;
Et de communi pars quoque nostra bono est.
Juppiter ingeniis præbet sua numina vatum,
Seque celebrari quolibet ore sinit:
Causa tua exemplo Superorum tuta duorum est;
Quorum hic conspicitur, creditur ille Deus.
Ut non debuerim, tamen hoc ego crimen amabo:
Non fuit arbitrii litera nostra tui.
Nec nova, quod tecum loquor, est injuria; nostro
Incolumis cum quo sæpe locutus eram.

tuis alter Polit. Apud Paterculum: *Familiare est hominibus omnia sibi ignoscere.* Heins. *Ignoscas tuis laudibus.* Quasi dicat, laudibus tuis adscribas, si cognosceris signis supra dictis.

13. *Quid enim civilius illo?*] Ita meliores; tres tamen *communius*, quod ex Pirckheimeriano, sive Arondeliano, doctissimus probat Gronov. Observat. lib. ii. cap. 12. qui videndus: sic apud Ciceronem, Catone Majore, in veterrimo codice meo: "*Ceteris in rebus communem erga Lysandrum et familiarem fuisse;* non *comem*, quod est in vulgatis; sed quia *de communi bono* mox sequitur, minus placet. Lib. iii. El. viii. 41:

At quoniam semel est odio civiliter usus. Heins.

Ipse pater patriæ. Scribit L. Florus, Augustum ob ingentia facta *Dictatorem perpetuum* adpellatum fuisse, et *patrem patriæ:* tractatumque etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur: sed sanctius et reverentius visum fuisse nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum terras coleret, ipso nomine et titulo consecraretur.

21. *Tamen hoc ego crimen habebo.*] Quasi dicat: Augustus hoc crimen meum esse dicet, non tuum: ideo non est verendum, ut hanc ob causam ille prosequatur te odio.

23. *Est injuria nostra.*] *Nostri* duo veteres. Forte *nostro*, tecum, qui noster es. Sed numeri in hoc versu duriores. Nec multum hæc ad rem faciunt: quare tollantur, licet. Heins. Nihil duri hic video; et si bene distinguas, sensus erit planissimus:

Nec nova, quod tecum loquor, est injuria; nostro
Incolumis cum quo sæpe locutus eram;

non est nova nunc injuria quod te adpellem, qui sæpe incolumis tecum, noster quum esses, locutus eram. *Noster* est nobis favens, ut *Dei nostri, mei,*

Quo vereare minus, ne sim tibi crimen amicus;
Invidiam, si qua est, auctor habere potest.
Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis,
Hoc noli certe dissimulare, pater:
Ingeniumque meum, potes hæc meminisse, probabat,
Plus etiam, quam me judice dignus eram;
Deque meis illo referebat versibus ore,
In quo pars altæ nobilitatis erat.
Non igitur tibi nunc, quod me domus ista recepit,
Sed prius auctori sunt data verba tuo.
Nec data sunt, mihi crede, tamen: sed in omnibus actis,
Ultima si demas, vita tuenda mea est.
Hanc quoque, qua perii, culpam scelus esse negabis,
Si tanti series sit tibi nota mali.
Aut timor, aut error nobis, prius obfuit error:
Ah, sine me fati non meminisse mei!

tui, &c. passim in Ovidio dicuntur. *O noster Chremes*, Terent. Andr. v. ii. 5; et sæpius alibi. Burm.

26. *Auctor potest habere invidiam.*] Ego Ovidius possum dici fuisse criminis causa.

30. *Me judice.*] Me etiam judicante ingenium meum non esse tantum, quantum illi adparebat. Mer.

31. *Illo ore.*] Illa gravitate orationis suæ, qua nobilitabatur, de versibus meis pronuntiabat judicium suum. Pont.

32. *Pars magnæ nobilitatis.*] Partem magnæ nobilitatis intelligit eloquentiam, quæ inter cæteras Messalini nobilitates erat magna pars.

34. *Sunt data verba.*] Dedit verba, non rem, quemadmodum pater tuus existimabat; credebat enim me ingenio ad summum dignitatis gradum perventurum, quum in præsentia ejectus sim in exsilium præter ejus opinionem. Est autem *dare verba*, ut Donatus scribit, decipere eum, qui, quum rem exspectet, nihil invenit præter verba. *Auctori tuo.* Patri tuo, qui tibi auctor fuit hujus amicitiæ, probando ingenium meum, et loquendo honorifice de meis studiis. Burm.

35. *Nec tamen sunt data.*] Quamvis dixerim me patri tuo verba dedisse, ne credas tamen me dixisse quod eum deceperim, quod exsilii nota adfectus fui: quod videtur esse alienum ab eo quod ille de me senserat. *Sed in omnibus actis, Ultima si demas.* Sed vitam meam probabis, et intelliges me non dedisse verba, si totius vitæ meæ cursum, potius quam finem, inspexeris.

39. *Timor.*] Quum per errorem viderit, ita fuit attonitus, ut non potuerit se expedire, vel ausus fuerit erro-

Neve retractando nondum coeuntia rumpam
Vulnera; vix illis proderit ipsa quies.
Ergo, ut jure damus pœnas, sic abfuit omne
Peccato facinus consiliumque meo.
Idque Deus sentit, pro quo nec lumen ademtum est,
Nec mihi detractas possidet alter opes.
Forsitan hanc ipsam, vivat modo, finiet olim,
Tempore quum fuerit lenior ira, fugam.
Nunc precor hinc alio jubeat discedere, si non
Nostra verecundo vota pudore carent.
Mitius exsilium, pauloque propinquius, opto,
Quique sit a sævo longius hoste, locum.
Quantaque in Augusto clementia, si quis ab illo
Hoc peteret pro me, forsitan ille daret.
Frigida me cohibent Euxini litora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.
Nam neque jactantur moderatis æquora ventis;
Nec placidos portus hospita navis adit.
Sunt circa gentes, quæ prædam sanguine quærant:
Nec minus infida terra timetur aqua.

rem illum excusare, seque probare innocentem v. ii. e Ponto ii. 17. Quia vero poeta ubique fere crimen suum vocat *culpam*, *errorem*, *stultitiam*; cum Puteano codice Burmann. legendum putat *liber* h. e. carmen, ars amatoria, ut supra ii. 207. scripserat. Harles.

41. *Cœuntia rumpe Vulnera.*] *Rumpam* Vaticanus optimus, optimus Mediceus, et tres alii; sequor: ipse enim rumpit vulnera retractando, quorum mentionem injicit. Heins.

45. *Idque Deus sentit.*] Me scilicet culpa carere. Deum autem, Augustum intelligit. *Lumen.* Vita. *Opes detractas mihi.* Opes mihi ademtas: ut exsulibus fieri solet.

53. *Tantaque in Augusto est clementia.*] De Augusti clementia legito Tranquillum.

56. *Axenus.*] Ἄξενος, inhospitalis, quod olim Ponti accolæ prædones erant, et hospites eo venientes mactare solebant. v. Eustath. ad Dionysii Περιήγησιν v. 145. ubi de Ponto ejusque finibus et incolis multus est. Hercules aut, ut alii ferunt Iones postea Euxinum nominasse dicuntur. Salmas. in Exercitt. Plinian. p. 203. Scholiastis ad Apollonium verba laudat; πρότερον ὑπὸ λῃστῶν περιοικούμενος Ἄξεινος ἐκαλεῖτο. Vide supra iii. ii. 7. El. xii. 32. 38. Harles.

Illi, quos audis hominum gaudere cruore,
  Pæne sub ejusdem sideris axe jacent.
Nec procul a nobis locus est, ubi Taurica dira
  Cæde pharetratæ pascitur ara Deæ.
Hæc prius, ut memorant, non invidiosa nefandis,
  Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
Hic pro subposita virgo Pelopeia cerva
  Sacra Deæ coluit qualiacumque suæ.
Quo postquam, dubium pius an sceleratus, Orestes
  Exactus furiis venerat ipse suis,
Et comes exemplum veri Phocæus amoris,
  Qui duo corporibus, mentibus unus erant;
Protinus evincti Triviæ ducuntur ad aram,
  Quæ stabat geminas ante cruenta fores:
Nec tamen hunc sua mors, nec mors sua terruit
  Alter ob alterius funera mœstus erat: [illum;
Et jam constiterat stricto mucrone sacerdos,
  Cinxerat et Graias barbara vitta comas;

63. *Ubi Taurica.*] Ubi regio illa crudelis, de qua Herodotus libro quarto; et lib. iii. de Ponto El. ii. 80.

64. *Cæde.*] Morte hospitum. *Deæ pharetratæ pascitur.* Deæ Dianæ, quæ tanquam venationis Dea sagittis utitur. Hæc retia ad venandum invenit, ex quo et Dictynna est cognominata. Colebatur autem circa Ephesum, Pontum, Persidem, et Cretam: unde Ephesia, Ctesia, Tauropolia, ac Persea.

67. *Hic.*] In Taurica regione. *Virgo Pelopeia.* Iphigenia, filia Agamemnonis, ex Pelopis genere. *Pro subposita cerva.* Pro cerva, quam loco Iphigeniæ subjecit Diana, ut docet Servius in enarratione ejus versus,

Sanguine placastis ventos, et virgine cæsa.

69. *Pius an sceleratus.*] Unde quum Areopagitarum judicium subiisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam Deæ sapientissimæ sententia absolutus fuit, ut docet Cicero in oratione pro Milone.

71. *Phocæus.*] Pylades, ex Phocide regione, filius Strophii: fidissimus ejus et individuus comes.

72. *Φιλία ἐστὶ μία ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν* Græci dicere solebant, et illud Horatii i. Od. 3. ubi vide Lambin. *dimidium animæ meæ*, est notissimum. Harles.

73. *Triviæ.*] h. e. Dianæ, vel quod in Triviis ponebatur apud Græcos, vel propter triplicem vim et potestatem, quippe quæ eadem Lucina s. Luna, Diana et Proserpina habebatur, ut ex Mythologia constat. Harles.

78. *Barbara vitta.*] Vitta qua vinciebantur eorum capita, qui Deo alicui immolabantur. Virgilius, Æn. ii. 133. *et circum tempora vittæ.*

Quum vice sermonis fratrem cognovit, et illi
Pro nece complexus Iphigenia dedit:
Læta Deæ signum, crudelia sacra perosæ,
Transtulit ex illis in meliora locis.
Hæc igitur regio, magni pars ultima mundi,
Quam fugere homines Dîque, propinqua mihi est;
Atque meam terram prope sunt funebria sacra,
Si modo Nasoni barbara terra sua est.
O utinam venti, quibus est ablatus Orestes,
Placato referant et mea vela Deo!

81. *Signum Deæ.*] Dianæ simulacrum. Mer. *Crudelia sacra perosæ.* Non postulabat Diana sibi hujuscemodi hostiis sacrificari; sed ea erat Thoantis immanitas, ut illi hospites mactandos censeret. Pont. *Læta Deæ signum Transtulit.* Eurip. fab. 10; quem locum, ut potuimus, ita tamen ut intelligi possit, sic reddimus: *Thoanta captum callida prendunt via. Sacris refixum postibus læti efferunt Penetrale signum.*

82. *Meliora.*] Ariciam in Latium vult Servius ad Virg. Æn. ii. 116. Ad insulam Zminthum Iphigenia cum Oreste et Pylade delata est vento secundo secundum Hygin. fab. 120. Halas in Attica simulacrum ferre jubet Minerva apud Euripid. Iphigen. in Taur. v. 1450. ubi vide Barnes. et Callim. H. in Dian. v. 173. ibique Spanh. Pausan. iii. c. 16. p. 248. prodit signum illud Limnæi, qui vicus est in Laconia, adservatum fuisse. Harles.

83. Heinsius rescripserat e codd. Barberin. et Gottorphiano: *magni penetralia mundi,* quasi Naso abstrusam et interiorem orbis partem adpellasset. Sed, ut Burmann. observarat, hæc correctio nec Franciο placuit, quia tunc perit oppositio τοῦ *propinqua,* nec auctori Electorum Etonensium, quia *penetralia* non recte conveniunt poetæ hæc loca vituperanti. Edit. vetus, *regio magni pene ultima mundi.* Bernens. cod. *hæc igitur magni pœne pars ultima mundi.* Vid. Trist. i. 1. 127. Harles.

85. *Atque meam terram.*] Distichon etiam hoc Ovidianæ venæ vix est ut censeatur. Heins. *Prope meam terram.* Prope Tomitanam urbem.

88. *Placato Deo.*] Placato Augusto, et reconciliato. Eleganter monet Verpoorten, Nasonem ante oculos habuisse et fuisse imitatum illa Euripidis in Iphig. in Tauris v. 1487. sqq. ubi Minerva dicit.

Ἴτ' ὦ πνοαὶ, ναυσθλοῦσθε τὸν Ἀγαμέμνονος
Παῖδ' εις Ἀθήνας· συμπορεύσομαι δ' ἐγὼ,
Σάζουσ' ἀδελφῆς τῆς ἐμῆς σέμνον βρέτας.
Ἴτ' ἐπ' εὐτυχίᾳ τῆς σωζομένης
Μοίρας εὐδαίμονες ὄντες.

Harles.

ELEGIA V.

O MIHI dilectos inter sors prima sodales,
  Unica fortunis ara reperta meis;
Cujus ab adloquiis anima hæc moribunda revixit,
  Ut vigil infusa Pallade flamma solet;
Qui veritus non es portus aperire fideles,
  Fulmine percussæ confugiumque rati;
Cujus eram censu non me sensurus egentem,
  Si Cæsar patrias eripuisset opes:
Temporis oblitum dum me rapit impetus hujus,
  Excidit heu nomen quam mihi pæne tuum!
Te tamen agnoscis, tactusque cupidine laudis,
  Ille ego sum, cuperes dicere posse palam.
Certe ego, si sineres, titulum tibi reddere vellem,
  Et raram famæ conciliare fidem:
Ne noceam grato vereor tibi carmine, neve
  Intempestivi nominis obstet honos.
Quod licet et tutum est, intra tua pectora gaude,
  Meque tui memorem, teque fuisse mei.
Utque facis, remis ad opem luctare ferendam,
  Dum veniat placido mollior aura Deo;

1. *Sors.*] Sic in Fastis vi. 30. *matris sors ego prima fui.* HARLES. *Pars prima.* Princeps, inter amicos meos ὁ προτεύων.

3. *Adloquiis.*] *Eloquiis* Regius, Putean. et tres alii; male: *adloquia* sunt solamina, miseris data.

4. *Infusa Pallade.*] Oleo infuso: alii *lampade*; unus *infulsa.*

5. *Portus fideles.*] Amicitiæ munera et confugium. MER. Vel, non dubitasti me tueri tuo patrocinio.

9. *Hujus temporis.*] Hujus mei infortunii; vel, vis adversæ fortunæ.

14. *Conciliare famæ.*] Immortalitati consecrare.

19. *Remis luctare.*] Omnem adhibe conatum. Parœmiæ nos admonet, *remis velisque contendere.* PONT. *Remis luctare.* Quod fit adverso flumine.

20. *Aura.*] Quatuor *hora*; octo *ira.* Atque Heinsius legendum putat *placido mollior* ira *deo*, aut *mollior aura mari* vel *salo:* ut persistat in figura inceptæ orationis. At enim Verpoorten. jam viderat, τὸ *aura* opponi *remis*,

Et tutare caput nulli servabile, si non
Qui mersit Stygia, sublevet illud, aqua.
Teque, quod est rarum, præsta constanter ad omne
Indeclinatæ munus amicitiæ.
Sic tua processus habeat fortuna perennes;
Sic ope non egeas ipse, juvèsque tuos:
Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni,
Incidat et vestro rara querela toro:
Diligat et semper socius te sanguinis illo,
Quo pius adfectu Castora frater amat:
Sic juvenis, similisque tibi sit natus, et illum
Moribus agnoscat quilibet esse tuum:
Sic socerum faciat tæda te nata jugali,
Nec tardum juveni det tibi nomen avi.

tamquam alteram navigandi rationem, servata allegoria. Idem monuit Burm. et præter ea observavit, poetam respicere ad notissimum loquendi genus, *remis et ventis* navigare. Quæ aura a deo placido, non procellas in caput ejus ferente, venire debet. Harles.

24. *Amicitiæ indeclinatæ.*] Amicitiæ non imminutæ, sed firmæ.

27. *Bonitate.*] Bonum est h. l. vocabulum, quod, ut ἀγαθὸς Græcorum, omnes fere virtutes comprehendit. v. Cicer. iv. Tuscul. 10. et hoc loco innuit amorem: nec video cur *perenni* displiceat Heinsio, emendaturo: *Sic æquet tua nupta suum probitate parentem*, aut *virum probitate patremque*. Sed *probitas* de feminarum pudicitia fere dicitur. v. Burm. Harles.

29. *Socius sanguinis.*] Frater tuus.

30. *Frater.*] Pollux. Et quum Jupiter cœlum Polluci daturus esset, ejus precibus factum est, ut sex mensibus Castor in cœlo esset, totidem Pollux, dicente Ovidio:

Jamque tibi, Pollux, cœlum sublime patebat,
Quum mea, dixisti, percipe verba pater:
Quod mihi das uni, cœlum partire duobus, &c.

Quod ideo fingitur, quia eorum stellæ ita se habent, ut occidente una, oriatur altera; vel quia alternis diebus lucent. Hyginus scribit, Castorem et Pollucem omnium fratrum inter se amantissimos fuisse; quod neque de principatu contenderunt, neque ullam rem sine communi consilio gesserunt: pro quibus officiis eos Jupiter inter notissima sidera constituit.

ELEGIA VI.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet et incurvo colla premenda jugo:
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos:
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet:
Quæque sui monitis obtemperat Inda magistri
Bellua, servitium tempore victa subit:
Tempus, ut extentis tumeat facit uva racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent:
Tempus et in canas semen producit aristas,
Et ne sint tristi poma sapore facit:
Hoc tenuat dentem terras renovantis aratri,
Hoc rigidas silices, hoc adamanta terit:

1. *Tempore ruricolæ.*] Hæc quæ sequuntur, apud alios, a superioribus separata leguntur: ut ab hoc loco nova, et quæ ordine sexta sit, Elegia incipiat. Nec male omnino, ut mea fert sententia; nam et sententia alia a superiore est: et quum hæc querelam miseriæ suæ continuat, illa autem impetitionem; hæc promiscue ad omnes amicos, sive lectores, illa ad solum eum cujus nomen ex circumstantiis describit, pertinere videtur. Micyl.

3. *Lentis.*] Flexibilibus.

4. *Duros lupos.*] Dura fræna. *Lupata* autem intelligit. Est enim *lupatum*, frænum asperum, quo equi ferociores coercentur: sic dictum, auctore Servio, a lupinis dentibus, qui inæquales sunt.

7. *Inda bellua.*] Elephantes, quia paulatim magistris parere consueverunt: nam regem adorabant, genua submittebant, coronas porrigebant, funibus subibant. Mer. Elephas præcipue dicitur *bellua*, ut Livius 37. 42. *Ne interpositi quidem elephanti militem Rom. deterrebant, adsuetum—vitare impetum belluæ.* Adde Plinium viii. 1. qui etiam ibid. c. 16. prodidit memoriæ, Hannonem e clarissimis Pœnorum primum leonem tractare ausum esse et ostendere mansuefactum. Harles.

9. *Racemis.*] Racemi proprie sunt uvæ minores, granis exilioribus; qui plerumque a vindemiatoribus sub pampino latentes fallentesque relicti, post colliguntur.

11. *Tempus et in canas.*] Tempore etiam frumenta nascuntur, et ad maturitatem perveniunt.

14. *Rigidas.*] Multi codices sic dederunt; alii *rigidos;* nec pauca sunt

Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras;
  Hoc minuit luctus, mœstaque corda levat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas
  Præterquam curas adtenuare meas.
Ut patria careo, bis frugibus area trita est;
  Dissiluit nudo pressa bis uva pede.
Nec quæsita tamen spatio patientia longo est;
  Mensque mali sensum nostra recentis habet.
Scilicet, et veteres fugiunt juga curva juvenci;
  Et domitus fræno sæpe repugnat equus.
Tristior est etiam præsens ærumna priore:
  Ut sit enim sibi par, crevit, et aucta mora est.
Nec tam nota mihi, quam sunt, mala nostra fuerunt;
  Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, gravant.
Est quoque non minimum, vires adferre recentes,
  Nec præconsumtum temporis esse malis.
Fortior in fulva novus est luctator arena,
  Quam cui sunt tarda brachia fessa mora:
Integer est melior nitidis gladiator in armis,
  Quam cui tela suo sanguine tincta rubent:
Fert bene præcipites navis modo facta procellas;
  Quamlibet exiguo solvitur imbre vetus.

loca et Ovidii et aliorum, ubi τὸ *silices* adjectivum generis masculini additum habet, ut auctor Electorum Etonensium adnotavit. HAWLES.

23. *Scilicet, et veteres.*] Dicit malum vetus sibi ita recens videri, quemadmodum jugum plerumque et frænum juvencis et equis, qui quamvis diu illis adsueti fuerint, tamen tanquam novam molestiam plerumque rejiciunt. HEINS.

31. *Fortior in fulva.*] Exemplis arguit, multo magis gravare mala vetera, quam recentia. *Luctator.* Qui lucta ludit, et palæstra. Fuere autem tria athletica certamina, in quibus certabant corporibus suis, cursores, pugiles, et luctatores: alii quinque statuunt, saltus, cursus, discus, jaculum, lucta.

33. *Nitidis arenis.*] In campo recenter arena strato. Alii *armis*, melius: quid enim sunt *nitidæ arenæ?* quum *arena nitida* obponantur fœdatis sanguine, sive *sanguine tinctis:* de quibus vide Bentl. ad Horatium, ii. Od. i. BURM.

Nos quoque, quæ ferimus, tulimus patientius ante,
Et mala sunt longo multiplicata die.
Credite, deficio, nostroque a corpore, quantum
Auguror, accedent temporà parva malis:
Nam neque sunt vires, neque qui color ante solebat,
Vixque habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.
Corpore sed mens est ægro magis ægra, malique
In circumspectu stat sine fine sui.
Urbis abest facies; absunt, mea çura, sodales;
Et, qua nulla mihi carior, uxor abest.
Vulgus adest Scythicum, braccataque turba Getarum:
Sic male, quæ video, non videoque, nocent.
Una tamen spes est, quæ me soletur in istis,
Hæc fore morte mea non diuturna mala.

ELEGIA VII.

Bis me sol adiit gelidæ post frigora brumæ,
Bisque suum tacto Pisce peregit iter:

38. *Longo die.*] h. e. multo tempore. Propert. iii. 9. 50. *Cape Roma triumphum et longam Augusto salvo precare diem.* Idem, ii. 13. 96. *cum sis Ipsa anus haud longa curva futura die.* Et Burmann. refutat opinionem Grammaticorum, diem fœminino genere positum significare tempus, et licere genere utroque dicere adfirmat. Harles.

48. *Sic mala, quæ video, non videoque, nocent.*] An urbis facies et sodales absentes pro malo numerat? non Scribe *male nocent.* Quidam scripti cum primis editionibus, *Sic me movent.* Heins. Nostri, *mala.*

1. *Bis me.*] Quoniam scil. a tropico capricorni sol rursus ascendit versus septentrionem, ut bene monet Verpoort. Quia vero Aries Piscibus succedit, Heinsius rectius, ut mihi videtur, suadet legere: *Bis ver sol adiit:* de reliqua lectionis varietate levi consule, si dignum videbitur, Burmann. dein astromice etiam dixerat *tacto pisce;* nam, ut idem Verpoort. jam notavit, signo piscium perlustrato sol

Tempore tam longo cur non tua dextera, versus
Quamlibet in paucos, officiosa fuit?
Cur tua cessavit pietas, scribentibus illis,
Exiguus nobis cum quibus usus erat?
Cur, quoties alicui chartæ sua vincula demsi,
Illam speravi nomen habere tuum?
Dî faciant, ut sæpe tua sit epistola dextra
Scripta, sed e multis reddita nulla mihi!
Quod precor, esse liquet: credam prius ora Medusæ
Gorgonis anguineis cincta fuisse comis;
Esse canes utero sub virginis; esse Chimæram,
A truce quæ flammis separet angue leam;
Quadrupedesque hominum cum pectore pectora junctos;
Tergeminumque virum, tergeminumque canem;
Sphingaque, et Harpyias, serpentipedesque Gigantas;
Centimanumque Gygen, semibovemque virum:

circulum suum absolvit. Nam in fine Piscium et principio Arietis Astronomi principium Eclipticæ statuunt. Harl.

7, 8. Ex his duobus versibus facile refelli potest eorum opinio, qui volebant nomen scribentis, et ejus ad quem scribimus, literis jam signatis inscribi: quum aperte hic possimus videre, intus tantum adpositum fuisse nomen scribentis.

11. *Ora Medusæ Gorgonis.*] Medusæ crines in serpentes mutavit Minerva, quod cum Neptuno in suo templo concubuit, ejusque caput ad terrendos hostes ægidi imposuit.

13. *Esse Chimæram.*] De Chimæræ forma Homerus lib. sexto Iliados ita scribit: anterius leonem, posterius vero draconem, medio autem capram, atque terribiles ex ore flammarum globos cum spiritu effundentem. Vide Natal. lib. ix. c. 4.

15. *Cum pectore pectora junctos.*] Centaurorum enim pectora humanis pectoribus juncta fuere: habuere enim partem pectoris humanam, partem equinam.

16. *Tergeminumque virum.*] Herilum, aut Geryonem intelligit, quos tergeminos fuisse docet Virgilius. Justinus scribit, Geryonem non triplicis naturæ fuisse, sed tres fratres tantæ concordiæ exstitisse, ut uno animo omnes regi viderentur. Horatius, lib. ii. Od. xiv. ver. 7:

Qui ter amplum
Geryonem, Tityonque tristi
Compescit unda.

17. *Sphingaque.*] Sphinx bellua est pilo fusco, geminis mammis in pec-

Hæc ego cuncta prius, quam te, carissime, credam
  Mutatum curam deposuisse mei.
Innumeri montes inter me teque, viæque,
  Fluminaque, et campi, nec freta pauca, jacent.
Mille potest causis, a te quæ litera sæpe
  Missa sit, in nostras nulla venire manus.
Mille tamen causas scribendo vince frequenter,
  Excusem ne te semper, amice, mihi.

ELEGIA VIII.

Jam mea cycneas imitantur tempora plumas,
  Inficit et nigras cana senecta comas:
Jam subeunt anni fragiles, et inertior ætas;
  Jamque parum firmo me mihi ferre grave est.
Nunc erat, ut posito deberem fine laborum
  Vivere, me nullo sollicitante metu;
Quæque meæ semper placuerunt otia menti,
  Carpere, et in studiis molliter esse meis;

tore, muliebri facie, pedibus ac cauda leonis, pennis autem volucris. Ferunt Sphingem juxta Thebas ænigma hospitibus proposuisse: quod satis notum. *Et Harpyias.* Hesiodus duas tantum dicit Harpyias fuisse ex Thaumante et Electra natas, scilicet Aello et Ocypeten: tertiam addidit Maro, Celæno; earumque formam ita describit, Æn. iii. 216:

Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, et pallida semper
Ora fame.

Serpentigerosque Gigantes. Legitur etiam, *Serpentipedesque Gigantes:* hoc est, Gigantes, quorum pedes in serpentum volumina desinebant. De quibus Macrob. Saturn. lib. i. Heins.

18. *Centimanumque Gygen.*] Gyges (auctore Hesiodo) Cœli et Terræ filius fuit, fraterque Briarei et Cotti, quorum singulos centum manus habuisse dixit, et capita quinquaginta. Hi *Titanes* dicti sunt, ac decennale bellum cum Saturni filiis gesserunt. *Semibovemque virum.* Minotaurum denotat, natura duplici: nam usque ad humeros taurus, cætera homo fuit.

Et parvam celebrare domum, veteresque Penates,
  Et quæ nunc domino rura paterna carent:
Inque sinu dominæ, carisque nepotibus, inque
  Securus patria consenuisse mea.
Hæc mea sic quondam peragi speraverat ætas;
  Hos ego sic annos condere dignus eram.
Non ita Dîs visum, qui me terraque, marique
  Actum, Sarmaticis exposuere locis.
In cava ducuntur quassæ navalia puppes,
  Ne temere in mediis destituantur aquis:
Ne cadat, et multas palmas inhonestet adeptas,
  Languidus in pratis gramina carpit equus:
Miles, ut emeritis non est satis utilis annis,
  Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.

9. *Celebrare.*] h. e. frequentare, incolere. HARLES.

10. *Rura paterna.*] Me qui sum dominus eorum. Erant autem in Pelignis.

14. *Ponere.*] h. e. collocare, transigere. Heinsius autem, arbitratus, *annos ponere* hoc sensu non satis latine dici, refinxit, *annos condere.* At enim jam Bersmannus observavit, metaphoram a ventis sumtam esse, pro finire ævum dictum, et Verpoorten bene laudavit Cicer. v. ad divers. epist 21. 3. HEINS.

17. *In cava ducuntur,* &c.] Navium exemplo, quæ longa navigatione procellis agitatæ, in navalibus reponuntur, se senem dicit placida quiete uti debuisse.

19. Heinsio hoc distichon videbatur spurium, quod verbum *inhonestandi* vix alibi occurrat apud nostrum. Enimvero recte jam Burmannus, "solum, ait, verbum *inhonestandi* me non moveret, ut expungerem, quum sciam, Nasonem plura ita verba usurpasse, et quibusdam etiam semel modo usum." Adde, quæ supra iii. 12. 6. de vocab. *rustica* monueram. Burmannum autem offendit *multas palmas adeptas,* et vitium in τῷ *multas* esse putat, pro quo *turpis* aut *lentus* aut simile quid desiderat. Sed tunc *languidus,* quod bene respondet τῷ *multas palmas—adeptas,* et senem equum pulcre depingit, languesceret. Porro Heinsius, quia prim. Vatican. *adeptis,* alius *adeptus* habet, scribere jubet, *multis adeptis,* nimirum palmis, quod idem est; nisi dixeris, sonum inde enasci suaviorem. Quare nihil mutarem. Equi, qui in ludis victoriam sæpius reportarunt, in magno pretio apud veteres fuerunt. Talis igitur infirmus viribus et senex per prata libere vagatur. *Adipiscor* h. l. passive sumitur. HARLES.

22. *Ponit ad antiquos.*] Milites singuli perfuncti militia, donabantur septenis, pluribusve aliquando, jugeribus terræ, quo possent reliquum vitæ agere. Solebant autem, quum a militia dis-

Sic igitur, tarda vires minuente senecta,
Me quoque donari jam rude, tempus erat:
Tempus erat, nec me peregrinum ducere cœlum,
Nec siccam Getico fonte levare sitim:
Sed modo, quos habui, vacuum secedere in hortos;
Nunc hominum visu rursus et urbe frui.
Sic, animo quondam non divinante futura,
Optabam placide vivere posse senex.
Fata repugnarunt: quæ, quum mihi tempora prima
Mollia præbuerint, posteriora gravant.
Jamque, decem lustris omni sine labe peractis,
Parte premor vitæ deteriore meæ:
Nec procul a metis, quas pæne tenere videbar,
Curriculo gravis est facta ruina meo.
Ergo illum demens in me sævire coegi,
Mitius immensus quo nihil orbis habet?
Ipsaque delictis victa est clementia nostris;
Nec tamen errori vita negata meo?
Vita procul patria peragenda sub axe Boreo,
Qua maris Euxini terra sinistra jacet.
Hæc mihi si Delphi, Dodonaque diceret ipsa,
Esse viderentur vanus uterque locus.
Nil adeo validum est, adamas licet adliget illud,
Ut maneat rapido firmius igne Jovis.

cederent, arma alicui Deo suspendere: quam rem non modo milites faciebant, sed etiam gladiatores. Quem morem designat Horatius in lib. i. Epist. i. 5:

Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.

33. *Decem lustris.*] Quinquaginta annis. *Lustrum* autem tempus quinquennale.

34. *Parte premor vitæ deteriore meæ.*] Ætas enim post annum quinquagesimum solet esse deterior.

40. In codice Lovaniensi est: *Boreo peragenda sub axe est*, et poetæ quidam secundam syllabam in *Boreus* corripere solent. Polus vero septentrionalis Græcis Βόρειος est, quare nihil mutarem. HARLES.

Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius subpositumque Deo.
Nam quamquam vitio pars est contracta malorum,
Plus tamen exitii numinis ira dedit.
At vos admoniti nostris quoque casibus este,
Æquantem Superos emeruisse virum.

ELEGIA IX.

Si licet, et pateris, nomen facinusque tacebo,
Et tua Lethæis acta dabuntur aquis;
Nostraque vincetur lacrymis clementia seris:
Fac modo, te pateat pœnituisse tui;
Fac modo te damnes, cupiasque eradere vitæ
Tempora, si possis, Tisiphonæa tuæ.

47. *Tendit.*] Extra pericula, velut altiore et tutiore loco positum est. *Tendere* pro tentoria habere et in illis habitare. Virg. Æn. ii. 29. *hic sævus* tendebat Achilles. viii. 605. *legio latis* tendebat *in arvis*. Verpoort.

50. *Plus tamen exitii.*] Ostendit numen in eo suam vim et potestatem, quod me supra meritum punivit, et quantum collibuit; non quantum mea noxa commeruit. Pont.

3. Preclare suspicatur Burmann. *Et tua*, (ut erat in cod. Lovaniensi) vel *Vestraque vincetur lacrimis* dementia *seris;* nam non vincitur clementia, nisi delictis, sed sævitia deprecando et lacrimando exarmatur: *cl.* et *d.* scribarum errore facile permutantur. Harles.

4. *Pœnituisse tui.*] Pœnituisse ejus quod in me fecisti. Mer. Pœnitet aliquem sui, quum consilia et facta sua damnat, sibique displicet. Pont.

6. *Tempora Tisiphonæa.*] Tempora flagitiosa, furialia et nocentia, id est, cupias non dici meo versu, semper flagitiis operam dedisse, et nocuisse, ut Tisiphone furia. Mer. *Cupiasque eradere vitæ Tempora Tisiphonæa.* Hoc est, fac te damnes, et cupias ex vita tua eradicare, sive penitus, si modo possis, tollere, id quod est Tisiphones proprium, hoc est, invidiam et studium nocendi. Vel: cupias eradere tempora Tisiphonæa vitæ tuæ, pro, studeas abolere, et ex vitæ tuæ rebus actis tollere, ea quæ scelerate aliquando fecisti. Micyl.

Sin minus, et flagrant odio tua pectora nostro,
Induet infelix arma coacta dolor.
Sim licet extremum, sicut sum, missus in orbem,
Nostra suas istuc porriget ira manus.
Omnia, si nescis, Cæsar mihi jura reliquit,
Et sola est patria pœna carere meâ:
Et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo:
Sæpe Jovis telo quercus adusta viret.
Denique, vindictæ si sit mihi nulla facultas,
Pierides vires et sua tela dabunt.
Ut Scythicis habitem longe submotus in oris,
Siccaque sint oculis proxima signa meis;
Nostra per immensas ibunt præconia gentes,
Quodque querar, notum, qua patet orbis, erit:
Ibit ad occasum, quidquid dicemus, ab ortu;
Testis et Hesperiæ vocis Eous erit.
Trans ego tellurem, trans latas audiar undas;
Et gemitus vox est magna futura mei.
Nec tua te sontem tantummodò secula norint:
Perpetuæ crimen posteritatis eris.

11. *Omnia jura mihi reliquit.*] Quod jus est civi in maledicum et obtrectatorem, hoc mihi Cæsar non ademit. In jus per amicos vocaturum subindicat. Pont.

16. *Et sua tela.*] Malim *in sua tela*, hoc est in arma poetica. Heins.

18. *Siccaque sint oculis proxima signa.*] Per signa intelligit Ursam majorem et minorem, quibus Septemtrionem designat. *Sicca* autem adpellantur, quia nunquam occidunt.

19. *Præconia.*] h. l. vituperationes claræ. Harles.

21. *Ibit in occasum.*] Quidquid a me de te dicitur, id cum aliis scriptis meis celebrabitur per totum terrarum orbem. Pont.

22. *Vocis Hesperiæ.*] Carminis Latini. Mer. *Testis et Hesperiæ.* Hesperiam vocem intellige, non Latinam tantum, sed eam quæ in Hesperia, hoc est, occidente edetur. Ut sit dictum: ejus vocis, sive querelæ, quæ in occidente edetur, testis erit Eous, sive is qui in oriente degit; ut sit ἀντίθεσις ejus quod præcedit.

26. *Perpetuæ crimen posteritatis eris.*] *Καὶ τοῖς ἐσσομένοισι πυθέσθαι·* Homer. quod et in bonam et in malam partem accipitur.

Jam feror in pugnas, et nondum cornua sumsi;
Nec mihi sumendi causa sit ulla velim.
Circus adhuc cessat; spargit tamen acer arenam
Taurus, et infesto jam pede pulsat humum.
Hoc quoque, quam volui, plus est: cane, Musa, receptus,
Dum licet huic nomen dissimulare suum.

ELEGIA X.

Ille ego, qui fuerim, tenerorum lusor amorum,
Quem legis, ut noris, accipe, posteritas.
Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab urbe decem:
Editus hic ego sum; necnon, ut tempora noris,
Quum cecidit fato consul uterque pari.

27. *Et nondum cornua sumsi.*] Nondum sumsi calamum et chartam, quibus te petam, ut cornibus taurus feras in arena secum depugnantes.

29. *Circus adhuc cessat.*] Nondum taurus in Circo irritatur. Effigies enim hominum ex fœno veste rubra coperto, fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur. Postea ita luxus inolevit, ut Phœniciis vestibus usi fuerint. *Spargit tamen acer arenam Taurus.* Tamen sese taurus paulatim ad pugnam accendit: quibus verbis inimico idem minatur se facere. Heins.

31. Receptus, seu receptui canere dicimus, quum tubæ signo exercitus e prælio revocatur.

32. *Dum licet huic.*] Non lædendo me ulterius.

3. *Sulmo mihi patria est.*] Sulmo oppidum fuit Pelignæ regionis.

4. *Millia qui novies distat ab urbe decem.*] Perspicue ex hoc loco patet breviora milliaria, quam nunc sunt, antiquitus fuisse. Sulmonem enim non xc, sed vix tandem lxx millia passuum nunc Roma abesse, opportune hic indicandum duxi. Cognoscitur etiam ex libro primo de Bello civili, ubi Cæsar Sulmonem Corfinio (cujus hodie vix minimæ supersunt parietinæ) vii millium intervallo abesse ait; quum hodie vix quinque distare certum sit. Burm.

6. *Quum cecidit fato consul uterque pari.*] Hirtium et Pansam consules designat, qui apud Mutinam pugnantes contra Antonium, pop. rom. hostem judicatum, ceciderunt.

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
Non modo fortunæ munere factus eques.
Nec stirps prima fui; genito jam fratre creatus,
Qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
Lucifer amborum natalibus adfuit idem:
Una celebrata est per duo liba dies.
Hæc est armiferæ festis de quinque Minervæ,
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.
Protinus excolimur teneri, curaque parentis,
Imus ad insignes urbis ab arte viros.
Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo,
Fortia verbosi natus ad arma fori.
At mihi jam puero cœlestia sacra placebant,
Inque suum furtim Musa trahebat opus.
Sæpe pater dixit: studium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis, totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis:

7. *Si quid id est.*] Ordo est: et sum factus eques non nunc et recens modo munere fortunæ, sed longa successione, et unde a majoribus heres sum dignitatis equestris. *Munere fortunæ.* Non modo divitiis, quæ sunt bona fortunæ: qui enim quadringenta sestertia possidebant, equestri dignitate donabantur, et 14 ordinibus in theatro spectandi gratia sedebant. Ciof.

12. *Una celebrata est.*] Idem dies natalis, mihi illique celebratus.

13. *Armigeræ festis de quinque Minervæ.*] Secùndum diem ex quinque Minervæ consecratis designat. Prima enim die ludi gladiatorii, ut sequentibus diebus, non exhibebantur. Fuere autem *quinquatria* Minervæ festa 13 Kal. April. hoc est, 20 die Martii, dicta a quinquatro die, quod post diem quintum celebrentur: vide Alex. ab Alex. lib. ii. cap. 22; et ibid. Tiraquell. Natus ergo Ovid. 12 Kalend. April. sc. 21. Martii.

16. *Ab arte viros.*] Insignes ab arte accipio eos, qui artibus quibuscumque docendis, insignes ac celebres tum fuere. Micyl.

18. *Fortia verbosi.*] Fortia verba vocat, oratorum orationes, propter summam eloquentiæ vim, quæ animus quo vult adducit, et unde vult deducit.

19. *Cœlestia sacra.*] Poesin intelligit. Mer. An *Permessia sacra?* tale quid latet. Heins.

20. *Inque suum furtim.*] Quia pater fieri me poetam nolebat: itaque eo inscio factitabam versiculos. Pont.

22. *Mæonides.*] Homerus.

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos;
Et, quod tentabam dicere, versus erat.
Interea, tacito passu labentibus annis,
Liberior fratri sumta mihique toga est;
Induiturque humeris cum lato purpura clavo;
Et studium nobis, quod fuit ante, manet.
Jamque decem vitæ frater geminaverat annos,
Quum perit, et cœpi parte carere mei.
Cepimus et teneræ primos ætatis honores,
Eque viris quondam pars tribus una fui.
Curia restabat; clavi mensura coacta est:
Majus erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitæque fugax ambitionis eram:
Et petere Aoniæ suadebant tuta sorores
Otia, judicio semper amata meo.

28. *Liberior toga.*] Togam virilem designat, quam nobiles adolescentes apud Romanos sumebant in festo Liberi patris, 16 Kalend. April. deposita prætexta.

29. *Clavo.*] h. e. linea vel virga purpurea, quæ per mediam in parte anteriore tunicam a summo ad imum descendit. Hanc Rubenii sententiam tuitus est Grævius in præfat. ad tom. vi. thesaur. antiq. Rom. et probavit Gesner ad Quinctil. Instit. Orat. viii. 5. 28. et xi. 3. 138. adde Ferrar. de re Vestiaria i. 13. et. iii. 12. sqq. qui tamen a Rubenio dissentit. Augustus vero liberis quoque Senatorum virili togæ latum clavum inducere, et curiæ interesse permisit, quo utebantur usque ad annum ætatis Senatoriæ: tunc enim, si Senatoriam dignitatem vel nollent, vel non possent adsequi, deposito lato clavo, angustiorem rursus sumebant, ut Verpoort. jam docuit. Hinc Ovidius mox canit *clavi mensura coacta est*, h. e. se, omissa et abjecta spe dignitatis senatoriæ, lato clavo deposito angustiorem sumsisse. v. Sueton. Aug. c. 38. ibique Casaub. Rubenius de lato clavo lib. i. cap. 14. HARLES.

33. *Primos honores.* Magistratus, qui primo adolescentibus dabantur: ut ædilitas, quæstura, triumviratus, cæterique qui minores dicebantur.

34. *Deque viris.*] Triumvirum se fuisse innuit. Cæterum varii fuere hujus nominis magistratus: quidam *triumviri capitales* dicebantur, de quibus hic Merula exponit; alii *monetales*, qui æri, argento, auro flando ac feriundo præfecti erant: alii *nocturni*, per quos nocturnæ seditiones arcerentur a civibus, et quies urbi servaretur. Alii colonis deducendis creabantur. Vid. Fenestellam.

Temporis illius colui fovique poetas;
Quotque aderant vates, rebar adesse Deos.
Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque necet serpens, quæ juvet herba, Macer:
Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat:
Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambo
Dulcia convictus membra fuere mei:
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra:
Virgilium vidi tantum; nec avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi:
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Utque ego majores, sic me coluere minores;
Notaque non tarde facta Thalia mea est.

44. *Macer.*] Æmilius Macer, Veronensis poeta, de *herbis* scripsit, et Ornithogoniam sive de avibus, item Theriaca s. de venenatis animalibus. Mortuus est anno xxviii. Augusti. Olympiad. 191. an. 2. teste Eusebio in Chron. Verpoorten. HARLES.

47. Ponticus poeta scripsit bellum Thebanum carmine heroico. v. Propert. i. 7. 1. ibique Broukhus. qui etiam ad Propert. i. 4. 42. de Gabio Basso agit. Hic scripserat satiras, quibus iambi, in vituperationibus, quæ sine imprecatione essent, adhiberi soliti, maxime conveniebant, unde *ἰαμβίζειν* pro maledicere, et Verpoort. jam laudarat Scalig. de re poet. i. 12. et 54. HARLES.

48. *Dulcia convictus.*] Convictores mei fuerunt. ὁμόσιτοι.

49. *Horatius numerosus.*] Horatius optimus poeta, vel a copia, vel ab elegantia numerosus dictus; vel etiam a varietate numerorum ac pedum, quos lyrica metra recipiunt. Natus est ante Ovidium annis 22.

50. *Dum ferit.*] Dum plectro chordas feriendo cantat; hoc est, dum pariter sonat lyra, et cantat carmina.

Ovidium ad illa Horat. iv. Od. 3. 23. *Quod monstror digito prætereuntium Romanæ fidicen lyræ* respexisse, ad Hor. i. observat Bentl. eoque refutat Heinsii correctionem non plane improbam apud nostrum Ovidium Æolia loco Ausonia. HARLES.

51. *Nec avara fata.*] Nec Deorum voluntates; quas ideo *avaras* adpellat, quoniam celerius Tibullum rapuerunt, quam fas erat: admodum enim juvenis periit.

52. *Tempus amicitiæ.*] Quia periit me puero, aut antequam possem eum videre. Alii tamen volunt, eodem anno, et eadem die cum Ovidio natum. Unde exstat Ovidii de ejus morte Elegia; vol. ii. pag. 198.

Carmina quum primum populo juvenilia legi,
  Barba resecta mihi bisve semelve fuit:
Moverat ingenium, totam cantata per urbem,
  Nomine non vero dicta Corinna mihi.
Multa quidem scripsi: sed quæ vitiosa putavi,
  Emendaturis ignibus ipse dedi:
Tum quoque, quum fugerem, quædam placitura
  Iratus studio carminibusque meis. [cremavi,
Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis
  Cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.
Quum tamen hoc essem, minimoque accenderer
  Nomine sub nostro fabula nulla fuit. [igni,
Pæne mihi puero nec digna, nec utilis uxor
  Est data; quæ tempus perbreve nupta fuit:
Illi successit, quamvis sine crimine, conjux;
  Non tamen in nostro firma futura toro:
Ultima, quæ mecum seros permansit in annos,
  Sustinuit conjux exsulis esse viri.
Filia me prima mea bis fœcunda juventa,
  Sed non ex uno conjuge, fecit avum.
Et jam complerat genitor sua fata, novemque
  Addiderat lustris altera lustra novem.
Non aliter flevi, quam me fleturus ademtum
  Ille fuit; matri proxima justa tuli.

60. *Corinna.*] h. e. carmen meum de Corinna, quæ Cæsarea quædam puella fuisse dicitur. Harles.

63. *Quum fugerem.*] Quum in exsilium proficiscerer.

68. *Nomine sub nostro fabula nulla fuit.*] Hoc dicit: nulla unquam de me fuit fabula, vel rumor ullus sinister, quod notatus fuerim infamia. Mer.

69. *Pæne mihi puero.*] Vix pueritiam egresso, scil. anno circiter 16, quum primam uxorem duceret. *Nec digna, nec utilis uxor.* Tres uxores subinde duxit. Cum duabus prioribus fecit divortium: cum tertia diu vixit, quæ exsulem non erubuit. Pont.

75. *Filia me mea bis prima.*] Perilla.

78. *Novemque Addiderat lustris altera lustra novem.*] Hoc est, ad nonagesimum annum pervenerat.

80. *Matri proxima busta tuli.*] In

Felices ambo, tempestiveque sepultos,
Ante diem pœnæ quod periere meæ!
Me quoque felicem, quod non viventibus illis
Sum miser, et de me quod doluere nihil!
Si tamen exstinctis aliquid, nisi nomina, restat,
Et gracilis structos effugit umbra rogos;
Fama, parentales, si vos mea contigit, umbræ,
Et sunt in Stygio crimina nostra foro;
Scite, precor, causam, nec vos mihi fallere fas est,
Errorem jussæ, non scelus, esse fugæ.
Manibus id satis est: ad vos, studiosa, revertor,
Pectora, qui vitæ quæritis acta meæ.
Jam mihi canities, pulsis melioribus annis,
Venerat, antiquas miscueratque comas;
Postque meos ortus, Pisæa vinctus oliva,
Abstulerat decies præmia victor eques;

eodem matris sepulcro patrem condidi. Lege *justa tuli:* alterum Latinum vix est. Sic *dare justa:* Fast. iii. 560:

Germanæ justa dat ante suæ.

81. *Felices ambo.*] *Ambos* unus Vatican. et tum *sepultos* quoque sit scribendum: sed *τὸ ambo* etiam quarti casus est. Heins.

85. *Si tamen exstinctis aliquid, nisi nomina, restat.*] Sensus est: si tamen aliquid restat defunctis hominibus, præter nomen. Hoc est: si quis sensus est post hanc vitam, animæque hominum, ut aiunt, immortales sunt.

86. *Et gracilis structos effugit umbra rogos.*] Propert. lib. iv. El. vii. ver. 1. sq:

Sunt aliquid manes; letum non omnia finit;
Luciduque evictos effugit umbra rogos.

87. *Umbræ parentales.*] O animæ parentum meorum.

88. *Sunt in Stygio foro.*] Cognoscuntur hominum scelera a judicibus infernis, qui sunt Minos, Æacus et Rhadamanthus.

93. *Pulsis melioribus annis.*] Deteriores anni sunt senectutis, quia multa senem circumvallant incommoda. Pont.

94. *Antiquas miscueratque comas.*] Nigris albas insperserat.

95. *Pisæa oliva.*] Oliva, qua apud Pisas coronabantur victores in Olympico certamine.

96. *Abstulerat decies,* &c.] Decem Olympiadas; quinquaginta annos.

Equus.] Sic emendarunt Burm. ad h. l. et Bentleius ad Horat. iv. 2. 17. quos consules. Olim legebatur *eques.* At non equites in Olympico certamine coronabantur, sed equi, qui nobiles inde sunt, et in nummis ac monimentis vel tenentes palmam ore, vel adpicta palma inveniuntur. Confer supra iv. 8. 19, 20. Quatuor annorum

Quum, maris Euxini positos ad læva, Tomitas
  Quærere me læsi principis ira jubet.
Causa meæ, cunctis nimium quoque nota, ruinæ
  Indicio non est testificanda meo
Quid referam comitumque nefas, famulosque nocentes?
  Ipsa multa tuli non leviora fuga.
Indignata malis mens est succumbere, seque
  Præstitit invictam viribus usa suis:
Oblitusque togæ, ductæque per otia vitæ,
  Insolita cepi temporis arma manu:
Totque tuli terra casus pelagoque, quot inter
  Occultum stellæ conspicuumque polum.
Tacta mihi tandem, longis erroribus acto,
  Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis:
Hic ego, finitimis quamvis circumsoner armis,
  Tristia, quo possum, carmine fata levo:
Quod, quamvis nemo est, cujus referatur ad aures,
  Sic tamen absumo decipioque diem.
Ergo, quod vivo, durisque laboribus obsto,
  Nec me sollicitæ tædia lucis habent,
Gratia, Musa, tibi: nam tu solatia præbes;
  Tu curæ requies, tu medicina mali;

spatium Olympias dictum fuit: Noster autem Olympiadas lustris æquat Romanorum, ita ut quinquennalem ludorum celebritatem quinquenniis exactis fieri credat, ideoque secundum hunc locum decem Olympiades conficiant L. annos. Confer supra iv. 8. 33. HARLES.

105. *Oblitusque mei.*] *Togæ* Richelianus. HEINS. Et oblitus pristinæ meæ tranquillitatis, naturæque meæ tenerioris, et vitæ molliter actæ.

106. *Cepi arma temporis.*] Cœpi tempori cedere, et necessitati parere, ut virum fortem decet.

108. *Occultum polum.*] Per occultum polum, Australem: per conspicuum vero, Septemtrionalem intelligit; Virgilius, Georg. i. 242:

Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi. MER.

116. *Lucis sollicitæ.*] Vitæ, quæ me sollicitum et anxium reddit. MER.

Tu dux, tuque comes; tu nos abducis ab Istro;
In medioque mihi das Helicone locum:
Tu mihi, quod rarum, vivo sublime dedisti
Nomen, ab exsequiis quod dare fama solet.
Nec, qui detrectat præsentia, livor iniquo
Ullum de nostris dente momordit opus:
Nam, tulerint magnos quum sæcula nostra poetas,
Non fuit ingenio fama maligna meo:
Quumque ego præponam multos mihi; non minor illis
Dicor, et in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum præsagia veri,
Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.
Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,
Jure tibi grates, candide lector, ago.

119. *Ab Istro.*] A Tomitana urbe, Istro flumini finitima.

123. *Detrectat præsentia.*] Lacerat viventium opera. MIN.

130. *Protinus ut moriar.*] Sic et Horat. de seipso, lib. ii. Od. ult.

Non usitata, nec tenui ferar
Penna, biformis per liquidum æthera
Vates.

Non ero tuus. Non sepeliar totus, aut oblivioni tradar: sed mea fama supra terras sese adtollet; fiamque immortalis. MIN.

᾿I NASONIS

ᴊS.

·EGIA PRIMA.

ₗe Getico, nostri studiose, libellum
͡missis quatuor adde meis.
ₗe talis erit, qualis fortuna poetæ;
ₗes toto carmine dulce nihil:
ₗis ut noster status est, ita flebile carmen,
Materiæ scripto conveniente suæ.
Integer et lætus, læta et juvenilia lusi:
Illa tamen nunc me composuisse piget.
Ut cecidi, subiti perago præconia casus,
Sumque argumenti conditor ipse mei.
Utque, jacens ripa, deflere Caystrius ales
Dicitur ore suam deficiente necem:

1. *De litore Getico.*] De litore Tomitanæ urbis, quæ litori Getico adjacebat. Heins.

2. *Quatuor meis præmissis.*] Libellis Tristium, antea Romam missis.

6. *Suæ materiæ.*] Materiæ poetæ, quæ est tristis.

7. *Integer.*] Non relegatus. *Læta et juvenilia.* Noster hic libros de Arte amandi significat.

9. *Perago præconia.*] Sum præco, et scribo. *Subiti casus.* Subitæ relegationis. Mer.

10. *Sumque argumenti conditor.*] Ipsemet mihi materiam ad scribendum subpeditavi; alii aliunde sumunt; quoniam calamitatis meæ, quam deploro, habeo, præter me, auctorem neminem. Pont.

11. *Caystrius ales.*] Cycnus ad Caystrum fluvium pervolans.

12. *Ore deficiente.*] Deficiente spiritu, vel corpore.

Sic ego, Sarmaticas longe projectus in oras,
  Efficio tacitum ne mihi funus eat.
Delicias si quis, lascivaque carmina quærit,
  Præmoneo nunquam scripta quod ista legat.
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,
  Aptior, ingenium come, Tibullus erit.
Atque utinam numero ne nos essemus in isto!
  Heu mihi! cur unquam Musa jocata mea est?
Sed dedimus pœnas; Scythicique in finibus Istri
  Ille pharetrati lusor Amoris abest.
Quod superest, animos ad publica carmina flexi,
  Et memores jussi nominis esse sui.
Si tamen e vobis aliquis, tam multa, requiret,
  Unde dolenda canam; multa dolenda tuli.
Non hæc ingenio, non hæc componimus arte;
  Materia est propriis ingeniosa malis.
Et quota fortunæ pars est in carmine nostræ?
  Felix, qui patitur, quæ numerare valet!
Quot frutices silvæ, quot flavus Tybris arenas,
  Mollia quot Martis gramina campus habet;
Tot mala pertulimus: quorum medicina quiesque
  Nulla, nisi in studio, Pieridumque mora est.

14. *Ne funus.*] Ne relegatio mea. *Eat mihi tacitum.* A me silentio prætereatur. Vel, ne quasi summo cum silentio diem meum obeam. MER.

16. Verpoorten ita exponit "*Præmoneo te*, lector, i. e. prædico tibi, *quod* nemo, *qui lasciva carmina quærit*, *legat*, (lecturus sit, legere soleat aut debeat ut infra v. 40.) *scripta ista*, sed potius *Gallum* aut *Propertium*. Sic nihil erit non satis Latinum." HARLES.

28. *Propriis.*] h. e. singularibus, non vulgaribus, et quæ cum aliis non sunt communia: aut etiam, quæ sunt perpetua et stabilia. HARLES.

31. *Flavas.*] h. e. minus limpidas. Pari modo Ovid. Metam. xiv. 447. flumen quoque rapidum torrensque nominatur *flavum*. HARLES.

32. *Mollia quot.*] Leidensis codex, *millia*; sed *molle*, proprium graminis epitheton, facit ut nil mutem: infra Eleg. iv. ver. 9, *nec aperto mollia prata Gramina*; ita *pabula mollia* in Ibide, ver. 137; et passim. BURM.

Quis tibi, Naso, modus lacrymosi carminis? inquis:
Idem, fortunæ qui modus hujus erit.
Quod querar, illa mihi pleno de fonte ministrat;
Nec mea sunt, fati verba sed ista mei.
At mihi si cara patriam cum conjuge reddas,
Sint vultus hilares, simque quod ante fui;
Lenior invicti si sit mihi Cæsaris ira,
Carmina lætitiæ jam tibi plena dabo.
Nec tamen ut lusit, rursus mea litera ludet:
Sit semel illa meo luxuriata malo.
Quod probet ipse, canam; pœnæ modo parte levata,
Barbariem, rigidos effugiamque Getas.
Interea nostri quid agant, nisi triste, libelli?
Tibia funeribus convenit ista meis.
At poteras, inquis, melius mala ferre silendo,
Et tacitus casus dissimulare tuos.
Exigis, ut nulli gemitus tormenta sequantur;
Acceptoque gravi vulnere flere vetas.
Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, et bovis ore queri:
Quum Priami lacrymis offensus non sit Achilles,
Tu fletus inhibes, durior hoste, meos:
Quum faceret Nioben orbam Latoia proles,
Non tamen et siccas jussit habere genas.

36. *Idem, fortunæ qui modus.*] Desinam lacrymosa scribere, quum desinet causa lacrymarum mearum.

45. *Ipse.*] *Ipsa* tres alii; male: *ipse* est Augustus; *ipse* ut Græcis *αὐτὸς*, honoris provocabulo, dux, rex, et princeps sæpe vocantur.

48. *Ista tibia.*] Iste sonus funestus: id est, hoc triste scribendi genus. Solebant autem majores funera ad tibiam efferre. Vide Hier. Magium, Miscel. lib. i. c. 13; Brod. lib. iv. c. 30.

57. *Quum faceret Nioben orbam.*] Niobe, Tantali filia, fuit soror Pelopis, et Amphionis uxor, quæ septem filios et totidem filias peperit, summo decore præstantes. Tali prole superbiens admodum gloriabatur, se Latonæ præferens numero filiorum. Itaque ira motam fabulæ Latonam ferunt, Apollinique ut Niobes filios, Dianæ, ut filias arcu interficerent, mandasse: vide Ovidium, Metamorph. vi. 301. sqq.

Est aliquid, fatale malum per verba levari:
Hoc querulam Procnen Halcyonenque facit.
Hoc erat, in gelido quare Pœantius antro
Voce fatigaret Lemnia saxa sua.
Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus;
Cogitur et vires multiplicare suas.
Da veniam potius, vel totos tolle libellos;
Hoc, mihi quod prodest, si tibi, lector, obest.
Sed neque obesse potest: ulli nec scripta fuerunt
Nostra, nisi auctori perniciosa suo.
At mala sunt; fateor: quis te mala sumere cogit?
Aut quis deceptum ponere sumta vetat?
Ipse nec emendo: sed, ut hic deducta legantur,
Non sunt illa suo barbariora loco:
Nec me Roma suis debet conferre poetis;
Inter Sauromatas ingeniosus ero.

60. *Hoc facit*, &c.] Hæc causa facit, ut Procne querulo cantu dolorem levet: quæ fuit filia Pandionis regis Atheniensium: vide fab. apud Ovid. Metam. vi. et xi; et Apollodor. lib. iii. *Halcyonasque*. Ceyx, filius Luciferi, habuit conjugem Halcyonem, a qua quum prohibitus ivisset ad consulendum Apollinem de statu regni sui, naufragio periit. Cujus corpus quum ad uxorem Halcyonem delatum fuisset, illa se præcipitavit in pelagus. Et conversi sunt ambo in aves marinas, quæ Halcyones vocantur. Fabulam narrat Ovidius, Met. libro xi. 742. sqq.

61. *In gelido Pœantius antro.*] *Saxum illud Lemnium clamore Philocteteo funestare*; Cic. de finib. lib. ii. ubi hanc fabulam præclare in suos usus transfert. *Contempla hanc sedem, in qua ego novem hyemes saxo stratus pertuli*; Attius. Μηδὲ σύντροφον ὅμμ' ἔχων· Sophocl. fab. 7. *Pœantius.* Philoctetes Pœantis filius: vide Ovid. Met. lib. xiii. 45:

Non te, Pœantia proles,
Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet,
Qui nunc, ut memorant, silvestribus abditus antris,
Saxa moves gemitu, Laertiadæque precaris, &c.

63. *Strangulat inclusus dolor.*] Ostendit dolorem compressum graviter hominem conficere.

69. *At mala sunt.*] Minellii nota est: "Negavit hæc scripta ulli obesse: hic objectioni respondens, ea mala quidem esse profitetur, sed neminem ad eorum lectionem cogi, quod a se non emendentur."

71. *Deducta.*] h. e. tenuiter scripta: translatio sumitur a lana, quæ deducitur in tenuitatem, ut ex Servio ad Virg. Ecl. vi. 5. notat. Verpoorten. HARLES.

Denique nulla mihi captatur gloria, quæque
  Ingenio stimulos subdere fama solet.
Nolumus adsiduis animum tabescere curis,
  Quæ tamen irrumpunt, quoque vetantur, eunt.
Cur scribam, docui: cur mittam, quæritis, istos?
  Vobiscum cupiam quolibet esse modo.

ELEGIA II.

Ecquid, ut e Ponto nova venit epistola, palles?
  Et tibi sollicita solvitur illa manu?
Pone metum; valeo: corpusque, quod ante labo-
  Impatiens nobis invalidumque fuit, [rum
Sufficit, atque ipso vexatum induruit usu.
  An magis infirmo non vacat esse mihi?
Mens tamen ægra jacet, nec tempore robora sum-
  Adfectusque animi, qui fuit ante, manet: [sit;
Quæque mora, spatioque suo coitura putavi
  Vulnera, non aliter, quam modo facta, dolent.

77. *Nolumus adsiduis.*] Sensus est: scribo hæc, non gloriæ comparandæ gratia; sed ne animus, adsiduis curis sollicitatus, semperque in pœnæ imaginem intentus, mœrore conficiatur, atque tabescat.

78. *Irrumpunt.*] Proprie, quo non licebat olim penetrare; ut profanis interdictum erat in adyta et penetralia *irrumpere*. Harles.

79. *Istos.*] Scil. libros, et *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* e verbo *scribam* repetendum est. Sallust. b. Catil. c. 18. 1. *Antea item conjuravere pauci—de qua* (nempe conjuratione, quod nomen intelligitur e verbo conjurare)—*dicam*; ubi vide Cortium: quare non corrigendum est *istoc*, ut Faber, lib. i. Ep. 67. fecerat, quasi *istos* nihil habeat, quo referatur. Harles.

80. *Quolibet modo.*] Versibus: quandoquidem non licet corpore.

5. *Sufficit.*] Durat, sustinet. Mer.

6. *Et magis infirmo.*] Non, inquit, tempus est, ut magis sim infirmus et invalidus: nam corpus multis malis vexatum obcalluit, et adsuevit omnia perpeti. Sunt qui legant per interrogationem, *An magis infirmo*, &c. An ideo firmum mihi corpus, quia unde infirmum sit, amplius nihil est?

Scilicet exiguis prodest annosa vetustas;
  Grandibus accedunt tempore damna malis.
Pæne decem totis aluit Pœantius annis
  Pestiferum tumido vulnus ab angue datum:
Telephus æterna consumtus tabe perîsset,
  Si non, quæ nocuit, dextra tulisset opem.
Et mea, si facinus nullum commisimus, opto,
  Vulnera qui fecit, facta levare velit;
Contentusque mei jam tandem parte laboris,
  Exiguum pleno de mare demat aquæ.
Detrahat ut multum, multum restabit acerbi;
  Parsque meæ pœnæ totius instar erit.
Litora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
  Quotve soporiferum grana papaver habet;
Silva feras quot alit, quot piscibus unda natatur;
  Quot tenerum pennis aera pulsat avis;
Tot premor adversis: quæ si comprendere coner,
  Icariæ numerum dicere coner aquæ.
Utque viæ casus, ut amara pericula ponti,
  Ut taceam strictas in mea fata manus;

12. *Tempore.*] Diuturnitate temporis. Mer. *Grandibus accedunt.* Magna incommoda ab annis incrementum accipiunt, et gravius animum discruciant. Sic Cic. Philip. V: *Omne malum nascens facile obprimitur: inveteratum fit plerumque robustius.* Pont.

13. *Pœantius.*] Philoctetes.

14. *Virus.*] Sic primæ edit. et unus Vaticanus cum Arondeliano; et quia *tumidi* proprie angues a veneno dicuntur, *virus* prætulit Burmann. et mox *vulnera* sequitur. Aliæ edd. habent *vulnus.* Harles.

15. *Telephus æterna consumtus,* &c.] *Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.* Mer.

20. *Exiguum pleno.*] Alibi dixit se non fluctibus, sed toto Oceano fuisse obrutum, miseriarum suarum multitudinem et magnitudinem volens exprimere. *Mare* dixit ἀρχαϊκῶς pro mari. Pont.

21. *Multum restabit acerbi.*] *Acervi* pr. Palat. pr. Vatican. et tres alii; malim *acervo;* pœnæ videlicet. Heins.

22. *Totius instar erit.*] Ostendit tantam esse malorum magnitudinem, ut etiam si quid detrahatur, nihil sibi imminutum videatur.

24. *Quodve soporiferum.*] Papaveris sativi tria sunt genera. Candidum, cujus semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur: alterum nigrum: tertium genus *Tyram* vocant.

30. *Strictas in mea,* &c.] De nece

Barbara me tellus, orbisque novissima magni
Sustinet; et sævo cinctus ab hoste locus.
Hinc ego trajicerer, neque enim mea culpa cruenta est,
Esset, quæ debet, si tibi cura mei.
Ille Deus, bene quo Romana potentia nixa est,
Sæpe suo victor lenis in hoste fuit.
Quid dubitas? quid tuta times? accede, rogaque:
Cæsare nil ingens mitius orbis habet.
Me miserum! quid agam, si proxima quæque relinquunt?
Subtrahis effracto tu quoque colla jugo?
Quo ferar? unde petam lapsis solatia rebus?
Anchora jam nostram non tenet ulla ratem.
Viderit: ipse sacram, quamvis invisus, ad aram
Confugiam: nullas submovet ara manus.
Adloquor en absens præsentia numina supplex,
Si fas est homini cum Jove posse loqui.
Arbiter imperii, quo certum est sospite cunctos
Ausoniæ curam gentis habere Deos;
O decus, o patriæ per te florentis imago;
O vir non ipso, quem regis, orbe minor;
Sic habites terras! sic te desideret æther!
Sic ad pacta tibi sidera tardus eas!

sibi a comitibus in itinere intentata, hæc accipe.

33. *Trajicerer.*] In locum clementiorem mitterer ab Augusto. *Est cruenta.* Est capitalis, quod quemquam occiderim.

43. *Viderit.*] Sensus egregius ex vulgata illa formula *Viderit:* viderit Augustus, quam illi invidiam conflaturus sim apud omnes, si ego destitutus ab omnibus amicis, et propter levissimam culpam gravissimæ pœnæ damnatus, confugiam ad aram sacram, tanquam inexpiabile crimen, et morte cruenta dignum, commiserim. Burm.

45. *Adloquar en absens absentia numina supplex.*] *Adloquor* potiores: præterea scribendum puto, *præsentia numina*; quod acumen non intellexere insciti librarii: Trist. ii. 54. Augustum vocat *præsentem conspicuumque Deum.*

46. *Cum Jove.*] Cum Augusto.

47. *Arbiter,* &c.] *Arbiter,* inquit Festus, dicitur judex, quod totius rei habeat arbitrium ac facultatem.

50. *Non ipso, quem regis.*] Tanti faciende, quanti totus simul orbis: par orbi.

52. *Ad sidera pacta tibi.*] Ad cœlum

Quem nunc, subpositum stellis Cynosuridos Ursæ,
  Juncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.
Quique prius mollem vacuamque laboribus egi
  In studiis vitam, Pieridumque choro;
Nunc procul a patria, Geticis circumsonor armis,
  Multa prius pelago, multaque passus humo:
Sive mihi casus, sive hoc dedit ira Deorum;
  Nubila nascenti seu mihi Parca fuit:
Tu tamen, e sacris hederæ cultoribus unum
  Numine debueras sustinuisse tuo.
An, dominæ fati, quidquid cecinere sorores,
  Omne sub arbitrio desinit esse Dei?
Ipse quoque æthereas meritis invectus es arces;
  Qua non exiguo facta labore via est.
Nec patria est habitata tibi: sed ad usque nivosum
  Strymona venisti, Marticolamque Geten;
Persidaque, et lato spatiantem flumine Gangen,
  Et quascumque bibit discolor Indus aquas.
Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcæ
  Stamina bis genito bis cecinere tibi.

7. *Stellis Erymanthidos ursæ.*] Ursæ Arcadicæ, ab Erymantho monte Arcadiæ adpellatæ. *Cynosuridos* præcipui ex antiquis; et recte. Heins.

18. *Desinit esse Dei.*] *Deûm* rectius pro gentili theologia liber Leidens.

19. *Æthereas meritis invectus es arces.*] Illud verbum *invehi* proprium triumphantium, ut apud Romanos, *invehi Capitolium* dicebantur.

21. *Nec patria.*] Thebæ.

22. *Strymona.*] Strymon fluvius est, qui in confinio Thraciæ et Macedoniæ ex Æmo decurrit: ibi per æstum maxime grues morantur; unde Maro eas *Strymonias* adpellavit. *Marticolamque Geten.* Belli cupidos Thracas.

23. *Persidaque, et lato spatiantem.*] Persis tota altissimis vallatur montibus, initium capiens a portis Caspiis, qua iter in austrum, atque usque ad mare protenditur: quod ab ea Persicum est adpellatum. *Gangen.* Ganges, Indiæ fluvius, est maximus omnium fluminum, quæ in tribus continentibus memorantur. Vide Plin. lib. vi. cap. 18.

26. *Bis genito bis, &c.*] Bis genitum adpellat Bacchum, quoniam primum ex Semele, deinde ex femore Jovis, in lucem venit: hinc *bimater* et *διθύραμβος παρὰ τοῦ δὶς θύραζε βαίνειν* dictus.

Me quoque, si fas est exemplis ire Deorum,
  Ferrea sors vitæ difficilisque premit:
Illo nec levius cecidi, quem magna locutum
  Reppulit a Thebis Juppiter igne suo.
Ut tamen audîsti percussum fulmine vatem,
  Admonitu matris condoluisse potes.
Et potes, adspiciens circum tua sacra poetas,
  Nescio quis nostri, dicere, cultor abest.
Fer, bone Liber, opem: sic altam degravet ulmum
  Vitis, et incluso plena sit uva mero.
Sic tibi cum Bacchis Satyrorum gnava juventus
  Adsit, et adtonito non taceare sono.
Ossa bipenniferi sic sint male pressa Lycurgi,
  Impia nec pœna Pentheos umbra vacet.
Sic micet æternum, vicinaque sidera vincat,
  Conjugis in cœlo Cressa Corona tuæ.

29. *Quem locutum.*] Capaneum.

32. *Admonitu matris.*] Ad Semelem, Bacchi matrem, referas, quæ Jovis fulmine conflagravit: quemadmodum poeta Augusti ictu prostratus est. Vide Natal. lib. v. c. 13.

36. *Mero incluso.*] Vino intus latenti.

37. *Sic tibi cum Bacchis.*] Tradunt Bacchum in exercitu mulierum copiam circumduxisse, armatam hastis pampinis involutis: Silenum quoque pædagogum ac nutritorem, qui ei plurimum ad virtutem et gloriam resque bellicas profuit: Satyrosque etiam, quorum opera in saltationibus ac tragœdiis oblectabatur: eorum enim risu ac joco vitam omnem felicem traducebat. Pro *gnava* alii *læta, graia, lecta.* Codex Petri Servii *nava,* quod venit *ἀπὸ τοῦ navare.*

38. *Adtonito sono.*] Sono bacchantûm et furentûm in tuis sacris.

39. Lycurgus rex Edonorum in Thracia (Heroid. ii. iii.) Bacchum deum esse negans et de regno fugans, ab illo in furorem actus traditur securi sive bipenni unum pedem pro vitibus excidisse. Harles.

40. *Pentheus.*] Echionis et Agaves filius, Liberum negavit deum esse, nec mysteria ejus accipere voluit. Ob hoc eum Agave mater cum sororibus Ino et Autonoe, per insaniam a Libero objectum, membratim dilaniavit. Harles.

42. *Clara Corona tuæ.*] Zulichemianus *Cressa Corona:* optime. Heins. Ariadnen, a Theseo in Naxo insula destitutam, Bacchus uxorem duxit. Fabulam refert Ovid. in I de Arte amandi. De Corona vero Ariadnæ, legito Hyginum, qui rem multis verbis prosequitur. Mer.

Huc ades, et casus releves, pulcherrime, nostros,
  Unum de numero me memor esse tuo.
Sunt Dîs inter se commercia: flectere tenta
  Cæsareum numen numine, Bacche, tuo.
Vos quoque, consortes studii, pia turba, poetæ,
  Hæc eadem sumto quisque rogate mero:
Atque aliquis vestrum, Nasonis nomine dicto,
  Deponat lacrymis pocula mista suis;
Admonitusque mei, quum circumspexerit omnes,
  Dicat: ubi est nostri pars modo Naso chori?
Idque ita, si vestrum merui candore favorem,
  Nullaque judicio litera læsa meo est:
Si, veterum digne veneror quum scripta virorum,
  Proxima non illis esse minora reor.
Sic igitur dextro faciatis Apolline carmen:
  Quod licet, inter vos nomen habete meum.

ELEGIA IV.

Litore ab Euxino Nasonis epistola veni,
  Lassaque facta mari, lassaque facta via;
Qui mihi flens dixit: tu, cui licet, adspice Ro-
  Heu! quanto melior sors tua sorte mea! [mam;

43. *Pulcherrime.*] Quia ipse Bacchus et Apollo semper juvenes, imberbes, et virginea facie. Pont.

54. *Nullaque judicio.*] Si nullius vestrum carmen notavi unquam: aut, si in quemquam vestrum mordacem versum nunquam distrinxi.

56. *Proxima non illis.*] Si arbitror, proxima vestra carmina antiquis non esse inferiora. *Proxima* autem, aut vicina, aut nuper a vobis edita.

58. *Nomen habere meum.*] *Habete* cum melioribus. Heins. Solo nomine sim vobiscum, quandoquidem corpore non possum, propter Augustum: vel, mei memores estote.

Flens quoque me scripsit: nec qua signabar, ad os est
  Ante, sed ad madidas gemma relata genas.
Tristitiæ causam si quis cognoscere quærit,
  Ostendi solem postulat ille sibi;
Nec frondem in silvis, nec aperto mollia prato
  Gramina, nec pleno flumine cernit aquas:
Quid Priamus doleat, mirabitur, Hectore rapto;
  Quidve Philoctetes ictus ab angue gemat.
Dî facerent utinam, talis status esset in illo,
  Ut non tristitiæ causa dolenda foret!
Fert tamen, ut debet, casus patienter amaros,
  More nec indomiti fræna recusat equi:
Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram,
  Conscius in culpa non scelus esse sua.
Sæpe refert, sit quanta Dei clementia; cujus
  Se quoque in exemplis adnumerare solet:

8. *Postulet.*] Malit Heinsius, et in sequenti versu *aprico*, sed Burmann. bene defendit et illustrat *apertus*, ubi nullæ arbores sunt. Harles.

12. *Ictus ab angue.*] Vel sagitta, veneno hydræ illita, percussus: vel revera a serpente ictus.

13. *Di facerent utinam.*] Hoc distichon vix Latinum est, et multo minus Ovidian. Heins. Si eradatur hoc distichon, non video quomodo prioribus cohæreant sequentia: quare corruptum potius credo, et ita legendum:

Di facerent utinam, vati status esset in illo,
  Ut mihi (vel sibi) *tristitiæ causa docenda foret.*

Utinam mihi, poetæ, status ille esset, ut liceret causam, minime manifestam, tristitiæ silere: sed quum illa sit omnibus nota, quia sum ejectus in ultimam barbariem, mallem in eo esset status meus, ut deberem docere causam tristitiæ, id est, ut in tali loco essem positus, cujus non pœniteret, si pœna crimini meo conferretur, et injuria me queri omnes dicerent. Burm. De emendatione prioris versus facile adsentior, quamquam etiam *talis* possit explicari, de posterioris versus autem emendatione salvo erga manes Burmannianos pudore, equidem dissentio; primo *sibi* non sustinet fictio poetica, quia epistola loquens inducitur, quod quidem est in tribus codd. dein nec *mihi* nec *docenda* corrigendum esse videtur. Caussam enim tristitiæ, nempe loci iniquitatem, Augusti iram, et absentiam ab amico satis docuit, hæc vero caussa ut non dolenda foret, optarat. Harles.

15. *Fert tamen,* &c.] Virtutis est, ut secundam fortunam moderate, ita adversam ferre patienter. Pont.

17. *Numinis.*] Augusti. Mer.

Nam quod opes teneat patrias, quod nomina civis,
  Denique quod vivat, munus habere Dei.
Te tamen, o! si quid credis mihi carior, ille,
  Omnibus, in toto pectore semper habet:
Teque Menœtiaden, te qui comitavit Oresten,
  Te vocat Ægiden, Euryalumque suum:
Nec patriam magis ille suam desiderat, et quæ
  Plurima cum patria sentit abesse sua;
Quam vultus, oculosque tuos, o dulcior illo
  Melle, quod in ceris Attica ponit apis!
Sæpe etiam, mœrens tempus reminiscitur illud,
  Quod non præventum morte fuisse dolet.
Quumque alii fugerent subitæ contagia cladis,
  Nec vellent ictæ limen adire domus;
Te sibi, cum paucis meminit mansisse fidelem,
  Si paucos aliquis tresve duosve vocat.
Quamvis adtonitus, sensit tamen omnia; nec te,
  Se minus, adversis indoluisse suis.
Verba solet, vultumque tuum, gemitusque referre,
  Et te flente, suos emaduisse sinus:
Quam sibi præstiteris, qua consolatus amicum
  Sis ope, solandus quum simul ipse fores.
Pro quibus adfirmat fore se memoremque pium-
  Sive diem videat, sive tegatur humo: [que,

25. *Te qui comitatus Oresten.*] *Comitatur* nonnulli; *comitavit* fragmentum Vaticanum. Vide notas Trist. lib. i. Eleg. viii. ver. 31. Heins. *Menœtiaden.* Amicissimum; ut Patroclus, Menœtii filius, Achilli fuit.

26. *Ægiden.*] Theseum, Pirithoi amicum, Ægei filium. *Euryalumque suum.* Nisi et Euryali amor notus est carmine Virgiliano.

30. Atticæ mons, Hymettus, mel gignit optimum. Harles.

33. *Contagia.*] Consternationem. *Subitæ cladis.* Subiti exsilii.

40. *Immaduisse.*] Sic rescripsit Burm. e septem libris. Heinsius ex octo dederat *emaduisse*, cujus verbi tamen auctoritas Burmanno nondum satis firma est. cf. iii. 4. 37. sq. Eleg. 5. 11. sqq. Harles.

44. *Sive diem videat.*] Sive vivat.

Per caput ipse suum solitus jurare, tuumque,
Quod scio non illi vilius esse suo:
Plena tot ac tantis referatur gratia factis;
Nec sinet ille tuos litus arare boves:
Fac modo constanter profugum tueare: quod ille,
Qui bene te novit, non rogat, ipsa rogo.

ELEGIA V.

Annuus adsuetum dominæ natalis honorem
Exigit: ite manus ad pia sacra meæ.
Sic quondam festum Laertius egerit heros
Forsan in extremo conjugis orbe diem.
Lingua favens adsit, longorum oblita malorum,
Quæ, puto, dedidicit jam bona verba loqui:
Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis:
Araque gramineo viridis de cespite fiat;
Et velet tepidos nexa corona focos.
Da mihi tura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fusum stridat in igne merum.
Optime natalis, quamvis procul absumus, opto
Candidus huc venias, dissimilisque meo:

48. *Nec sinet ille tuos.*] Nec permittet te frustra apud illum collocasse beneficium. Ille enim *litus arat*, qui operam perdit, et frustra laborat.

3. *Laertius egerat heros.*] Malim *egerit.* Ulysses Laertis filius.

4. *Diem festum conjugis.*] Natalem uxoris Penelopes.

9. *Araque gramineo viridis de cespite fiat.*] Genio natalem celebrantes, aram erigebant, quam floreis sertis ornabant. Feminæ vero Junoni sacrificabant.

11. *Da mihi tura, puer.*] Tura, aliique etiam odores, eodem die utebantur.

14. *Candidus.*] Felix. Mer.

Sique quod instabat dominæ miserabile vulnus,
Sit perfuncta meis tempus in omne malis:
Quæque gravi nuper plus quam quassata procella est,
Quod superest, tutum per mare navis eat.
Illa domo, nataque sua, patriaque fruatur:
Erepta hæc uni sit satis esse mihi.
Quatenus et non est in caro conjuge felix,
Pars vitæ tristi cætera nube vacet:
Vivat, ametque virum, quoniam sic cogitur, absens;
Consummetque annos, sed diuturna, suos.
Adjicerem et nostros: sed ne contagia fati
Corrumpant, timeo, quos agit ipsa, mei.
Nil homini certum est; fieri quis posse putaret,
Ut facerem in mediis hæc ego sacra Getis?
Adspice, ut aura tamen fumos e ture coortos
In partes Italas, et loca dextra ferat.
Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis:
Consilium fugiunt cætera pæne meum.
Consilio, commune sacrum quum fiat in ara
Fratribus, alterna qui periere manu,
Ipsa sibi discors, tanquam mandetur ab illis,
Scinditur in partes atra favilla duas.

21. *Quatenus.*] Verpoorten interpretatur, *quousque*, si non potest in me felix esse; aut, *quoniam*, quod mihi magis placet; atque *quatenus* pro *quoniam* post Ciceronem dici cœptum esse, animadvertitur in novissima editione Tursellini de particulis L. L. pag. 678. HARLES.

25. *Sed ne contagia fati.*] Sed vereor ne fata mea infelicia annorum uxoris felicitatem corrumpant.

34. *Fratribus.*] Eteocli et Polynici: bella nota sunt Diodori et Papinii monumentis: mutuis enim ictibus ceciderc.

35. *Ipsa sibi discors.*] Quum Polynicis cadaver impositum fuisset Eteoclis rogo, subito flamma discessit: canente Papinio, libro Thebaidos duodecimo, ver. 430. sqq. Et Lucanus, Phars. lib. i. ver. 551:

Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos.

Hoc, memini, quondam fieri non posse loquebar,
  Et me Battiades judice falsus erat.
Omnia nunc credo; quum tu consultus ab Arcto
  Terga, vapor, dederis, Ausoniamque petas.
Hæc igitur lux est, quæ si non orta fuisset,
  Nulla fuit misero festa videnda mihi.
Edidit hæc mores illis heroisin æquos,
  Queis erat Eetion, Icariusque pater.
Nata pudicitia est, mores, probitasque, fidesque:
  At non sunt ista gaudia nata die.
Sed labor, et curæ, fortunaque moribus impar;
  Justaque de viduo pæne querela toro.
Scilicet, adversis probitas exercita rebus,
  Tristi materiam tempore laudis habet:
Si nihil infesti durus vidisset Ulysses,
  Penelope felix, sed sine laude, foret:
Victor Echionias si vir penetrasset in arces,
  Forsitan Evadnen vix sua nosset humus:

38. *Battiades.*] Callimachus poeta, qui hoc scripserat, sc. de fumo in duas partes eunte, in sacris Eteoclis et Polynicis.

39. *Consultus.*] Verbum in sacrificiis usitatum: *καπνομάντειαν* respicit. Heins. Enimvero Burmann. "Ego veterem, ait, lectionem reduxi. Indicat enim ipsum fumum scire et sentire infelicitatem locorum sub Arcto, quare ille non stultus inde fugit, et Italiam versus tendit: et ita cl. Bentlei. ad Horat. ii. Serm. iii. 158. censet." Harles.

40. *Terga dederis.*] Fugeris Italiam versus, ubi erat poetæ uxor.

41. *Hæc lux.*] Hic dies natalitius.

43. *Edidit hæc mores illis heroibus æquos, Queis erat Eurytion, Icariusque pater.*] De feminis agit: Scribe igitur *herois in* cum Scaligero, *ἡρωΐσιν*. Sed nondum sanatus est locus. Quænam enim Eurytionis illa filia? Scaliger Antigenen, Pelei uxorem, intelligebat. Sed quorsum tam obscurum nomen? Andromachen intellige, notissimæ pudicitiæ feminam: apud Homerum, Iliad. Ζ.

'Ανδρομάχη θυγάτηρ μεγαλήτορος
'Ηετίωνος. Heins.

De Andromache, filia Eetionis, et Penelope, Icarii filia (v. Ovid. Her. i. 81.) loquitur. Harles.

52. *Sine laude foret.*] Sine laude pudicitiæ, quam ipso absente, totis viginti annis conservavit, et reditum ejus patienter exspectavit. Pont.

53. *Victor Echionias.*] Capaneum designat, de quo diximus. *In arces Echionias.* In arces Thebanas. Echion enim fuit unus ex sociis Cadmi, qui cum eo Thebas condidit.

54. *Evadnen.*] Uxorem Capanei: cujus mors nota est.

Quum Pelia tot sint genitæ, cur nobilis una est?
  Nupta fuit misero nempe quod una viro.
Effice, ut Iliacas tangat prior alter arenas;
  Laodamia nihil cur referatur erit.
Et tua, quod mallem, pietas ignota maneret,
  Implessent venti si mea vela sui.
Dî tamen, et Cæsar Dîs accessure, sed olim,
  Æquarint Pylios quum tua fata dies;
Non mihi, qui pœnam fateor meruisse, sed illi
  Parcite, quæ, nullo digna dolore, dolet!

ELEGIA VI.

Tu quoque, nostrarum quondam fiducia rerum,
  Qui mihi confugium, qui mihi portus eras;
Tu modo suscepti causam dimittis amici,
  Officiique pium tam cito ponis onus?

55. *Quum Pelia genitæ tot sint, cur.*] Pelias filius fuit Neptuni ex Tyro Nympha, filia Salmonei regis, ut scribit Homerus. Refert enim hanc consuevisse circa ripas Enipei fluminis delectari. Eam Neptunus, sumta Enipei forma, virginem cepit, et cum ea concubuit, genuitque Peliam et Neleum. Peliæ, Thessaliæ regis, filiæ fuerunt Asteropæa, Autonœ, Alcestis. *Cur nobilis una est.* Alcestis, Eurip. fab. 6; quod sic Latine reddimus:

Ast sola conjux pro suo spondet viro:
Alcestis illa, mulier insigni fide,
Migrare sponte voluit annos in suos
Carum maritum.

Hinc Propert. lib. ii. Eleg. v. ver. 15:

Felix Admeti conjux, et lectus Ulyssis,
Et quæcumque viri femina limen amat.

56. *Misero viro.*] Infelici marito Admeto.

57. *Alter.*] Quam Protesilaus: qui, quum primus e navi in litus Trojanum descendisset, primus de Græcis est interfectus; quicum nupta erat Laodamia.

62. *Pylios.*] h. e. Nestoris, sic dicti a Pylo, patria, urbe Arcadiæ: quem Ovidius Metam. xii. 187. tria sæcula vixisse scribit, quot annos etiam precatur Augusto. Harles.

3. *Modo.*] Sic habent Putean. Vossii et octo alii codd. quod Burmannus jure prætulit vulgari lectioni *quoque*, quod ex tota elegia patet, amicum prius suscepisse exsulis caussam, dein-

Sarcina sum, fateor; quam si tu tempore duro
Depositurus eras, non subeunda fuit.
Fluctibus in mediis navem, Palinure, relinquis?
Ne fuge; neve tua sit minor arte fides.
Numquid Achilleos, inter fera prælia, fidi
Deseruit levitas Automedontis equos?
Quem semel excepit, numquid Podalirius ægro
Promissam medicæ non tulit artis opem?
Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes;
Quæ patuit, dextræ firma sit ara meæ.
Nil, nisi me solum, primo tutatus es: at nunc
Me pariter serva, judiciumque tuum:
Si modo non aliqua est in me nova culpa; tuamque
Mutarunt subito crimina nostra fidem:
Spiritus hic, Scythica quem non bene ducimus aura,
Quod cupio, membris exeat ante meis,
Quam tua delicto stringantur pectora nostro,
Et videar merito vilior esse tibi.
Non adeo toti fatis urgemur iniquis,
Ut mea sit longis mens quoque mota malis.
Finge tamen motam: quoties Agamemnone natum
Dixisse in Pyladen verba proterva putas?

ceps leviter deseruisse; dein pro *curam* recepit cum Combiano libro *caussam*, quia melius respondet τῷ *suscepti*, ut ii. e Ponto ii. 45. Equidem *curam* nondum damnarem, quum *curam suscipere*, veteres quoque dicerent. Loca dabit Gesneri Thesaurus L. L. sub v. *suscipere*. HARLES.

7. Palinurus fidus Æneæ gubernator, somno captus in medioque mari delapsus, navem destituit. v. Virgil. Æn. v. 833. sqq. HARLES.

10. *Deseruit levitas.*] Ipse Automedon levis fuisset, si in medio prælio currum Achillis, quem regebat, deseruisset. PONT.

11. *Nunquam Podalirius.*] *Numquid* cum Combiano. HEINS. *Podalirius.* Æsculapius filios reliquit Machaonem, et Podalirium, qui arti paternæ dediti, quum ad Trojam cum Agamemnone navigassent, plurimum Græcis in eo bello curandis summo studio vulneribus opitulati sunt, magnam ob id gloriam adepti.

21. *Stringantur.*] h. e. lædantur. v. supra ii. 563. *frangantur* Leid. et Bern. *tingantur* alius: mox, *meo* Bernens. cod. loco *tibi*; quod non displicet. HARLES.

25. *Motam.*] Mentem esse commotam. *Agamemnone natum.* Oresten.

Nec procul a vero est, quod vel pulsarit amicum:
  Mansit in officiis non minus ille suis.
Hoc est cum miseris solum commune beatis,
  Ambobus tribui quod solet obsequium.
Ceditur et cæcis, et quos prætexta verendos,
  Virgaque cum verbis imperiosa, facit.
Si mihi non parcis, fortunæ parcere debes:
  Non habet in nobis ullius ira locum.
Elige nostrorum minimum minimumque laborum:
  Isto, quo reris, grandius illud erit.
Quam multa madidæ celebrantur arundine fossæ;
  Florida quam multas Hybla tuetur apes;
Quam multæ gracili terrena sub horrea ferre
  Limite formicæ grana reperta solent;
Tam me circumstant densorum turba malorum:
  Crede mihi; vero est nostra querela minor.

26. *Verba proterva.*] Convicia et contumelias in illum evomuisse, ut insani solent. Pont.

31. *Ceditur et cæcis.*] Solemus etiam obsequi et cedere de via, cæcis transeuntibus. *Et quos prætexta.* Tertium genus hominum designat, quibus etiam obsequimur, magistratibus et consulibus: quos designat per *virgarum fasces*, qui a lictoribus præferebantur.

32. *Imperiosa.*] Plena imperii, vel ostentatrix imperii.

Virga.] h. e. pro virgis in fascem collectis; et submotio populi etiam fascibus facta est. Errarunt igitur et Mycillus et Lipsius libro mox memorando in ejus opp. ad criticam proprie spectantibus Lugd. Bat. 1596. qui putarent, præter fasces lictores quoque virgam ad submovendum populum et januam pulsandam gestasse. Statuæ enim lictorum et figuræ, quæ in antiquis monimentis adparent, præter loca auctorum, solos fasces, nullam separatam virgam ostendunt. v. Burm. Verbis, veniente consule, obvios *animadvertere* solebat lictor; v. Lipsium Elector. i. 23. ubi de lictoribus, eorumque muniis, insignibus rel. agit. Harles.

34. *Non habet in nobis ullius ira locum.*] Solet enim usu venire, ut quos injuriæ invisos faciunt, gratiosos miseriæ reddant, ut est apud Valerium.

37. *Celantur arundine fossæ.*] Zinzerlingus ex Erfortano codice, *celebrantur* notat; quod verum est. Heins.

Celebrantur in sensu proprio, plenæ sunt. Harles.

38. *Hybla florida.*] Hybla urbs, seu mons fuit Siciliæ; cujus ager floribus abundabat, ubi optimi mellis copia.

40. *Gracili——Limite formicæ grana reperta.*] Virg. Æn. iv. 404. sqq:

It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle angusto, pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris, &c.

41. *Circumstant—turba.*] Per syl-

His qui contentus non est, in litus arenas,
  In segetem spicas, in mare fundat aquas.
Intempestivos igitur compesce timores,
  Vela nec in medio desere nostra mari.

ELEGIA VII.

Quam legis, ex illa tibi venit epistola terra,
  Latus ubi æquoreis additur Ister aquis:
Si tibi contingit cum dulci vita salute,
  Candida fortunæ pars manet una meæ.
Scilicet, ut semper, quid agam, carissime, quæris;
  Quamvis hoc vel me scire tacente potes.
Sum miser: hæc brevis est nostrorum summa malorum:
  Quisquis et offenso Cæsare vivet, erit.
Turba Tomitanæ quæ sit regionis, et inter
  Quos habitem mores, discere cura tibi est?
Mista sit hæc quamvis inter Graiosque Getasque,
  A male pacatis plus trahit ora Getis.
Sarmaticæ major Geticæque frequentia gentis
  Per medias in equis itque reditque vias:
In quibus est nemo, qui non coryton, et arcum,
  Telaque vipereo lurida felle gerat.

lepsin ita scribebant veteres: et ita recte primæ edd. et multi ex scriptis. Prave igitur alii dederunt *circumstat* aut *circumdat*. Sallust. b. Catil. cap. 43. ab init. *Lentulus cum ceteris—constituerunt, uti—cetera multitudo conjurationis suum quisque negotium exsequerentur* ubi vide Cortium, qui commode laudat Silium Ital. xvi. 464. *Cetera contenti discedent turba duobus* quisque *ferox jaculis*. Harles.

2. *Ister aditur.*] Sed quum Ister ibi se exoneret in Oceanum, τὸ *additur* admittendum duxi; Pont. iii. El. v. 2:
His ubi cæruleis jungitur Ister aquis. Heins.

11. *Inter Graiosque.*] Græcorum enim colonia fuit Tomus.

15. *Coryton.*] Gr. γωρυτὸς proprie est arcus theca, dicitur tamen et sa-

Vel quia peccavi citra scelus, utque pudore
Non caret, invidia sic mea culpa caret:
Vel quia nil ingens, ad finem solis ab ortu,
Illo, cui paret, mitius orbis habet.
Scilicet, ut non est per vim superabilis ulli,
Molle cor ad timidas sic habet ille preces.
Exemploque Deûm, quibus accessurus et ipse est,
Cum pœnæ venia plura roganda petam.
Si numeres anno soles et nubila toto,
Invenies nitidum sæpius isse diem.
Ergo, ne nostra nimium lætere ruina,
Restitui quondam me quoque posse puta:
Posse puta fieri, lenito principe, vultus
Ut videas media tristis in urbe meos;
Utque ego te videam causa graviore fugatum:
Hæc sunt a primis proxima vota mihi.

ELEGIA IX.

O TUA si sineres in nostris nomina poni
Carminibus, positus quam mihi sæpe fores!

23. *Pudore.*] h. e. stulto errore, cujus me pudere debet. HARLES.

29. *Exemplo Deûm.*] Deorum exemplo, qui solent veniam mortalibus concedere: aut, qui magis prosint, quam obsint. *Et ipse.* Etiam ipse Augustus. *Est accessurus.* Est perventurus in numerum Deorum.

30. *Cum pœnæ venia plura roganda petam.*] Forte scripserit, *plura roganda feram*, pro obtinebo; et ita *ferre* passim occurrit: *petam* et *feram*, etiam confuderunt librarii ex Pont. i. v. 30. et alibi. *Petenda*, edit. Bersm. et Pontani. BURM.

36. *Ut videas media tristis in urbe meos Vultus.*] *Tristis*, ob restitutionem meam in patriam.

38. *Vota secunda.*] Moreti. Sunt secunda post prima mea vota; quæ sunt, primo ut revocer ab exsilio, secundo ut tu ipse exsules.

Te solum meriti canerem memor; inque libellis
  Crevisset sine te pagina nulla meis.
Quid tibi deberem tota sciretur in urbe,
  Exsul in amissa si tamen urbe legor.
Te præsens mitem, te nosset serior ætas,
  Scripta vetustatem si modo nostra ferent.
Nec tibi cessaret doctus bene dicere lector;
  Hic tibi servato vate maneret honor.
Cæsaris est primum munus, quod ducimus auras:
  Gratia post magnos est tibi habenda Deos.
Ille dedit vitam; tu, quam dedit ille, tueris,
  Et facis accepto munere posse frui.
Quumque perhorruerit casus pars maxima nostros;
  Pars etiam credi pertimuisse velit,
Naufragiumque meum tumulo spectarit ab alto,
  Nec dederit nanti per freta sæva manum;
Seminecem Stygia revocasti solus ab unda.
  Hoc quoque quod memores possumus esse, tuum est.
Dî tibi se tribuant cum Cæsare semper amicos:
  Non potuit votum plenius esse meum.

4. *Crevisset sine te.*] Omnibus paginis te celebrassem.

8. *Ferent vetustatem nostra scripta.*] Sunt ad posteros perventura.

12. *Post magnos Deos.*] Post Jovem et Augustum: vel Deos adpellat Augustum et ejus liberos. Mer.

16. *Pertimuisse.*] Burm. conjicit *prætimuisse* h. e. quidam etiam nunc, quum vident me exsulem, ut excusent, quod nullam opem tulerint mihi, aiunt, se diu prætimuisse hanc meam pœnam et casus infelices; quia sæpe viderant me talia admittere, quibus exsilium mererer. At enim *pertimuisse* forte servari potest: pars quidem non perhorruit ejus casus, at, quo minus auxilium ferret, pertimuit, aut pertimuisse credi voluit, ne Augustus irasceretur. Atque Verpoorten bene laudavit Ciceron. ad divers. i. epist. 9. nr. 30. *Si adcusandi sunt, si qui pertimuerunt; magis etiam reprehendendi, si qui se timere simularunt.* Harles.

19. *Seminecem.*] Solus post Augustum servasti me. Pont. *Stygia revocasti solus ab unda.* Sic ille apud Comicum: *Solus ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris.*

22. *Plenius esse.*] Quam precari, ut Dii cum Cæsare tibi sint amici et propitii.

Sub galea pastor junctis pice cantat avenis;
Proque lupo pavidæ bella verentur oves.
Vix ope castelli defendimur; et tamen intus
Mista facit Graiis barbara turba metum:
Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
Barbarus, et tecti plus quoque parte tenet.
Quos ut non timeas, possis odisse videndo
Pellibus et longa tempora tecta coma.
Hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab urbe,
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.
Exercent illi sociæ commercia linguæ:
Per gestum res est significanda mihi.
Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli;
Et rident stolidi verba Latina Getæ:
Meque palam de me tuto mala sæpe loquuntur;
Forsitan objiciunt exsiliumque mihi.
Utque fit, in me aliquid, si quid dicentibus illis
Abnuerim quoties adnuerimque, putant.
Adde, quod injustum rigido jus dicitur ense,
Dantur et in medio vulnera sæpe foro.

audeat.] Quid audeat colere? Scribe, *rus qui colere audeat.* Heins.

28. *Barbara turba.*] Getæ, qui una cum Græcis Tomon habitant.

31. *Quos ut non timeas.*] *Quorum* prim. Pal. prim. Vatic. et quinque alii, ut esset dictum, quomodo *abstineto irarum, desine querelarum* ab Horatio, et similia passim obvia.

32. *Pellibus et longa corpora tecta coma.*] *Pectora* quidam veteres: at unus Bononiensis cum priscis editionibus, *tempora*; quod temere Ciofanus damnarat; nam *comatos* passim Getas describit, et pellibus operire capita etiamnum solent per septemtrionem. Heins.

34. *Pro patrio cultu.*] Pro habitu Græco, qui est cultior et civilior. Pont.

41. Hoc distichon commentitium aut certe perobscurum censent esse Heinsius et Verpoort. Ego vero cum Burmann. a manu poetæ profectum esse arbitror. Forsan nihil mutandum est, sed ita interpretandum. Illi homines, ut stolidi inhumanique facere solent, quoties dicentibus illis capite moto aut negaverim aut adsenserim, adversus me aliquid, nempe mala loqui, putant h. e. cogitant, (nisi loco *putant* legere malis *parant*,) aut in me aliquid, de quo male loquantur, observant. Harles.

O duram Lachesin, quæ tam grave sidus habenti
  Fila dedit vitæ non breviora meæ!
Quod patriæ vultu, vestroque caremus, amici;
  Quodque hic in Scythicis finibus esse queror;
Utraque pœna gravis: merui tamen urbe carere;
  Non merui tali forsitan esse loco.
Quid loquor, ah demens! ipsam quoque perdere
  Cæsaris offenso numine dignus eram. [vitam

ELEGIA XI.

Quod te nescio quis per jurgia dixerit esse
  Exsulis uxorem, litera questa tua est.
Indolui, non tam mea quod fortuna male audit,
  Qui jam consuevi fortiter esse miser;
Quam quia, cui minime vellem, sim causa pudoris,
  Teque rear nostris erubuisse malis.
Perfer, et obdura: multo graviora tulisti,
  Quum me subripuit principis ira tibi.
Fallitur iste tamen, quo judice nominor exsul:
  Mollior est culpam pœna secuta meam.
Maxima pœna mihi est, ipsum offendisse; priusque
  Venisset mallem funeris hora mihi.

46. *Gravi sidus habenti.*] h. e. qui tam infelici sidere natus sum. Harles.

48. Heinsius hoc distichon esse spurium immerito putat; hoc enim deleto, nihil esset, quod referres illud, *utraque pœna*, quæ respicit, et quod careat amicis, et quod non meliore loco exsul vivat. Harles.

49. *Utraque pœna gravis.*] Et carere scilicet amicorum consuetudine, et in Scythia vivere.

50. *Forsitan.*] Ne absolute adfirmando Cæsarem offendat, et injustitiæ coarguat. Pont.

1. *Nescio quis.*] Sic per contemptum quandoque loqui solemus, quum indignum quem æstimemus nominamus.

11. *Ipsum.*] Me offendisse Cæsarem.

Quassa tamen nostra est, non fracta, nec obruta puppis;
Utque caret portu, sic tamen exstat aquis.
Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit;
Quæ merui vitio perdere cuncta meo:
Sed quia peccato facinus non adfuit illi,
Nil nisi me patriis jussit abesse focis.
Utque aliis, numerum quorum comprendere non [est,
Cæsareum numen, sic mihi, mite fuit.
Ipse relegati, non exsulis, utitur in me
Nomine: tuta suo judice causa mea est.
Jure igitur laudes, Cæsar, pro parte virili
Carmina nostra tuas qualiacunque canunt:
Jure Deos, ut adhuc cœli tibi limina claudant,
Teque velint sine se comprecor esse Deum.
Optat idem populus: sed ut in mare flumina vas-[tum,
Sic solet exiguæ currere rivus aquæ.
At tu fortunam, cujus vocor exsul ab ore,
Nomine mendaci parce gravare meam.

13. *Quassa tamen*, &c.] Hoc exsilium est mihi instar procellæ, qua agitor, non submergor. Submersus fuissem, si me interemisset. Pont.

16. *Vitio meo.*] Meo errore.

22. *Tuta est.*] Non potest perire. *Suo judice.* Augusto judice. Is enim judicavit me non exsulem, sed relegatum: quæ pœna mollior erat. Mer.

25. *Cœli tibi limina.*] *Ut cœli lumina* prior lectio; poetica periphrasis pro cœlo, sicut *lumina solis* pro sole apud Lucret. imitatione Homeri, apud quem simili circuitionis figura φάος ἠελίοιο sæpissime legitur. Bersm.

26. *Teque velint.*] Id est, velint esse te Deum nobiscum.

27. *Sed ut in mare flumina.*] Hoc dicit: Ita meæ, ut populi preces ad Deos perveniunt, quemadmodum et parva flumina mare ita ingrediuntur, ut magna. Mer.

30. *Nomine mendaci.*] Falso: non enim sum exsul. Pont.

ELEGIA XII.

SCRIBIS, ut oblectem studio lacrymabile tempus,
 Ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est, quod, amice, mones; quia carmina lætum
 Sunt opus, et pacem mentis habere volunt.
Nostra per adversas agitur fortuna procellas,
 Sorte nec ulla mea tristior esse potest.
Exigis, ut Priamus natorum in funere ludat,
 Et Niobe festos ducat ut orba choros.
Luctibus, an studio videor debere teneri,
 Solus in extremos jussus abire Getas?
Des licet hic valido pectus mihi robore fultum,
 Fama refert Anyti quale fuisse reo;
Fracta cadet tantæ sapientia mole ruinæ:
 Plus valet humanis viribus ira Dei.

5. *Per adversas agitur fortuna.*] Nihil frequentius Ovidio, quam conditionem suam comparare cum procellis, tempestatibus, &c. PONT.

7. *Priamus natorum funere ludat.*] Ego reduxi, *ludat*, quod ex antiquo scripto receperat Francofurtensis; et melius respondet sequenti, *ducat choros: ludere* enim est saltare, ut Metamorph. iii. 685.

8. *Festos choros.*] Chorus multorum vocibus constat, ut docent Seneca et Macrobius.

12. *Fama refert Anyti quale fuisse rei.*] Pro genitivo *rei*, malim *reo* legere, dativo casu; ut sit sententia: Quale pectus reo Anyti, hoc est, Socrati fuisse fama refert. Nam et *ἀμφιβολίαν* lectio hæc tollet, et versui quoque gratiæ aliquantum conciliabit; vitata similitudine casus in utraque cæsura. MIC. *Anyti reo.* Socrati, quem Anytus accusavit. Tres enim fuere Socratis accusatores Melitus, Anytus, et Lycon. Melitus quidem ob poetas ei infestus: Anytus ob artifices, atque reipublicæ gubernatores; Lycon denique gratia rhetorum. Accusatio autem habuit se ferme in hunc modum: Socrates injuste egit, juventutem depravans, ac Deos quos civitas putat, ipse non putans, sed alia quædam nova dæmonia. Plato docet eum tanta fuisse sapientia et fortitudine, ut noluerit pro se aut causam dicere, aut quemquam precari. MER. *Ἀλλ', ὦ Κρίτων, καὶ τὸ τρίτον, εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ γενέσθω· ἐμὲ δὲ Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτεῖναι μὲν δύνανται, βλάψαι δὲ οὔ.* Epictet. de Socrate, cap. ultim.

14. Nondum perspicio, hunc ver-

Scribimus, et scriptos absumimus igne libellos:
Exitus est studii parva favilla mei.
Nec possum, et cupio non ullos ducere versus:
Ponitur idcirco noster in igne labor;
Nec nisi pars, casu flammis erepta, dolove,
Ad vos ingenii pervenit ulla mei.
Sic utinam, quæ nil metuentem tale magistrum
Perdidit, in cineres Ars mea versa foret!

ELEGIA XIII.

Hanc tuus e Getico mittit tibi Naso salutem;
Mittere si quisquam, quo caret ipse, potest.
Æger enim traxi contagia corpore mentis,
Libera tormento pars mihi ne qua vacet:
Perque dies multos lateris cruciatibus uror,
Sed quod non modico frigore læsit hiems.
Si tamen ipse vales, aliqua nos parte valemus:
Quippe mea est humeris fulta ruina tuis.
Qui mihi quum dederis ingentia pignora, quumque
Per numeros omnes hoc tueare caput;

62. *Parva.*] Non placet Heinsio, et conjicit *studiis atra*, et Burm. *cana favilla.* Equidem contra codices nihil mutem. Atqui lectio *parva* addit multum ponderis conjecturæ Burmanni, qui in versu sequenti legere malit *non multos* (quidam enim codd. habent *non nullos*) *ducere versus.* Harl.

2. Quæ lectio est in textu, [*mittere rem si quis.* Edit. Harles.] eam Heinsius rescripsit e Leidensi, Moreti et alio codice; ego vero cum Burm. valde dubito, hæc interpolata esse ad exemplum i. e. Ponto 10. 20. et servarem lectionem edit. veteris *mittere si quisquam quo car.* aut lubentius Medon. codicis, *mittere si quicquam quo c.* ipse. Recte autem observavit Verpoorten, Ovidium ludere in vocabulo *salutis*, quod et comprecationem faustam et statum felicem significat. Illam Ovidius se mittere, hanc non habere dicit. Harles.

3. *Traxi contagia mentis corpore.*] Id est, ipsum corpus, præ nimio mentis dolore, cœpit male valere.

9. *Ingentia pignora.*] Magnas significationes amoris.

10. *Per numeros omnes.*] Per omnes modos.

Quod tua me raro solatur epistola, peccas:
Remque piam præstas, ni mihi verba neges.
Hoc precor emenda: quod si correxeris unum,
Nullus in egregio corpore nævus erit.
Pluribus accusem, fieri nisi possit, ut ad me
Litera non veniat, missa sit illa tamen.
Dî faciant, ut sit temeraria nostra querela,
Teque putem falso non meminisse mei.
Quod precor, esse liquet: neque enim mutabile robur
Credere me fas est pectoris esse tui.
Cana prius gelido desint absinthia Ponto,
Et careat dulci Trinacris Hybla thymo,
Immemorem quam te quisquam convincat amici:
Non ita sunt fati stamina nigra mei.
Tu tamen, ut falsæ possis quoque pellere culpæ
Crimina, quod non es, ne videare, cave:
Utque solebamus consumere longa loquendo
Tempora, sermonem deficiente die;

12. Verpoorten ita bene interpretatur: Si non gravaris ad me scribere, ego per *verba* epistolæ tuæ mihi *re ipsa* et facto officium præstitum esse judicabo. Quod autem hoc verborum officium non præstas, peccas. Heinsius suspicatur: *remque piam haud præstas, qui mihi v. n.* Codex Leidensis habet; *remque male præstas sed m. v. negas:* alius; *remque malam præstas ni mihi verba legas*: duo; *quodque pium præstas.* Quare Burmannus, qui hic, ut sæpe, *res* et *verba* opponi, et Nasonem velle putat, rebus quidem satisfacere officio amicum, sed verba, i. e. epistolas, non præstare, legere malit; *Remque male haud præstas, sed mihi verba negas?* tueris meam caussam optime, sed non scribis, vel, *remque quidem præstas, sed*, &c. Harles.

14. *Nullus nævus.*] Quasi dicat, nihil abs te requiram amplius, si hanc veluti ex formoso corpore labem, aut maculam unicam sustuleris.

15. *Pluribus accusem.*] Pluribus verbis officium tuum accusarem. Heins.

19. *Quod precor.*] Ut falso de te querar. *Robur tui pectoris.* Mentis tuæ constantiam in me amando, credere nequeo esse labefactatam.

21. Absinthium in Ponto fuit præstantissimum, multo amarius Italico, ejus vero medulla dulcis, vide Plin. xxvii. 7. *Trinacris* est Sicilia Græcis a tribus promontoriis sic dicta; conf. v. 6. 38. Harles.

22. *Hybla Trinacris.*] Hybla, civitas Siciliæ.

28. *Sermonem* cum Rottendorphiano et Puteano, rescripsit Heinsius: edit.

Sic ferat ac referat tacitas nunc litera voces,
Et peragant linguæ charta manusque vices:
Quod fore ne nimium videar diffidere, sitque
Versibus hic paucis admonuisse satis;
Accipe, quo semper finitur epistola verbo,
Aque meis distent ut tua fata, vale.

ELEGIA XIV.

QUANTA tibi dederint nostri monumenta libelli,
O mihi me conjux carior, ipsa vides.
Detrahat auctori multum fortuna licebit;
Tu tamen ingenio clara ferere meo:
Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur;
Nec potes in mœstos omnis abire rogos.
Quumque viri casu possis miseranda videri,
Invenies aliquas, quæ, quod es, esse velint;
Quæ te, nostrorum quum sis in parte malorum,
Felicem dicant, invideantque tibi.

vet. cum aliis *sermoni*. Deficere enim cum quarto casu construebant scriptores optimi illius sæculi. Cic. iv. ep. 6. *Solatia me deficiunt*. Plura vide apud Heinsium ad Ovid. Metam. i. Amor. viii. 93. Heinsium et Drakenb. ad Sil. Ital. viii. 661. HARLES.

30. *Peragant*.] Munus linguæ obeant, quod epistola solet efficere.

34. *Atque meis distent*.] *Atque* scribendum, ut Caroli Strozzæ, viri nobilissimi et humanissimi, codex. Cf. ad Amor. ii. xiv. ver. 30; et alibi.

2. *O mihi me carior*.] Exprimit hunc amorem, lib. iii. Eleg. iii. ver. 15:

Omnia quum subeant, vincis tamen omnia conjux.

4. *Tu tamen ingenio*.] Versus ex ingenio meo profecti te illustrabunt.

6. *Nec potes in mœstos omnis abire rogos*.] Non potest fama tua penitus deleri, quemadmodum corpus absumitur rogo.

9. *Nostrorum malorum*.] Meæ calamitatis. *In parte*. Quum mecum dolenter feras exsilium meum.

Non ego divitias dando tibi plura dedissem :
  Nil feret ad manes divitis umbra suos.
Perpetui fructum donavi nominis ; idque,
  Quo dare nil potui munere majus, habes.
Adde, quod, ut rerum sola es tutela mearum,
  Ad te non parvi venit honoris onus :
Quod nunquam vox est de te mea muta, tuique
  Judiciis debes esse superba viri.
Quæ, ne quis possit temeraria dicere, præsta :
  Et pariter serva meque, piamque fidem.
Nam tua, dum stetimus, turpi sine crimine mansit,
  Et laudem probitas irreprehensa tulit.
Par eadem nostra nunc est sibi facta ruina :
  Conspicuum virtus hic tua ponat opus.
Esse bonam facile est, ubi, quod vetet esse, remotum est,
  Et nihil officio nupta quod obstet habet :

11. *Plura.*] Quam dedi. Intelligit autem famæ immortalitatem.

13. *Perpetui fructum*, &c.] Non intermorietur nomen tuum, propter æternitatem scriptorum meorum.

16. *Onus non parvi honoris.*] Quasi dicat : quamvis sit onus et labor res meas tueri, tamen erit magno honori.

19. *Persta.*] Persevera in amore conjugali. Melius *præsta*, effice.

22. *Laudem—tulit.*] Sic dedit Burmannus; *laudem* latuit in *tandem*, quod primæ edd. exhibent. Alii aliter apud Heinsium, qui scribere jubet *et famæ probitas—fuit.* Num vero Latine dicatur, *famæ probitas*, vehementer dubitat Burm. nec probarat Verpoorten. *Probitas* est h. l. castitas. HARLES.

23. *Par ea de nostra non est tibi facta ruina.*] In nostra ruina parem te ostendisti : vel parem ejus demonstrandæ occasionem habes. BURM.

Liceat vero meam interponere conjecturiolam. Ovidius antea orarat uxorem, ut fidem servaret, eamque nunc ostenderet, quum castitatis perpetuæ, quæ Romæ rara tunc fuit virtus, antea laudem tulisset : rogat igitur ut fides tanta sit, quamtum malum esse putat exsilium, hoc est, quam maxima, qua re gloriam acquiret illustrem. Hinc suspicor scripsisse poetam, præsertim si ea, quæ sequuntur, contuleris : *Par eadem* (scil. fides) *nostræ nunc sit* (h. e. utinam sit!) *tibi facta ruinæ :* atque in Gottorphiano fuit *nostræ*, et *sibi* ex antiqua lectione *sit*, pro quo librarius substituerat *est*, forsan ortum fuit. HARLES.

24. *Conspicuum.*] Quasi quamdam statuam nunc tibi virtute tua erige, conspicuam omnibus. PONT. *Virtus.* Tua fides conjugalis.

25. *Bonam.*] Feminam et uxorem : sed virtus in arduis cernitur.

PUBLII OVIDII NASONIS

EPISTOLARUM

EX PONTO

LIBRI QUATUOR.

PUBLII OVIDII NASONIS

EPISTOLARUM

EX PONTO

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA PRIMA.

BRUTO *.

NASO, Tomitanæ jam non novus incola terræ,
  Hoc tibi de Getico litore mittit opus:
Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos
  Excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco.
Publica non audent inter monumenta venire,
  Ne suus hoc illis clauserit auctor iter.

* Codex Bavar. hanc habet inscriptionem: *Incipit liber primus. Epistolarum Ovidii Nasonis de Ponto. Epistola prima ad Brutum.* At *de Ponto* inficetum est, et a recentiori manu adsutum, nec libri veteres plerique ullam agnoscant inscriptionem. v. Heins. qui etiam observat, optimos codices habere *Bruto*. HARLES.

1. *Jam non novus incola.*] Incolam non novum se vocat, pro veteri, *κατὰ λιτότητα*. Nam jam quartum prope annum in Ponto agebat, id quod infra mox adparet, Eleg. viii. Cæterum, ut hoc addamus, septem omnino annos in Ponto vixisse poeta videtur; atque intra tres priores, ea, quorum titulus est *Tristium*, scripsisse: reliquis autem, hæc quæ *de Ponto* inscribuntur, ut ex ipsis libris adparet. MICYL.

2. *De Getico litore.*] De litore maris Euxini, quod Getæ accolunt.

6. *Clauserit hoc iter.*] Fecerit scribendo præcepta amatoria, ne hi quoque de Ponto libelli possint in publicum prodire.

Ah! quoties dixi, certe nil turpe docetis!
  Ite; patet castis versibus ille locus.
Non tamen accedunt: sed, ut adspicis ipse, latere
  Sub Lare privato tutius esse putant.
Quæris, ubi hos possis nullo componere læso?
  Qua steterant artes, pars vacat illa tibi.
Quid veniant, novitate roges fortasse sub ipsa:
  Accipe, quodcumque est, dummodo non sit amor.
Invenies, quamvis non est miserabilis index,
  Non minus hoc illo triste, quod ante dedi:
Rebus idem, titulo differt; et epistola cui sit
  Non occultato nomine missa, docet.
Nec vos hoc vultis, sed nec prohibere potestis;
  Musaque ad invitos officiosa venit.
Quicquid id est, adjunge meis: nihil impedit ortos
  Exsule, servatis legibus, urbe frui.
Quod metuas non est: Antonî scripta leguntur;
  Doctus et in promtu scrinia Brutus habet.

8. *Ite; patet castis versibus ille locus.*] Locum hunc intelligit Merula de ipsa Roma: sed quia præcedit, *Publica non audent inter monumenta venire*, caperem de Apollinis Palatini templo et Bibliotheca, in quam non audent venire Nasonis libelli: vide Trist. lib. iii. El. i. et alibi. Burm.

12. *Qua.*] Ubi: idque elegantissime dicitur de statu in loco. Ciof.

13. *Quid veniant.*] Ita et Græcos dicere τὶ ἀντὶ τοῦ, διατὶ, Sextus Empir. tradit, lib. i. Pyrrh. Hypotyp. cap. 19. ubi videndus est Fabricius.

15. *Quamvis non sit miserabilis index.*] *Quamvis non est* plerique veteres: versu proximo, pro *hoc* malim *hic*, si per antiquos liceat codices. Invenies his in libris non minus triste illo, quod jam ante dedi. Heins.

16. *Quod ante dedi.*] Metaphora a mulieribus, quæ filios genuerunt: in epistola Hypsipyles ad Jasonem, 121 et sq:

Felix in numero quoque sum; prolemque gemellam,
Pignora Lucina bina favente dedi.

17. *Rebus idem.*] Eadem est materia hujus operis, quæ est de Tristibus. *Titulo differt.* Differt indice. *Et epistola cui sit.* Differt etiam hoc opus ab eo de Tristibus, quoniam in hoc, ad quem scripta sit epistola, titulus docet: id vero in opere de Tristibus supprimitur.

19. *Nec vos hoc vultis.*] Nec vos vultis vestra nomina in hoc opere poni, propter Augusti metum.

22. *Servatis legibus.*] Non scribendo lasciva: id ne facerem, legibus cautum fuit.

23. Antonius antea fuit Triumvir cum Augusto, dein acerrimus hujus

Nec me nominibus furiosus confero tantis:
Sæva Deos contra non tamen arma tuli.
Denique Cæsareo, quod non desiderat ipse,
Non caret e nostris ullus honore liber.
Si dubitas de me, laudes admitte Deorum;
Et carmen demto nomine sume meum.
Adjuvat in bello pacatæ ramus olivæ:
Proderit auctorem pacis habere nihil?
Quum foret Æneæ cervix subjecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.
Fert liber Æneaden: et non iter omne patebit?
At patriæ pater hic; ipsius ille fuit.
Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire
Jactantem Pharia tinnula sistra manu?

hostis, qui paullo ante prœlium Actiacum de ebrietate Aug. edidit libellum, Plin. xiv. 22. Harles.

24. *Scrinia Brutus habet.*] Bruti, præter librum de Virtute Ciceroni, Senecæ, Plutarcho, aliis laudatum, etiam versus exstabant, et quidem satis lascivi, ut ex Plinio, lib. iii. Epist. 5, discimus. Auctor dialogi de claris Oratoribus: "Fecerunt Brutus et Cæsar carmina non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauci sciunt." Heins.

26. *Non tamen arma tuli.*] Non tamen bella gessi, ut M. Anton. et Brutus.

29. *Si dubitas de me.*] Si dubitas mea causa hos meos libellos excipere. *Laudes admitte Deorum.* Excipe illos Augusti causa, cujus laudes in illis continentur.

31. *Adjuvat in bello.*] Est argumentum a minori: Ramus oleæ, quod signum pacis est, adjuvat in bello prætendentem: multo igitur magis debet juvare, non signum, sed ipse auctor pacis, id quod faciunt libri mei. Micyl.

35. *Æneaden.*] Augustum, ab Ænea oriundum, propter patrem Julium Cæsarem, qui genus suum ad Julium Ascanium, Æneæ filium, referebat.

36. *Ipsius.*] Ita interpretor, hic, quem meus liber fert, est pater patriæ, ille autem Anchises, quem tulit Æneas, fuit ipsius tantum Æneæ pater. Burmannus vero, "quo referas illud *ipsius*," inquit, "non video; an ad Augustum? ut sit, Augustus fuit pater patriæ, ille (Æneas) pater ipsius (Augusti.) In Francof. erat, *unicus ille fuit*; forte *unius ille fuit*. Hic scil. Augustus est pater patriæ, qui est, Æneades ille, quem fert meus hic liber, ille vero, Æneas, pater fuit non communis patriæ, et omnium civium, sed unius Julii, cui tamen iter patuit per ferrum et ignes." Penes prudentes lectores esto judicium. Harles.

37. *Ut limine cogat abire.*] Ut Isidis sacerdotes, sistra Ægyptia ferentes, pellat e limine.

Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco
Quum canit, exiguæ quis stipis æra neget?
Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ;
Unde tamen vivat vaticinator habet.
Ipsa movent animos Superorum numina nostros;
Turpe nec est tali credulitate capi.
En ego, pro sistro, Phrygiique foramine buxi,
Gentis Iuleæ nomina sancta fero:
Vaticinor moneoque; locum date sacra ferenti:
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.
Nec, quia vel merui, vel sensi principis iram,
A nobis ipsum nolle putate coli.
Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos:

39. *Ante Deûm matrem.*] Quum matri Deûm canit tibicen inter sacrificandum. *Adunco cornu.* Tibiam obliquam intellige, dextra parte unum, sinistra duo foramina habentem, quam Midas, in Phrygia invenit, ut Plinius docet.

40. *Quum canit.*] *Dum* pr. editt.

41. Vaticinator Dianæ nomine exigit stipem sive pecuniam a consulentibus, sive iis, quibus vaticinia reddit. Et tamen scimus, ipsam Dianam nihil tale imperare, hoc est, haudquaquam jubere, ut ille pecuniam ab hominibus auferat. Ita plane explicat Micyllus. In Aricino autem nemore juxta Romam habuit Diana templum, ibi erant vaticinatores, uti codici Twisdenio jam erat adscriptum. Harles.

42. *Unde tamen vivat vaticinator.*] Tamen sacerdos Dianæ, causa Deæ prædicendo futura, donatur victu et donis. Quibus verbis colligit, ut sacerdotes coluntur, Deorum causa, sic libros continentes Augusti laudes, minime esse ex urbe pellendos, sed potius excipiendos summa veneratione.

43. *Ipsa movent animos.*] Hoc dicit: Movemur Deorum causa ad venerandum sacerdotes prædictos, nec debemus putare, esse turpe, credulitate nostra sacerdotes venerari Deorum causa. *Superorum numina. Nomina* veteres nonnulli. Heins.

45. *Pro sistro, Phrygiique.*] Pro sacerdotibus Isidis et Cybeles, quos per sistrum et tibiam e buxo designat.

46. *Gentis Iuleæ.*] Augusti ex gente Iulia oriundi, ab Iulo, Æneæ filio. *Nomina sacra fero.* Complector in meis libellis sacrum Augusti nomen.

47. *Vaticinor.*] Sum vates Apollinis et sacerdos. *Locum date.* Sinite me per urbem incedere. *Ferenti sacra.* Mihi portanti nomina gentis Iuleæ.

49. *Nec, quia vel merui.*] Quamvis, inquit, in me Augustus sit iratus, non recusat tamen a nobis coli nostro carmine.

51. *Linigeræ Isidis.*] Hæc vera lectio, quidquid membranæ inter se pugnant. Heins. Isidis, cujus sacerdotes lino tecti sacra Deæ celebrabant.

52. *Sedere ante focos Isiacos.*] Se-

Alter, ob huic similem privatus lumine culpam,
  Clamabat media, se meruisse, via.
Talia cœlestes fieri præconia gaudent,
  Ut, sua quid valeant numina, teste probent.
Sæpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
  Quum bene peccati pœnituisse vident.
Pœnitet o! si quid miserorum creditur ulli,
  Pœnitet, et facto torqueor ipse meo!
Quumque sit exsilium, magis est mihi culpa dolori;
  Estque pati pœnas, quam meruisse, minus.
Ut mihi Dî faveant, quibus est manifestior ipse,
  Pœna potest demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certe, ne sim, quum venerit, exsul;
  Ne non peccarim, mors quoque non faciet.
Nil igitur mirum, si mens mihi tabida facta
  De nive manantis more liquescit aquæ.

dere ante altaria Isidis, ei sacrificaturum, posteaquam post pœnitentiam Dea placata illi veniam dedit.

58. *Alter.*] Scilicet Isiacus sacerdos. *Privatus lumine.* Privatus oculis tanquam perjurus. Quoties enim per Isidem jurantes fidem non servabant, putabantur a Dea visu privari. Juvenal. Sat. xiii. ver. 93. sq:

Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, et irato feriat mea lumina sistro:
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.

In Anthologia Græca Lucilius:

μὴ καταράσῃ
Τὴν Ἶσιν τούτῳ;

huc et Persius, Sat. v. ver. 186, respexit, apud quem obcurrit,

cum sistro lusca sacerdos.

55. *Talia præconia.*] Talem vocem fatentium sua crimina, et se ita meritos.

56. *Quid valeant sua numina.*] Quid possint Deorum vires. *Teste.* Aliquo nocente, in quem animadverterint.

62. *Estque pati pœnas.*] Rationem adsignat, cur magis doleat crimine, quam exsilio. Quia magis me angit peccatum meum, quam pœna et exsilium. *Quam meruisse.* Quam peccatum commisisse, quo videar dignus tali pœna.

63. *Quibus est manifestior ipse.*] In quibus Diis ipse Augustus magis adparet, quia a nobis videtur.

68. *De nive manantis.*] Contabescit animus meus, et dolore colliquescit, ut nix ad ardorem solis. Pont.

Εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον.

Theocr. Idyll. vii. ver. 76; et Idyll. xxiii. ver. 31:

Ἁ δὲ χιὼν λευκά, καὶ τάκεται ἁνίκα παχθῇ.

Estur ut occulta vitiata teredine navis;
Æquorei scopulos ut cavat unda salis;
Roditur ut scabra positum rubigine ferrum;
Conditus ut tineæ carpitur ore liber;
Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quam vita, relinquent;
Quique dolet, citius, quam dolor, ipse cadet.
Hoc mihi si Superi, quorum sumus omnia, credent,
Forsitan exigua dignus habebor ope;
Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu:
Plus isto, duri, si precer, oris ero.

EPISTOLA II.

MAXIMO.

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus;

69. *Vitiata teredine navis.*] Inter teredinem et tineam hoc interest, quod altera sit marina, altera terrestris; vide Plinium, lib. xvi. cap. 12. *Teredo* eadem quæ *Termes.* Græcis *τερήδων*.

71. *Ferrum rubigine roditur.*] Cato de Re Rustica: *Ferrum rubigo interficit.*

72. *Carpitur.*] Consumitur. *Curarum morsus.* Curas *edaces* adpellat Horat. Gr. *θυμοδακεῖς, θυμοβόρους*.

77. *Si Superi, quorum sumus.*] Si Dii, in quorum sum potestate: Augustum autem latenter intelligit.

79. *In locum vacuum.*] In locum carentem arcu Scythico: hoc est, in locum magis quietum, et remotum ab hac Scytharum asperitate. *Ab arcu Scythico.* Ab armis Getarum, qui peculiariter arcu utuntur.

80. *Duri oris.*] Inverecundi oris.

1. *Maxime.*] Fabius hic Maximus, quum intima familiaritate Cæsari Augusto fuerit conjunctus, non invenitur tamen, quod mireris, apud scriptores ullis functus honoribus. Ad hunc nostrum opinor referenda esse illa Quintiliani, Inst. Orat. vi. 3: "In metalepsin quoque cadit ratio dictorum; ut Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit." De morte hujus Fabii Noster inf. lib. iv; et Plinius, lib. vii. cap. 45. Heins. Atqui Glandorpius consulem hunc

Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti,
  Non omnes Fabios abstulit una dies;
Forsitan hæc a quo mittatur epistola quæras,
  Quique loquar tecum, certior esse velis.
Hei mihi! quid faciam? vereor, ne nomine lecto
  Durus, et aversa cætera mente legas.
Viderit hæc si quis; tibi me scripsisse fateri
  Audebo, et propriis ingemuisse malis.
Viderit; audebo tibi me scripsisse fateri,
  Atque modum culpæ notificare meæ.
Qui, quum me pœna dignum graviore fuisse
  Confitear, possum vix graviora pati.
Hostibus in mediis, interque pericula versor;
  Tanquam cum patria pax sit ademta mihi:
Qui, mortis sævo geminent ut vulnere causas,
  Omnia vipereo spicula felle linunt:

Fabium facit A. U. C. DCCXCIII. ut et Lipsius fecit: sed hunc fuisse hujus Fabii patrem docet Masson. in vita Ovidii. *Qui tanti mensuram nominis imples.* Qui nominis magnitudinem æquas, ac superas animi nobilitate. Per mensuram autem tanti nominis, *Maximi* adpellationem intellige.

2. *Genus.*] Maximorum familiam.

3. *Quamvis cecidere, &c.*] Bello Etrusco, quod gestum est contra Veientes, quum in acie cecidisset Q. Fabius: vide Florum, libro i. cap. 12. Historiam refert Ovid. in Fast. lib. ii. ver. 196. sqq.

4. *Non abstulit omnes Fabios.*] Non prorsus omnes Fabios delevit. Unus enim ex ea gente, ob impuberem ætatem domi relictus, propagavit genus ad Q. Fabium, qui mora Annibalem fregit.

9. *Viderit.*] Quam eleganter dictum sit, plurimis docet Heinsius exemplis. Recentioris auctoris, non Ovidii est voc. *notificare*, quod versum reddit suspectum. Quare Heinsius ex duobus distichis unum faciendum hoc modo censet. *Viderit: audebo tibi me scripsisse fateri. Audebo propriis ingemuisse malis:* Aut *Viderit hoc; si quidem tibi me scripsisse fateri Audebo, et propriis ingemuisse malis.* Equidem, quia cod. Erfurt. habet *fatebor* (suprascripto *fateri*) legerem, *scripsisse fatebor. Audebo propriis*—sequens autem delerem distichon. Micyllus prius distichon interrogative legit, ut sit oratio dubitantis, et posterius quasi per subjunctionem huic respondeat. HARLES.

15. *Hostibus in mediis.*] In mediis Getis, qui urbem infestant.

17. *Ut geminent causas, &c.*] Ut duplici causa et via lethum adferant, ferro scilicet et veneno.

His eques instructus perterrita mœnia lustrat,
More lupi clausas circueuntis oves.
At semel intentus nervo levis arcus equino,
Vincula semper habens irresoluta, manet.
Tecta rigent fixis veluti vallata sagittis,
Portaque vix firma submovet arma sera.
Adde loci faciem, nec fronde, nec arbore læti,
Et quod iners hyemi continuatur hyems.
Hic me pugnantem cum frigore, cumque sagittis,
Cumque meo fato, quarta fatigat hyems.
Fine carent lacrymæ, nisi quum stupor obstitit illis,
Et similis morti pectora torpor habet.
Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit,
Quæ posuit sensum, saxea facta, mali!
Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora novo.
Ille ego sum, lignum qui non admittar in ullum:
Ille ego sum, frustra qui lapis esse velim.
Ipsa Medusa oculis veniat licet obvia nostris,
Amittat vires ipsa Medusa suas.

20. *More lupi clausas.*] Ovilibus enim clausis obambulans lupus insidiari solet.

23. Tecta infixis sagittis et eminentibus aspera sunt, et hæ ita speciem valli referunt: de *fixis* confer v. Trist. vii. 17. Ovid. Epist. iv. 159. *radiis frontem vallatus acutis.* h. e. radios veluti vallos e fronte prominentes habens. HARLES.

29. *Nisi quum stupor.*] Nisi quum mentis torpor, et quasi quædam alienatio a sensu.

31. *Felicem Nioben.*] Niobe filia fuit Tantali et Taygetæ, uxorque Amphionis. Quæ, et orbata viro et filiis, apud urnas eorum in lapidem versa diriguit. Legito Ovid. in Met. lib. vi. *Quamvis tot funera vidit.* Quamvis viderit tot filios mortuos.

33. *Vos quoque felices.*] Heliades, id est, Solis filias, sorores Phaethontis dicit: quæ, fraterna funera juxta Eridanum deplorantes, conversæ dicuntur in alnos, ut voluit Maro.

37. *Ipsa Medusa oculis.*] Phorcus ex Cetho conjuge tres habuit filias eximiæ pulchritudinis, Euryalem, Sthenionem, et Medusam. Fabulam refert Ovidius, Met. lib. iv.

38. *Amittet suas vires.*] Quia non mutabit me in saxa.

Vivimus, ut sensu nunquam careamus amaro;
Et gravior longa fit mea pœna mora.
Sic inconsumtum Tityi, semperque renascens,
Non perit, ut possit sæpe perire, jecur.
At, puto, quum requies, medicinaque publica curæ
Somnus adest, solitis nox venit orba malis:
Somnia me terrent veros imitantia casus;
Et vigilant sensus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare sagittas;
Aut dare captivas ad fera vincla manus:
Aut, ubi decipior melioris imagine somni,
Adspicio patriæ tecta relicta meæ:
Et modo vobiscum, quos sum veneratus, amici,
Et modo cum cara conjuge, multa loquor.
Sic, ubi percepta est brevis et non vera voluptas,
Pejor ab admonitu fit status iste boni.
Sive dies igitur caput hoc miserabile cernit,
Sive pruinosi noctis aguntur equi;

41. *Sic inconsumtum Tityi.*] Tityi exemplo docet suum dolorem semper renasci. Hic amavit Latonam; propter quod, Apollinis telis confixus, et hac pœna damnatus apud inferos adficitur; ejus jecur vultur exedit. *Tityi jecur.* De quo Virgil. vi. 595:

Nec non et Tityon, terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur, rostroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.

43. *Medicinaque publica curæ.*] Somnus enim solet esse curarum medicina.

45. *Imitantia veros casus.*] Quum sint falsa, videntur tamen vera esse.

46. *Et vigilant sensus.*] Et mei sensus, inquit, vigilant, somniando ea quæ mihi damnum adferunt.

49. *Imagine somni.*] Jucundioribus somniis, quibus interdum deludor. *Somni* dixit per Synæresin pro *somnii.* Ut Virg. Eclog. i. ver. 33: *nec cura peculi.* Ludunt nos somnia in utramque partem. PONT.

54. *Ab admonitu.*] Post recordationem patriæ, amicorum, et conjugis, quæ tanquam bona mihi erepta esse doleo.

55. *Caput hoc.*] Seipsum designat.

56. Nocti currus et equi tribuuntur. v. Tibull. iii. 4. 17. ii. 1. 87. *Pruinosi*

Sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis,
  Ignibus admotis ut nova cera liquet.
Sæpe precor mortem; mortem quoque deprecor idem,
  Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.
Quum subit, Augusti quæ sit clementia, credo
  Mollia naufragiis litora posse dari.
Quum video, quam sint mea fata tenacia, frangor;
  Spesque levis, magno victa timore, cadit.
Nec tamen ulterius quidquam sperove, precorve,
  Quam male mutato posse carere loco.
Aut hoc, aut nihil est, pro me tentare modeste
  Gratia quod salvo vestra pudore queat.
Suscipe, Romanæ facundia, Maxime, linguæ,
  Difficilis causæ mite patrocinium.
Est mala, confiteor; sed te bona fiet agente:
  Lenia pro misera fac modo verba fuga.
Nescit enim Cæsar, quamvis Deus omnia norit,
  Ultimus hic qua sit conditione locus:
Magna tenent illud rerum molimina numen;
  Hæc est cœlesti pectore cura minor.
Nec vacat, in qua sint positi regione Tomitæ,
  Quærere, finitimo vix loca nota Getæ;

(sic quoque Bavar. non *pruinosæ* uti quædam habent editt.) elegans est epitheton. Harles.

66. *Male mutando* h. e. qui mutetur cum alio loco, quantumvis malo, legere malit Heinsius, et comparat e Ponto ii. 2. 98. iv. 14. 7. laudat quoque Gronov. Obss. iii. 1. Sed idem sensus enascitur e vulgata lectione, in qua codd. consentiunt, *male mutato loco* h. e. loco, licet male mutatus sit, modo sit tutior. Harles.

68. *Salvo pudore.*] Habita pudoris ratione. Quasi dicat, de reditu nullum verbum facies, ni forte velis haberi inverecundus.

69. *Suscipe Romanæ.*] In vulgatis codicibus, novæ hoc Elegiæ exordium est. Nos vetustissimorum exemplarium auctoritatem sumus secuti. Heins.

75. *Magna molimina.*] Magna pondera reip. hoc est: detinetur Augustus majoribus oneribus, adeo ut, præ illorum magnitudine, non possit his locis, et meis malis cognoscendis vacare. *Illud numen.* Augustum Cæsarem dicit.

Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iazyges acres,
Cultaque Oresteæ Taurica terra Deæ;
Quæque aliæ gentes, ubi frigore constitit Ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te, pulcherrima, curant,
Roma, nec Ausonii militis arma timent.
Dant animos arcus illis plenæque pharetræ,
Quamque libet longis cursibus aptus equus:
Quodque sitim didicere diu tolerare famemque;
Quodque sequens nullas hostis habebit aquas.
Ira Dei mitis non me misisset in istam,
Si satis hæc illi nota fuisset, humum.
Nec me, nec quemquam Romanum gaudet ab hoste,
Meque minus, vitam cui dedit ipse, premi.

79. *Iazyges.*] Qui hodie Transylvani.

80. *Taurica.*] Tauricam Chersonesum intelligit, ubi Iphigenia, Agamemnonis filia, Orestes soror colebatur: cui et naufragos immolabant, et quoscumque Græcos illuc delatos.

81. *Quæque aliæ gentes.*] Ut sunt Jazyges, Getæ, Basternæ, Daci, et Alani Tauris contermini: est autem ordo: et non vacat Augusto quærere quid aliæ gentes faciant, quæ meant, id est, vadunt celeri equo per dura terga amnis, hoc est, Istri, ubi Ister constitit frigore.

83. *Maxima pars hominum.*] Scribe *horum*, vel *harum*, videlicet gentium. Heins. *Maxima pars hominum.* Quæ gentes supradictæ, sunt ita multæ et bellicosæ, ut Romanam potentiam non curent. Ex quo periculum suum ostendit esse maximum.

88. *Quodque sequens.*] Alia causa etiam dat Scythis animos, quod propter aquarum penuriam non timent, ut eos hostes insequantur.

89. *Ira viri mitis non me misisset in istam, Si satis hæc illi nota fuisset humus.*] Alterutrum redundat aut *τὸ istam*, aut *τὸ hæc*; quæ duo, nisi barbare, non possunt conjungi: pro *humus* aliquando reponebam *humum*, in istam humum. Nunc parum abest quin refingendum censeam, *non me misisset in Istrum*; infra lib. iii. Eleg. iv. 91:

Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum:

Trist. lib. ii. 189:

Solus ad egressum missus septemplicis Istri;

Atque ita passim. Præter flumen Istrum, in hoc tractu etiam Ἴστρος oppidum; quod *Istrus* Latinis. Plinio *Istropolis*. Arriani Periplus ἰστρίαν vocat; quo spectat nummus argenteus apud me cum inscriptione ΙΣΤΡΙ ΗΑΩΝ: fuit autem Milesiorum colonia, ut et Tomi. Heins.

Sed piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox:
Qui vicit semper, victis ut parcere posset,
Clausit et æterna civica bella sera;
Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coercet;
Et jacit invita fulmina rara manu.
Ergo, tam placidas orator missus ad aures,
Ut propior patriæ sit fuga nostra, roga.
Ille ego sum, qui te colui; quem festa solebat
Inter convivas mensa videre tuos:
Ille ego, qui duxi vestros Hymenæon ad ignes,
Et cecini fausto carmina digna toro:
Cujus te solitum memini laudare libellos,
Exceptis, domino qui nocuere suo.
Cui tua nonnunquam miranti scripta legebas,
Ille ego, de vestra cui data nupta domo.
Hanc probat, et primo dilectam semper ab ævo
Est inter comites Marcia censa suas;
Inque suis habuit matertera Cæsaris ante;
Quarum judicio si qua probata, proba est.

ad Alexandri usque dominatum permansit, ut Diodor. Sic iv. 15. pag. 261. narrat. Harles.

126. Clausit Augustus Janum Quirini, quod signum pacis fuit. Trist. iii. 1. 44. Virg. Æn. i. 297. Harles.

127. *Multa metu pœnæ.*] Sic Tacit. *Pœna ad paucos, metus ad plures perveniat.*

133. *Duxi.*] Broukh. ad Tibull. ii. 1. 54. docet, *ducere* epico carmini potius convenire, *dicere* autem ut h. l. rebus momenti levioris. Harles.

Hymenæon.] Carmen nuptiale. Deum autem nuptiarum posuit pro ipso epithalamio. De Hymenæo alibi plura diximus. *Ad ignes vestros.* Ad vestras tædas, quæ nubentibus præferebantur; vel, ut potius Burmanno videtur, ad vestras aras, ad quas sponsus et sponsa sacrificabant et comprecabantur.

140. *Est inter comites Marcia.*] Marcia hæc, non Catonis, ut hic Merula tradit, sed Maximi uxor fuit, id quod ex Tacito adparet Ann. i. 5. ubi ita legitur: *Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum electis consciis, et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum, ad visendum Agrippam,* &c. *Quod Maximum uxori Marciæ aperuisse, illam Liviæ: gnarum id Cæsari,* &c. Quod autem eadem filia fuerit Marcii Philippi, vitrici Augusti, ex sexto Fastorum patet. Micyl.

141. *Matertera Cæsaris.*] Ex Julia C. Cæsaris sorore, et M. Aceio Balbo

Ipsa sua melior fama, laudantibus istis,
  Claudia divina non eguisset ope.
Nos quoque præteritos sine labe peregimus annos:
  Proxima pars vitæ transilienda meæ.
Sed de me ut sileam, conjux mea sarcina vestra est:
  Non potes hanc salva dissimulare fide.
Confugit hæc ad vos; vestras amplectitur aras:
  Jure venit cultos ad sibi quisque Deos.
Flensque rogat, precibus lenito Cæsare vestris,
  Busta sui fiant ut propiora viri.

EPISTOLA III.

RUFINO.

HANC tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem,
  Qui miser est, ulli si suus esse potest.

nata est Accia, Augusti mater, quæ, post mariti Octavii mortem, Marcio Philippo nupsit, qui ab Anco Marcio genus traxit. Et ex eodem Philippo, et Acciæ sorore, ac matertera Augusti defuncta, antequam Acciam duceret Philippus, Marciam natam volunt, dicente Ovidio in Fast. Credendum est ergo Ovidium, hic significare suam uxorem tertiam de domo Fabiorum, puellam admodum, primo sororem Acciæ, et Augusti materteram, et Marciæ matrem coluisse, deinde ejus filiam Marciam.

144. *Claudia.*] Quinta, Vestalis, quum læsæ pudicitiæ argueretur, Matri deûm, cujus simulacrum tunc Romam advehebatur, obviam ivit, eamque testem pudicitiæ suæ invocans, navim, in qua dea vehi credebatur, cingulo suo adligatam sola adverso flumine traxit, eoque miraculo famam pudicitiæ recuperavit: vide Fastor. iv. 305. 344. Liv. xxviii. 14. HARLES.

Divina ope.] Auxilio Cybeles, ut suspicionem violatæ castitatis poneret.

146. *Est transilienda.*] Est silentio prætereunda: quia paulo ante notatus fui infamia, et relegatus propter præcepta amatoria..

147. *Est vestra sarcina.*] Erat enim ex Maximorum familia.

149. *Vestras aras.*] Vestra auxilia, vos precando tanquam suos Deos.

* Abest tota hæc epistola a Sarraviano codice. Argentoratensis post proximam epistolam collocabat. HEINS.

Adsuetos tauri saltus, adsueta leones,
  Nec feritas illos impedit, antra petunt.
Tu tamen, exsilii morsus e pectore nostro
  Fomentis speras cedere posse tuis.
Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
  Talibus ut levius sit caruisse malum.
At, puto, qua fueram genitus, tellure carenti,
  In tamen humano contigit esse loco.
Orbis in extremi jaceo desertus arenis,
  Fert ubi perpetuas obruta terra nives:
Non ager hic pomum, non dulces educat uvas;
  Non salices ripa, robora monte virent.
Neve fretum terra laudes magis; æquora semper
  Ventorum rabie, solibus orba, tument.
Quocumque adspicias, campi cultore carentes,
  Vastaque, quæ nemo vindicet, arva jacent.
Hostis adest, dextra lævaque a parte timendus;
  Vicinoque metu terret utrumque latus.
Altera Bistonias pars est sensura sarissas,
  Altera Sarmatica spicula missa manu.
I nunc, et veterum nobis exempla virorum,
  Qui forti casum mente tulere, refer:
Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
  Non usi reditus conditione dati.

lectione, de sola Philomela intelligitur: hæc enim in silvis nidificare solet. Sed quid si legas, *Quum bene sit clausæ cavea Pandione natæ:* ut sit sensus: Quantumvis bene est lusciniæ cavea inclusæ, nititur tamen exire in silvas suas: *Bene esse*, pro bene ac commode vivere, posito.

44. *Cedere.*] Amoveri. *Fomentis tuis.* Remediis tuis et consolationibus.

49. *Extremi orbis.*] Extremi septentrionis et terrarum. *In arenis.* In Getico litore.

59. *Sarisas.*] Cod. Bavar. cum glossa: hastæ longæ in lingua Macedonica sic dicuntur. Thraces autem fuerunt Macedonibus conjuncti. Harl.

63. *Magnanimi Rutili.*] P. Rutilius doctus et philosophiæ deditus vir fuit, summæ innocentiæ: is quæstor Asiam injuriis publicanorum liberavit: sed invidia equestris ordinis, qui

Smyrna virum tenuit, non Pontus et hostica tellus;
Pæne minus nullo Smyrna petenda loco.
Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus;
Legit enim sedes, Attica terra, tuas:
Arma Neoclides qui Persica contudit armis,
Argolica primam sensit in urbe fugam:
Pulsus Aristides patria Lacedæmona fugit;
Inter quas dubium, quæ prior esset, erat:
Cæde puer facta Patroclus Opunta reliquit,
Thessaliamque adiit, hospes Achillis, humum:
Exsul ab Hæmonia Pirenida cessit ad undam,
Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas:

tunc judicia exercebat, repetundarum damnatus, in exsilium missus est: quum postea ei ob Syllanam victoriam in patriam redire liceret, maluit in exsilio esse, quam aliquid contra leges fecisse videri.

65. *Virum.*] Rutilium. *Et hostica tellus.* Multi libri *et hospita:* forte scripserit, *non Pontus, inhospita tellus,* per adpositionem, et ut adludat ad cognomen *axeni.* Burm.

66. *Smyrna.*] Smyrna urbs fuit Ioniæ, ab Amazone Smyrna adpellata, quæ Ephesum tenuit; ea urbs est una ex iis, quæ sibi Homeri natales vindicarunt. *Nullo loco.* Nulla alia urbe. Smyrna, inquit, quum sit urbs præclarissima, minorem adferret dolorem in ea exsulanti, quam aliæ urbes: quasi dicat, si quis exsul locum gratum quærit, eam urbem præ cæteris eligat.

67. *Non doluit,* &c.] Diogenem intelligit, qui Sinopeus fuit, Icesii mensarii filius: quem fugisse aiunt, quum ejus pater publice mensam haberet, ac falso pecuniam signaret. Inde Athenas veniens, Antisthenen secutus est.

69. *Arma Neoclides.*] Themistocles Atheniensis, Neoclis filius, qui universæ Græciæ magnæ saluti fuit bello Persico. De Themistocle plura legito apud Herodotum, Thucydidem, Justinum, ac Æmilium Probum.

70. *Primam fugam.*] Hoc dicit, quia sæpius fugit: sed primo Argos pervenit, ut dictum est.

71. *Pulsus Aristides patria.*] Aristides, Lysimachi filius Atheniensis, æqualis fere Themistocli, itaque cum eo de principatu contendit.

72. *Quæ prior esset.*] Quæ esset clarior, patriane, an sedes ubi exsulabant.

73. *Patroclus Opunte,* Locridis urbe, in talorum lusu Clysonymum Amphidamantis filium imprudens occiderat. Confer Trist. i. 9. 29. Harles.

74. *Thessaliam.*] Urbem Thessaliæ Phthiam, patriam Achillis.

75. *Exsul ab Hæmonia.*] Mos fuit apud antiquos, ut reus homicidii exsularet. In regum tamen legibus lectum est, noxios homicidii arietis damno pœnam luere. *Pirenida.* h. e. Corinthum, ubi erat fons Pirene, limpidissimus, et diversa duo maria prospectans. Plin. iv. 3.

76. *Quo duce.*] Jasone. *Trabs sacra.* Argo, navis Palladi sacrata. *Colchas aquas.* Per aquam Colchidis re-

Liquit Agenorides Sidonia mœnia Cadmus,
Poneret ut muros in meliore loco:
Venit ad Adrastum Tydeus, Calydone fugatus;
Et Teucrum Veneri grata recepit humus.
Quid referam veteres Romanæ gentis, apud quos
Exsulibus tellus ultima Tibur erat?
Persequar ut cunctos, nulli datus omnibus ævis
Tam procul a patria est, horridiorve locus.
Quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
Qui facit ex dictis non ita multa tuis.
Nec tamen inficior, si possint nostra coire
Vulnera, præceptis posse coire tuis.
Sed vereor, ne me frustra servare labores;
Neu juver admota perditus æger ope.
Nec loquor hæc, quia sit major prudentia nobis;
Sed sim, quam medico, notior ipse mihi.
Ut tamen hoc ita sit, munus tua grande voluntas
Ad me pervenit, consuliturque boni.

gionis. Intelligit autem mare Ponticum, quod Colchos adluit.

77. *Liquit Agenorides.*] Agenor, rex Phœniciæ, jussit Cadmum quærere sororem Europam, lege impia, ut non reverteretur, nisi ea inventa: qua diu frustra quæsita, exsul Cadmus in Bœotiam venit, ubi Thebas ædificasse dicitur; ut in Met. docet Ovidius. *Sidonia mœnia.*] Urbem Phœniciæ Sidona, a piscium ubertate sic dictam: nam piscem Phœnices *Sidon* vocant.

78. *Ut poneret muros.*] Ut urbem Thebanam conderet. *In meliore loco.* In ipsa Bœotia.

79. *Venit ad Adrastum Tydeus.*] Tydeus, Œnei quum in Calydone Alcathoum Lycotheumque nepotes occidisset, ex Ætolia Argos aufugit: cui Adrastus benigne suscepto, quodam responso motus, filiam Deiphylen uxorem dedit. *Calydone.* Ex Calydone urbe Ætoliæ. *Venit ad Adrastum*; Eurip. fab. 8.

80. *Et Teucrum.*] Post finem belli Trojani, Teucer, morte Ajacis fratris invisus patri Telamoni, quum non reciperetur in regnum, Cyprum concessit, atque ibi urbem nomine antiquo patriæ Salamina condidit. *Humus grata Veneri.* Cyprus insula in qua Venus colebatur.

82. *Tibur erat.*] Nondum enim Romani propagaverant imperii fines.

86. *Quæ non facit ita multa.*] Quæ tua sapientia consequitur ita multa, ut velles: non enim ea potest dolorem tollere. *Ex tuis dictis.* Ex rationibus adductis. Burm.

93. *Tua voluntas.*] Tuus erga me animus et amor. *Grande munus.* Loco magni muneris.

94. *Consuliturque boni* fuisse vide-

EPISTOLA IV.

UXORI.

Jam mihi deterior canis adspergitur ætas,
  Jamque meos vultus ruga senilis arat:
Jam vigor, et quasso languent in corpore vires;
  Nec, juveni lusus qui placuere, placent:
Nec, si me subito videas, agnoscere possis;
  Ætatis facta est tanta ruina meæ!
Confiteor facere hæc annos: sed et altera causa est,
  Anxietas animi, continuusque labor.
Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
  Crede mihi, Pylio Nestore major ero.
Cernis, ut in duris, et quid bove firmius? arvis
  Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam vacuo solita est cessare novali,
  Fructibus adsiduis lassa senescit humus:
Occidet, ad Circi si quis certamina semper
  Non intermissis cursibus ibit equus:

tur, in Bav. quod recentior manus mutavit in *consuluitque bene*, quod Barthius etiam conjecerat, quia frigidum credebat, postquam grande munus adpellavit, postea dicere, se boni consulere: at cur non?

4. *Nec lusus.*] Ἐπιλελήσμεθ' ἡδέων. Eurip. in Bacch.

Nihil pol jam istæc res mihi voluptatis ferunt:
Satietas tenet studiorum istorum.

Ter. Hecyr.

6. *Ætatis facta est.*] Malim *Ætati.*

8. *Continuusque labor.*] Et adsiduus ac quotidianus corporis cruciatus, sollicitudines, angores.

10. *Pylio Nestore.*] Nestor ex Pylo, urbe Laconiæ. Nestor autem a poetis tertiam hominum ætatem vixisse fertur, id est, tercentum annos. Plinius tamen lib. vii. scribit eum pervenisse ad 99 annum: 33 videlicet annis, pro una ætate computatis.

12. *Opus.*] Proprie et primitus, uti Græcorum ἔργον, de agricultura. Harles.

13. *Vacuo novali.*] Agro sine semine.

15. *Ad certamina Circi.*] Ad pugnam ludorum Circensium, in quibus aliquando et pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inire solebant, auctore Cor. Tacito. Mer. *Certamina.* In

Firma sit illa licet, solvetur in æquore navis,
  Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.
Me quoque debilitat series immensa malorum,
  Ante meum tempus cogit et esse senem.
Otia corpus alunt; animus quoque pascitur illis:
  Immodicus contra carpit utrumque labor.
Adspice, in has partes quod venerit Æsone natus,
  Quam laudem a sera posteritate ferat.
At labor illius nostro leviorque minorque,
  Si modo non verum nomina magna premunt.
Ille est in Pontum, Pelia mittente, profectus,
  Qui vix Thessaliæ fine timendus erat;
Cæsaris ira mihi nocuit, quem Solis ab ortu
  Solis ad occasus utraque terra tremit.
Junctior Hæmonia est Ponto, quam Roma sinistro;
  Et brevius, quam nos, ille peregit iter.
Ille habuit comites, primos telluris Achivæ:
  At nostram cuncti destituere fugam;
Nos fragili vastum ligno sulcavimus æquor:
  Quæ tulit Æsoniden, firma carina fuit;
Nec Tiphys mihi rector erat; nec Agenore natus
  Quas sequerer, docuit, quas fugeremque, vias;

genere de omnibus equestribus certaminibus, quæ in Circo fieri solebant, intelligendum. MICYL.

18. *Quæ nunquam liquidis.*] Est autem ordo verborum: navis illa, quantumvis firma, solvetur in æquore, quæ nunquam carebit aquis, sicca ipsa, sive in sicco exsistens. MICYL.

26. *Si modo non.*] Si modo, inquit, gesta alicujus clari viri non præponantur factis hominis vilis et abjecti: quasi dicat, si modo non voluerit aliquis labores Jasonis meis præponere; propterea quod majoris est auctoritatis, quam ego.

30. *Utraque terra.*] Terra et orienti et occasui subjacens.

31. *Junctior.*] *Junctior* pro *vicinior*, eleganter et Latine. *Hæmonia.* Thessalia, unde solvit Jason. *Ponto.* Colchidi, quæ Ponto adjacet. *Sinistro.* Multi *sit Istro.* *Sinister* et *lævus Pontus* passim in his et Tristium libris.

33. *Primos.*] Primarios homines: Castorem scilicet, et Pollucem, Herculem, alios, quos Valer. Flac. enumerat in libro i.

37. *Nec Agenore.*] Intelligit Phineum poeta, qui Jasoni viam, quam sequeretur, indicavit, et quo pacto

Illum tutata est cum Pallade regia Juno:
Defendere meum numina nulla caput;
Illum furtivæ juvere Cupidinis artes,
Quas a me vellem non didicisset Amor:
Ille domum rediit; nos his moriemur in arvis,
Persttiterit læsi si gravis ira Dei.
Durius est igitur nostrum, fidissima conjux,
Illo, quod subiit Æsone natus, onus.
Te quoque, quam juvenem discedens urbe reliqui,
Credibile est nostris insenuisse malis.
O ego, Dî faciant, talem te cernere possim,
Caraque mutatis oscula ferre genis;
Amplectique meis corpus non pingue lacertis;
Et, gracile hoc fecit, dicere, cura mei:
Et narrare meos flenti flens ipse labores;
Sperato nunquam colloquioque frui;
Turaque Cæsaribus cum conjuge Cæsare digna,
Dîs veris, memori debita ferre manu!
Memnonis hanc utinam, lenito principe, mater
Quam primum roseo provocet ore diem!

petras Cyaneas transiret, ostendit. Vocat autem Phineum Agenoridem etiam Apollonius, ut quum ait:

Ἔνθα δ' ἐπάκτιον οἶκον Ἀγηνορίδης ἔχε Φινεύς·

ubi monet scholiastes, Phineum a nonnullis Phœnicis filium, Agenoris nepotem haberi.

41. *Illum furtivæ.*] Jaso, inquit, habuit Medeam, quæ ejus amore capta, illi ad rapiendum aureum vellus, opera, arte, et consilio profuit.

42. *Non didicisset amans.*] *Amor* Sarrav. Argent. et tres alii. *Amoris præceptorem* se passim noster adpellat.

55. *Cæsaribus cum conjuge.*] Per Cæsares, Augustum et ejus filios: per conjugem vero, Liviam, Augusti uxorem, intellige.

56. *Debita ferre manu.*] Proprium in hac re verbum esse *ferre* notat Herald. ad Arnob. lib. vii. p. 268.

57. *Mater Memnonis.*] Aurora, Tithonis uxor, materque Memnonis.

EPISTOLA V.

MAXIMO.

ILLE tuos quondam non ultimus inter amicos,
Ut sua verba legas, Maxime, Naso rogat:
In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
Nescius exsilii ne videare mei.
Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus;
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ.
Et mihi, si quis erat, ducendi carminis usus
Deficit, estque minor factus inerte situ.
Hæc quoque, quæ legitis, si quid mihi, Maxime, credis,
Scribimus invita, vixque coacta, manu.
Non libet in tales animum contendere curas,
Nec venit ad duros Musa vocata Getas.
Ut tamen ipse vides, luctor deducere versum;
Sed non fit fato mollior ille meo.
Quum relego, scripsisse pudet; quia plurima cerno,
Me quoque qui feci judice, digna lini.
Nec tamen emendo: labor hic quam scribere major,
Mensque pati durum sustinet ægra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius uti,
Et sub judicium singula verba vocem?
Torquet enim fortuna parum, nisi Nilus in Hebrum
Confluat? et frondes Alpibus addat Athos?

2. *Ut sua verba.*] Quamvis exsulis et habentis Cæsarem iratum. PONT.

11. *Animum contendere.*] Libet quidem adplicare animum ad tales curas: sed non eundem contendere, id est, in talibus curis adcurate et cum diligentia versari. Cic. dixit *animo contendere.* PONT.

14. *Meo fato.*] Mea infelicitate: quasi dicat, versum facio fortunæ meæ haud dissimilem, hoc est, durum; nam res meæ duræ sunt.

16. *Digna lini.*] Digna deleri.

19. *Scilicet incipiam.*] Debeo, inquit, mordacius uti lima in corrigendo carmine, et laborare circa unumquodque verbum.

21. *Nilus.*] Rescripsit Heinsius,

Parcendum est animo miserabile vulnus habenti:
  Subducant oneri colla perusta boves.
At, puto, fructus adest, justissima causa laborum;
  Et sata cum multo fœnore reddit ager.
Tempus ad hoc nobis, repetas licet omnia, nullum
  Profuit, atque utinam non nocuisset! opus.
Cur igitur scribam? miraris: miror et ipse;
  Et mecum quæro sæpe, quid inde feram.
An populus vere sanos negat esse poetas,
  Sumque fides hujus maxima vocis ego?
Qui, sterili toties quum sim deceptus ab arvo,
  Damnosa persto condere semen humo.
Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum;
  Tempus et adsueta ponere in arte juvat.
Saucius ejurat pugnam gladiator; at idem,
  Immemor antiqui vulneris, arma capit:
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis;
  Mox ducit remos, qua modo navit, aqua.

quem vide, ex Patavino. Alii *Lycus;* Erfurt, et Bavar. *licus,* cujus prior syllaba passim corripitur. Sunt autem dicta ex proverbio, quæ notant, non esse curam curæ addendam, nec adflicto adflictionem. *Hebrus* maximus Thraciæ fuit fluvius, qui in mare se effundit Ægæum. Athos mons erat excelsus Macedoniæ, quem Xerxes perfodit. Harles.

23. *Parcendum est animo.*] Ignoscendum est menti meæ adflictæ, si non facio optima carmina.

24. *Colla perusta.*] Colla labore consumta; et ita adtrita, ut perusta videantur.

26. *Et sata cum multo fœnore.*] Sicut ager fertilis, si eum colas, semen creditum multiplicatum reddit: ita ingenium bonum, si cura, meditatio, studium accesserint, longe evadet fœcundius. Pont.

27. *Tempore—nullo* frustra jubet Heinsius scribere; et merito defendit Burmann. *tempus—nullum.* Licet enim varia carmina scripserit, nullum tamen sibi ad hoc usque tempus profuisse dicit. Harles.

28. *Opus.*] Libros de Arte Amandi designat.

32. *Sum maxima fides.*] Sum maximum, quod poetæ sint insani, exemplum: qui, quum carminis causa relegatus sim, adhuc carmen scribo.

33. *Ab arvo sterili.*] A studiis poeticis, quæ nullum mihi fructum adtulere.

Sic ego constanter studium non utile carpo;
Et repeto, nollem quas coluisse, Deas.
Quid potius faciam? non sum, qui segnia ducam
Otia: mors nobis tempus habetur iners.
Nec juvat in lucem nimio marcescere vino;
Nec tenet incertas alea blanda manus.
Quum dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
Quo ponam vigilans tempora longa modo?
Moris an oblitus patrii, contendere discam
Sarmaticos arcus, et trahar arte loci?
Hoc quoque me studium prohibent adsumere vires;
Mensque magis gracili corpore nostra valet.
Quum bene quæsieris, quid agam, magis utile nil est
Artibus his, quæ nil utilitatis habent.
Consequor ex illis casus oblivia nostri;
Hanc, satis est, messem si mea reddit humus:
Gloria vos acuat; vos, ut recitata probentur
Carmina, Pieriis invigilate choris.
Quod venit ex facili, satis est componere nobis;
Et nimis intenti causa laboris abest.
Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
An verear, ne non adprobet illa Getes?

41. *Studium non utile servo.*] Carpo sex libri; id est reprehendo. Heins.

44. *Tempus iners.*] Tempus sine ulla exercitatione.

46. *Manus incertas.*] Manus ignaras victoriæ, aut jacturæ.

49. *Moris patrii.*] Disciplinæ Romanæ.

50. *Et trahar arte loci.*] Et vivam his artibus, quibus vivitur Tomi.

51. *Hoc studium.*] Hanc jaculandi artem.

52. *Magis valet gracili corpore,* &c.] Magis viget, quam tenue et macilentum corpus meum.

56. *Hanc messem.*] Hanc utilitatem, ut mala obliviscar, dum studiis poeticis operam do. *Si mea humus.* Si meum ingenium.

60. *Abest.*] Remota est: quia nec gloria, nec spes reditus, aut alia causa mihi obfertur, qua debeam facere optima carmina.

Forsitan audacter faciam, sed glorior Istrum
Ingenio nullum majus habere meo.
Hoc, ubi vivendum, satis est, si consequor arvo,
Inter inhumanos esse poeta Getas.
Quo mihi diversum fama contendere in orbem?
Quem fortuna dedit, Roma sit ille locus.
Hoc mea contenta est infelix Musa theatro:
Sic merui; magni sic voluere Dei.
Nec reor hinc istuc nostris iter esse libellis,
Quo Boreas penna deficiente venit.
Dividimur cœlo; quæque est procul urbe Quirini,
Adspicit hirsutos cominus Ursa Getas.
Per tantum terræ, tot aquas, vix credere possim
Indicium studii transiluisse mei.
Finge legi, quodque est mirabile, finge placere;
Auctorem certe res juvet ista nihil.
Quo tibi, si calida positus laudere Syene,
Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua?

65. *Ubi vivendum est.*] Quasi dicat: Satis erit mihi, haberi poeta apud Scythas: nec est curandum, an parum docte scribam.

67. *Quid mihi.*] Subaudi, prodest. *Contendere.* Ire. *In diversum.* In Romanam civitatem. *Fama.* Famæ causa. Quid prodest mihi, inquit, laborare, ut fama mea Romam perveniat.

68. *Roma sit ille locus.*] Ille locus Scythiæ, quem fortuna mihi adsignavit, habeatur mihi pro Roma; quasi dicat: Sufficit mihi, si in Scythia tantum fama mea sit non vulgaris. MER.

69. *Hoc theatro.*] Si mihi ab his plauditur, sufficit. PONT.

72. Romam pervenire meos libellos non puto, quo Boreas ipse, qui ex his septemtrionalibus oritur, vix pervenit, aut saltem infirmus, et fractis viribus venit. HARLES.

73. *Procul urbe Quirini.*] Longe a Romana civitate, quam Quirinus, hoc est Romulus, condidit.

74. *Adspicit hirsutos Getas.*] Videt Getas hispidos et barbatos: nam sunt sub Ursa majori in septemtrionali plaga. MER.

79. *Calida Syene.*] Syene oppidum fuit supra Alexandriam quinque millibus stadiorum. *Calidam* autem adpellat *Syenen*, quoniam directe locata fuit sub tropico æstivo, id est, sub Cancro, in extremo torridæ zonæ.

80. *Cingit* est e cod. Moreti ab Heinsio recepta; *tingit* alii; *pingit* Bavar. et Erfurt. *Tabronem* Erfurt. De hac insula *Taprobane* in mari indico varie tradiderunt veteres, et quidam

Altius ire libet? si te distantia longe
Pleiadum laudent signa, quid inde feras?
Sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc,
Famaque cum domino fugit ab urbe suo.
Vosque, quibus perii, tunc quum mea fama sepulta est,
Nunc quoque de nostra morte tacere reor.

EPISTOLA VI.

GRÆCINO.

Ecquid, ut audisti, nam te diversa tenebat
Terra, meos casus, cor tibi triste fuit?
Dissimules, metuasque licet, Græcine, fateri;
Si bene te novi, triste fuisse liquet.
Non cadit in mores feritas inamabilis istos;
Nec minus a studiis dissidet illa tuis.
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.

continenti terræ propiorem dixerunt, quidam viginti dierum navigatione inde removent, quidam etiam, an insula esset, nec potius initium orbis alterius, dubitaverunt. Esse videtur insula, quæ hodie Zeilan aut Ceylon dicitur. Harles.

81. *Altius ire libet.*] Placet etiam per altiora et cœlestia idem probare. *Longe distantia.* Longe remota, tanquam in cœlo exsistentia.

85. *Tunc quum mea fama*, &c.] Tunc quum damnatus fui: eo enim tempore fama mea periit. *Vosque, quibus perii.* Non carmina, aut libros suos adloquitur poeta, sed amicos. Neque illos tacere de se jubet: sed vereri se ait, ne id faciant, quandoquidem hoc vulgare ac tritum est, scilicet, ut adversis rebus laborantem etiam amici deserant. Fama enim, inquit, mea cum domino suo ab urbe fugit, sive abiit, eoque etiam vos amicos arbitror jam mei exsilii ac fugæ, quæ mortis instar mihi est, non amplius meminisse.

7. *Artibus ingenuis.*] Liberalibus disciplinis.

Nec quisquam meliore fide complectitur illas,
  Qua sinit officium, militiæque labor.
Certe ego, quum primum potui sentire quid essem,
  Nam fuit adtonito mens mihi nulla diu,
Hoc quoque fortunæ sensi, quod amicus abesses:
  Qui mihi præsidium grande futurus eras.
Tecum tunc aberant ægræ solatia mentis,
  Magnaque pars animæ consiliique mei.
At nunc, quod superest, fer opem, precor, eminus unam;
  Adloquioque juva pectora nostra tuo:
Quæ, non mendaci si quidquam credis amico,
  Stulta magis dici, quam scelerata, decet.
Nec leve, nec tutum, peccati quæ sit origo,
  Scribere; tractari vulnera nostra timent.
Qualicumque modo mihi sint ea facta, rogare
  Desine; non agites, si qua coire velis.
Quicquid id est, ut non facinus, sic culpa vocandum:
  Omnis an in magnos culpa Deos scelus est?

9. *Meliore fide.*] Meliore animo, quam tu; aut non vacando magis ulli rei, quam ingenuis artibus; aut quia eas bene intelligis, et fideliter interpretaris.

10. *Militiæque labor.*] Ex quo designat eum rei militaris studiosum, et, quum per illam licet, liberalibus disciplinis operam dare. Mer. *Quam sinit officium.* Scribe *Qua*, ut sit dictum pro quatenus, hoc sensu: neque quisquam meliore fide sequitur studia humaniora, quam tu, quatenus id quidem per officium et labores militares abs te fieri potest. Nisi quis et *Quam*, eodem modo pro *quantum*, positum malit. Mic.

15. *Tecum tunc aberant.*] Hoc est, tu cum tuis solatiis procul eras. *Mentis ægræ.* Quas meæ menti tristi adlaturus fueras, si adfuisses.

17. *Fer opem, precor, eminus unam.*] Malim *unum*, quod unum superest. Heins. *Eminus.* Procul a mea regione.

18. *Tuo,* &c.] Tuis verbis et literis.

26. Bene occupat per interrogationem, et qualitatem sui facti tractat loco definitionis, quia, quod facto nomen imponat, nondum certus est, ut Fabricius jam monuit. *Omnis at* nonnulli editi. Heinsius corrigere voluit, *ad-deos* h. e. apud deos, aut lubentius: *Omnis an ad magnos culpa scelesta deos:* sed recte censet Burmannus, nihil esse mutandum, quod culpa in homines non est semper scelus, sed in Deos culpa etiam pro scelere habetur,

Spes igitur menti pœnæ, Græcine, levandæ
  Non est ex toto nulla relicta meæ.
Hæc Dea, quum fugerent sceleratas numina terras,
  In Dîs invisa sola remansit humo:
Hæc facit, ut vivat vinctus quoque compede fossor,
  Liberaque a ferro crura futura putet:
Hæc facit, ut, videat quum terras undique nullas,
  Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem sollers medicorum cura reliquit;
  Nec spes huic vena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem;
  Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quam multos laqueo sua colla ligantes
  Non est proposita passa perire nece!
Me quoque conantem gladio finire dolorem
  Arcuit, injecta continuitque manu.
Quidque facis? lacrymis opus est, non sanguine, [dixit;
  Sæpe per has flecti principis ira solet.
Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
  Magna tamen spes est in bonitate Dei.

et Dii iniqui et crudeles nullam inter culpam et scelus differentiam esse patiuntur. Conf. Trist. ii. 108. Harles.

30. *Remansit sola.*] Quod ideo fingunt poetæ, quia neminem unquam destituit spes. Locus hic ex Theognide translatus videtur:

Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν.
Ἄλλοι δ' Οὔλυμπον δ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν,
Ὤιχετο μὲν Πίστις, μεγάλη θεὸς, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη, Χάριτές τ', ὦ φίλε, γῆν ἔλιπον.

31. *Hæc facit.*]

Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος, ὅστις ἐλπίσιν
Πέποιθεν αἰεί.

Eurip. Her. Fur. Cic. ad Famil. *Optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt.*

33. *Hæc facit, ut, videat.*] Spes etiam facit, ut naufragus in medio mari destitutus, quamvis nullas videat terras, speret se evasurum.

36. *Vena deficiente.*] Viribus collapsis. Id enim inter signa mortis enumerat Plin. in vii. cap. 51.

46. *In bonitate Dei.*] In Augusti clementia. Mer.

Qui ne difficilis mihi sit, Græcine, precare;
Confer et in votum tu quoque verba meum:
Inque Tomitana jaceam tumulatus arena,
Si te non nobis ista vovere liquet.
Nam prius incipiant turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas,
Quam male se præstet veteri Græcinus amico:
Non ita sunt fatis omnia versa meis.

EPISTOLA VII.

MESSALLINO.

Litera pro verbis tibi, Messalline, salutem,
Quam legis, a sævis adtulit usque Getis.
Indicat auctorem locus? an, nisi nomine lecto,
Hæc me Nasonem scribere verba, latet?
Ecquis in extremo positus jacet orbe tuorum,
Me tamen excepto, qui precor esse tuus?

47. *Qui ne difficilis mihi sit.*] Ita est misericors Cæsar, ut tamen rogari velit. Ergo roga eum pro me, &c. Pont.

49. *Inque Tomitana.*] Sensus est: et nunquam reditum in patriam impetrem, sed moriar in exsilio Tomitano, si non est mihi exploratum, te desiderare reditum meum. Ciof. Nulla difficultas in his verbis: jurisjurandi enim et devotionis est formula: mori hic et tumulari voveo, si non credam te mihi reditum vovere. Malim tamen, *Jamque Tomitana*, ut statim sibi mortem præsentem imprecetur. Burm.

50. *Si non liquet.*] Si non est manifestum. *Vovere.* Vovendo optare.

5. *Ecquis tuorum.*] Numquis tuorum amicorum, aut clientum. *Et quis* nonnulli; *En quis* P. Dan. *In extremo orbe.* In ultima septemtrionis plaga. *Jacet.* Aut habitat; aut revera tanquam mortuus et prostratus jacet. Hoc autem dicit non sine magno dolore.

6. *Qui precor esse tuus.*] Qui Ovidius cupio ut sim tuus, nec a te destituar. Mer.

Quaque ego permisi, quaque est res passa, pepercit;
  Usus et est modice fulminis igne sui:
Nec vitam, nec opes, nec ademit posse reverti,
  Si sua per vestras victa sit ira preces.
At graviter cecidi: quid enim mirabile, si quis
  A Jove percussus non leve vulnus habet?
Ipse suas ut jam vires inhiberet Achilles,
  Missa graves ictus Pelias hasta tulit.
Judicium nobis igitur quum vindicis adsit,
  Non est cur tua me janua nosse neget.
Culta quidem, fateor, citra quam debuit, illa:
  Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.
Nec tamen officium sensit magis altera nostrum:
  Hic, illic, vestro sub Lare semper eram.
Quæque tua est pietas; ut te non excolat ipsum,
  Jus aliquod tecum fratris amicus habet.
Quid, quod, ut emeritis referenda est gratia semper,
  Sic est fortunæ promeruisse tuæ?

45. *Quaque ego permisi*, &c.] Hoc est, pepercit mihi eatenus, sive quantum quum ipse merito atque delicto meo permisi illum, tum etiam causæ qualitas passa est. MICYL.

50. *Ab Jove.*] Ab Augusto.

52. *Pelias.*] Hasta Achillis fraxinea.

53. *Judicium vindicis.*] Judicium ultoris Augusti intellige, quod ultus fuit crimen meum admissum, me relegando.

56. *Hoc quoque.*] Hoc etiam, ut domum tuam minus colerem, quam deberem: quemadmodum etiam fuit in meis fatis, ut relegarer.

57. *Nec tamen officium.*] Ego ex scriptorum vestigiis lego:

Nec tamen officium sensit magis altera nostrum:
  Hic, illic, vestro sub Lare semper eram.

Sive te, sive fratrem colerem, eram tamen sub vestro Lare.

59. *Quæque tua est pietas.*] Et cujusmodi tuus est amor erga fratrem. Ostendit autem, Messallino se amicum esse debere causa fratris, quocum magnam sibi fuisse amicitiam docet.

61. *Emeritis.*] Amicis jam functis officio erga amicum, et postea quiescentibus; vel valde meritis. Virg. Georg. ii. 65:

Eduræ coryli nascuntur;

ut sit sensus: quod si de nobis bene meritis debemus semper gratiam referre; ad fortunam tuam felicem pertinet novos amicos parare, etiam si nihil de te meriti sunt, quasi innuat debere Messallinum poetam sibi novum amicum conciliare, et ipsi favere.

62. *Sic est tuæ fortunæ.*] Sic ad te,

Quod si permittis nobis suadere, quid optes:
  Ut des, quam reddas, plura, precare Deos.
Idque facis, quantumque licet meminisse, solebas
  Officii causam pluribus esse dati.
Quolibet in numero me, Messalline, repone;
  Sim modo pars vestræ non aliena domus:
Et mala Nasonem, quoniam meruisse videtur,
  Si non ferre doles, at meruisse dole.

EPISTOLA VIII.

SEVERO.

A TIBI dilecto missam Nasone salutem
  Accipe, pars animæ magna, Severe, meæ.
Neve roga, quid agam; si persequar omnia, flebis:
  Summa satis nostri si tibi nota mali,
Vivimus adsiduis expertes pacis in armis,
  Dura pharetrato bella movente Geta.
Deque tot expulsis sum miles in exsule solus:
  Tuta, nec invideo, cætera turba jacet.

qui es potens, et uteris feliciori fortuna quam ego, hoc pertinet. *Promeruisse.* Beneficiis conciliasse et juvisse.

64. *Ut des.*] Dandis magis quam accipiendis beneficiis amicos paret.

66. *Esse causam officii dati pluribus.*] Te esse causam, quod plures beneficia consecuti fuerint. MER.

67. *Quolibet.*] Vel in numero amicorum tuorum, vel amicorum fratris tui.

69. *Si non doles Nasonem ferre mala.*] Si non tristaris me Ovidium in exsilio inquietissimo versari.

70. *At meruisse dole.*] Saltem dole quod meritus sum relegari ab Aug. quasi dicat, saltem dole quod fuerim infelix.

6. *Geta pharetrato.*] Geta populo sagittifero; sagittis enim veneno illitis in bello Getæ utebantur.

7. *Deque tot expulsis.*] Et de tot civibus exsulantibus. *Solus sum miles in exsule.* Solus sum miles pariter et exsul; bello scilicet et exsilio damnatus.

8. *Cætera turba.*] Reliqui Romani exsules præter me. *Jacet turba.* Non armis vexatur.

Quoque magis nostros venia dignere libellos,
Hæc in procinctu carmina facta leges.
Stat vetus urbs, ripæ vicina binominis Istri,
Mœnibus et positu vix adeunda loci.
Caspius Ægypsos, de se si credimus ipsis,
Condidit; et proprio nomine dixit opus.
Hanc ferus Odrysiis inopino Marte peremtis
Cepit, et in regem sustulit arma Getes.
Ille memor magni generis, virtute quod auget,
Protinus innumero milite cinctus adest:
Nec prius abscessit, merita quam cæde nocentum
Se nimis ulciscens, exstitit ipse nocens.
At tibi, rex, ævo, detur, fortissime, nostro,
Semper honorata sceptra tenere manu.

10. *Hæc in procinctu carmina facta leges.*] In procinctu, raptim. Metaphora a militibus in bellum profecturis, qui celeriter absque ulla solemnitate testamentum, quod in procinctu dicebatur, faciebant. Cic. lib. de Orat. *Tanquam in procinctu testamentum faceret.*

11. *Istri binominis.*] Istri habentis duo nomina. *Danubius* enim usque ad Axium oppidum adpellatur: inde vero usque ad mare *Ister* dicitur. Mer.

12. *Et positu loci.*] Et ipsius loci situ. Mer. In arduo scil. et saxoso loco et prope inaccesso. Pont.

13. *Caspius Ægypsus.*] Ægypsus e gente Caspia, quæ nomen portis et mari dedit: ut est auctor Plinius, lib. vi. Fuit Ægypsus urbs in Mœsia inferiore.

15. Odrysi sive Odrusæ gens fuit Thraciæ nobilis et potens, hinc Odrysius poetis est Thracius. Harles.

16. Bellum suscepit contra regem Thraciæ tunc imperantem; qui videtur fuisse Rhœmetalces, aut filius ejus Cotys, ad quem scripta est elegia 9. libr. ii. Utriusque mentio est apud Tacitum, Annal. ii. 64. Verosimile est, hæc contigisse in illa Getarum et Sarmatarum irruptione, quæ memoratur a Dione, iv. p. 568. sqq. aut Strabone, libr. vii. duce Getarum Borebaste. Recuperata est Ægissus a Vestali Mœsiæ præside, vide infra iv. 7. 21. Verpoorten. Hinc intelligitur laus et Apostrophe elegans ad regem, v. 21. sqq. qua poeta historicæ narrationi lumen quoddam et colorem adfert. *Gregem* cod. Erfurt. Harles.

17. *Ille.*] Rex scilicet. *Quod auget virtute.* Quod genus propria virtute ille magis clarum facit.

18. *Adest.*] Cum magno exercitu ad oppidum captum revertit.

19. *Merita cæde nocentum.*] Morte quam meriti fuerant nocentes Getæ, a quibus oppidum improviso captum dixerat: nam ad unum omnes interemit.

21. *At tibi, rex.*] Nunc vertit sermonem ad regem qui virtute oppidum Tomo finitimum recepit.

Teque, quod et præstat, quid enim tibi plenius op-
Martia cum magno Cæsare Roma probet. [tem?
Sed memor unde abii, queror, o jucunde sodalis,
Accedant nostris sæva quod arma malis.
Ut careo vobis Stygias detrusus in oras,
Quatuor autumnos Pleias orta facit.
Nec tu credideris urbanæ commoda vitæ
Quærere Nasonem: quærit et illa tamen.
Nam modo vos animo dulces reminiscor, amici;
Nunc mihi cum cara conjuge nata subit:
Eque domo rursus pulchræ loca vertor ad urbis,
Cunctaque mens oculis pervidet illa suis.
Nunc fora, nunc ædes, nunc marmore tecta theatra;
Nunc subit æquata porticus omnis humo.
Gramina nunc campi pulchros spectantis in hortos,
Stagnaque et Euripi, Virgineusque liquor.
At, puto, sic urbis misero est erepta voluptas,
Quolibet ut saltem rure frui liceat.
Non meus amissos animus desiderat agros,
Ruraque Peligno conspicienda solo;

23. *Teque, quod et præstat.*] Optat etiam Ovidius, ut rex ille sit carus Romanæ civitati et Cæsari.

28. *Pleias orta.*] De ortu hoc intellige, quem *acronychum* vocant; hoc est, quo vesperi supra terram feruntur: id enim fit autumno. Mer.

35. *Nunc marmore tecta.*] Vitruvius, lib. v: "Post scenam porticus sunt constituendæ, uti quum imbres repentini interpellaverint, habeat populus quo se recipiat ex theatro." Potes etiam per theatra tecta marmore, intelligere theatrum M. Scauri, quod maximum omnium, quæ unquam fuere humana manu facta.

37. *Gramina nunc campi.*] Herbas campi proximi campo Martio.

38. *Stagnaque.*] In quibus aqua ex aquæductibus defluens colligebatur in campo Martio. v. Trist. iii. 12. 21. Possis tamen et intelligere lacum, quem Julius Cæsar effodi curavit trans Tiberim, ad navalem pugnam exhibendam, de quo Suet. c. 39. Verpoort. Euripi sunt h. l. aquæductus et canales aquarum. Senec. Epist. 83 et 90. ibique Lipsium. De aqua virgine vide ad Tr. iii. 12. 22. Harles.

41. *Amissos agros.*] Agros relictos, non autem ereptos ab Augusto: quod exsulibus fieri solebat, non relegatis.

42. *Solo Peligno.*] In terra Pelignæ regionis; in agro Sulmonensi.

Nec quos piniferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Clodia juncta viæ.
Quos ego nescio cui colui, quibus ipse solebam
Ad sata fontanas, nec pudet, addere aquas.
Sunt ibi, si vivunt, nostra quoque consita quondam,
Sed non et nostra poma legenda manu.
Pro quibus amissis utinam contingere possit
Hic saltem profugo gleba colenda mihi!
Ipse ego pendentes, liceat modo, rupe capellas,
Ipse velim baculo pascere nixus oves:
Ipse ego, ne solitis insistant pectora curis,
Ducam ruricolas sub juga panda boves:
Et discam Getici quæ norint verba juvenci;
Adsuetas illis adjiciamque minas:
Ipse, manu capulum pressi moderatus aratri,
Experiar mota spargere semen humo:

44. *Clodia.*] Sic emendavit Heinsius, quem vide, ex Sarraviano, quocum consentit cod. Bavar. Alii, uti quoque Erfurt. *Claudia*, quæ Micyllum valde vexavit. *Clodia*, inquit Heins. adpellabatur hæc via, per quam iter Roma, Lucam, Pistorium et Florentiam fiebat, ut ex Antonini Itinerario discimus, h. e. per Apeninum; ut jam constet, quinam piniferi colles sint Nasoni, quum Apeninus pinum etiamnum frequentissimam ferat. Ac Burmann. laudat Berger de Publicis Romanorum Viis, libr. iii. cap. 22. atque, Via Clodia, inquit Burmann. et Flaminia non longe ab Urbe jam divortium fecerant; quum Flaminia ad dextram tenderet per saxa rubra ad Narniam; Clodia ad sinistram Veios et Sutrium, ita ut circa Veios discessisse putem: horti ergo positi videntur fuisse inter Veios et Romam. Flaminiam viam, a L. Flaminio, Censore, munitam, instauravit Augustus. v. Sueton. Aug. c. 30. In Addendis Burm. tom. iv. p. 262. "Suspicionem, ait, quam habui de via Clodia, egregie vidi nuper confirmatam a doct. Poleno, qui ad Frontini Aquæd. n. 71. docet, Flaminiam a Clodia discessisse ad Tiberim, et illam ad Rubros discessisse ad dextram, hanc in sinistram ad Sextum abiisse, et ibi Cassiam ex illa per Veios, Nepe, etc. ad Clusium tetendisse, ibi iterum Clodiæ fuit juncta; quæ pluribus doctissime explicat, et oculis subjicit adjecta tabella." HARLES.

54. *Sub juga panda.*] Sub curva juga.

57. *Capulum.*] Stivam. *Aratri pressi.* Aratri depressi.

58. *Mota humo.*] Proscissa terra.

Nec dubitem longis purgare ligonibus arva,
  Et dare, quas sitiens combibat hortus, aquas.
Unde, sed hoc nobis, minimum quos inter et hostem
  Discrimen murus clausaque porta facit?
At tibi nascenti, quod toto pectore lætor,
  Nerunt fatales fortia fila Deæ.
Te modo campus habet, densa modo porticus umbra;
  Nunc, in quo ponas tempora rara, forum.
Umbria nunc revocat; nec non Albana petentem
  Appia ferventi ducit in arva rota.
Forsitan hic optes, ut justam supprimat iram
  Cæsar, et hospitium sit tua villa meum.
Ah! nimium est, quod, amice, petis! moderatius opta,
  Et voti, quæso, contrahe vela tui.
Terra velim propior, nullique obnoxia bello
  Detur; erit nostris pars bona demta malis.

EPISTOLA IX.

MAXIMO.

Quæ mihi de rapto tua venit epistola Celso,
  Protinus est lacrymis humida facta meis:

59. *Purgare arva.*] Malas herbas evellere. *Longis ligonibus.* Ligonibus habentibus longum capulum.

60. *Et dare aquas.*] Et irrigare.

61. *Unde sed hoc nobis.*] Subaudi, opto. *Inter quos.* Inter nos Tomitanos. *Et hostem.* Et Getas qui Tomon infestant.

64. *Fortia fila.*] Prosperam vitam, cujus fila non facile rumpuntûr.

65. *Campus.*] Campi Martii certamina et exercitationes. *Densa modo porticus.* Aliquando tenet te, inquit, porticus aliqua cum hortis nemorosis.

66. *In quo ponas rara tempora.*] In quo raro causas defendis: quam rem felicitati adscribit. Mart. *Lis nunquam, toga rara, mens quieta.*

67. *Umbria te revocat.*] In Umbriam revertis, quæ in medio Sabiniæ ac Thusciæ olim jacebat. *Petentem Albana.* Te euntem in Albanum prædium: Alba autem Marsis finitima fuit in excelso saxo locata.

68. *Ferventi rota.*] Veloci curru.

71. *Ah nimium est.*] Quia nunquam tibi præstabit Augustus, ut relegatus in agrum tuum perveniam.

72. *Et contrahe vela tui voti.*] Et voti tui desiderium restringe.

Quodque nefas dictu, fieri nec posse putavi,
Invitis oculis litera lecta tua est.
Nec quidquam ad nostras pervenit acerbius aures,
Ut sumus in Ponto, perveniatque precor.
Ante meos oculos tanquam præsentis imago
Hæret, et exstinctum vivere fingit amor.
Sæpe refert animus lusus gravitate carentes;
Seria cum liquida sæpe peracta fide.
Nulla tamen subeunt mihi tempora densius illis,
Quæ vellem vitæ summa fuisse meæ.
Quum domus ingenti subito mea lapsa ruina
Concidit, in domini procubuitque caput,
Adfuit ille mihi, quum pars me magna reliquit,
Maxime, fortunæ nec fuit ipse comes.
Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quam si frater in igne foret:
Hæsit in amplexu, consolatusque jacentem est,
Cumque meis lacrymis miscuit usque suas.
O quoties, vitæ custos invisus amaræ,
Continuit promtas in mea fata manus!

8. *Hæret.*] An, *Errat.* Burm.

9. *Sæpe refert.*] Sæpe repræsentat. *Lusus gravitate carentes.* Jocos ejus minime severos.

10. *Liquida.*] h. e. certa, de qua mihi liquebat, incorrupta, pura. Metaph. ab aere claro et sereno. Plaut. Mostellar iii. 2. 64. *Tam liquidus est, quam liquida esse tempestas solet.* Verpoort.

11. *Densius.*] Crebrius. *Istis.* Id est, temporibus Celsi, quando una eramus Romæ.

12. *Fuisse summa.*] Scilicet, postrema.

14. *Concidit.*] Corruit. Designat autem tempus quo jussit eum Augustus in exsilium ire. *In caput domini.* In caput et perniciem meam.

16. *Fortunæ nec fuit ille comes.*] Ille a me discedentem fortunam non secutus est. Illi enim sunt fortunæ comites, qui quo se illa, eo et ipsi, et eorum favor inclinat.

17. *Mea funera.*] Meam calamitatem exsiliumque.

21. *Custos invisus.*] Celsus mihi infestus, quod custodiebat, ne me interficerem.

22. *Continuit.*] Remoratus est. *Promtas in mea fata.* Expeditas et paratas ad me interficiendum.

O quoties dixit: placabilis ira Deorum est;
Vive, nec ignosci tu tibi posse nega.
Vox tamen illa fuit celeberrima: respice quantum
Debeat auxilii Maximus esse tibi:
Maximus incumbet; quaque est pietate, rogabit,
Ne sit ad extremum Cæsaris ira tenax:
Cumque suis fratris vires adhibebit, et omnem,
Quo levius doleas, experietur opem.
Hæc mihi verba malæ minuerunt tædia vitæ:
Quæ tu, ne fuerint, Maxime, vana, cave.
Huc quoque venturum mihi se jurare solebat,
Non nisi te longæ jus sibi dante viæ:
Nam tua non alio coluit penetralia ritu,
Terrarum dominos quam colis ipse Deos.
Crede mihi; multos habeas quum dignus amicos,
Non fuit e multis quolibet ille minor.
Si modo nec census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.

23. *Ira Deorum.*] Ira Augusti et ejus liberorum.

25. *Illa fuit celeberrima.*] Male explicant quidam, præcipue memorabilem, quum sit, frequenter usitata.

29. *Cum suis.*] Subaudi *viribus*. *Fratris vires.* Vires fratris Maximi, qui Augusto quoque erat carus.

33. *Solebat.*] Franc. et undecim alii *volebat*: sc. quum valediceret mihi.

34. *Nisi te dante jus.*] Nisi te ei concedente, ut longa navigatione me adiret. Vel etiam: non alio, seu nemine nisi te dante jus longæ viæ, ut sit in gratiam Maximi dictum.

36. *Deos dominos terrarum.*] Augustum ac ejus liberos.

39. *Si modo non census.*] Quir dixerat, Celsum non fuisse minorem aliquo ex amicis Maximi, ostendit id verum esse, si hominum ingenia et mores consideramus, non fortunas, aut majores. *Si modo non census: ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα*, Theocrit. Idyll. xv. ver. 24:

Πολλοὶ γὰρ πλουτοῦσι κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένονται,
Ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμεμψόμεθα
Τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδόν ἐστι,
Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Solonis versus ad Plutarchum, in ejusdem Vita.

40. *Sed probitas.*] Sed virtus. Sic Juven. Sat. viii. 20. *nobilitas sola est atque unica virtus.*

Jure igitur lacrymas Celso libamus ademto,
Quum fugerem, vivo quas dedit ille mihi:
Carmina jure damus raros testantia mores,
Ut tua venturi nomina, Celse, legant.
Hoc est, quod possum Geticis tibi mittere ab arvis;
Hoc solum est istic, quod liquet esse meum.
Funera nec potui comitare, nec ungere corpus;
Aque tuis toto dividor orbe rogis.
Qui potuit, quem tu pro numine vivus habebas,
Præstitit officium Maximus omne tibi.
Ille tibi exsequias, et magni funus honoris
Fecit, et in gelidos versit amoma sinus:
Diluit et lacrymis mœrens unguenta profusis;
Ossaque vicina condita texit humo.
Qui quoniam exstinctis, quæ debet, præstat amicis,
Et nos exstinctis annumerare potest.

EPISTOLA X.

FLACCO.

Naso suo profugus mittit tibi, Flacce, salutem;
Mittere rem si quis, qua caret ipse, potest.

42. *Quum fugerem.*] Quum in exsilium proficiscerer.

43. *Raros mores.*] Mores nobiles, qui in raris esse solent.

44. *Venturi.*] Τοῖς ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Homer.

47. *Ungere corpus.*] *Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit*, Ennius.

51. *Magni funus honoris.*] Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

52. *Versit.*] h. e. infudit, effudit, a *vergo*, quod in sacrificiis inferorum occurrit. Sic dedit Heinsius et pluribus probavit exemplis: adde Virgil. Æn. vi. 244. ibique Servium. Harles.

54. *Humo vicina.*] Terra sepulcro suo contigua, vel Romæ proxima.

55. *Quod debet.*] Septem; dein *præstat* tres codd. Egregie autem observat Verpoortenius, Ovidium occulte petere, ut sibi quoque Maximus velit debita officia præstare, reditum impetrando. Harles.

Longus enim curis vitiatum corpus amaris
Non patitur vires languor habere suas.
Nec dolor ullus adest, nec febribus uror anhelis;
Et peragit soliti vena tenoris iter:
Os hebes est, positæque movent fastidia mensæ,
Et queror, invisi quum venit hora cibi.
Quod mare, quod tellus, adpone, quod educat aer,
Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit.
Nectar et ambrosiam, latices epulasque Deorum,
Det mihi formosa nava Juventa manu:
Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum;
Stabit et in stomacho pondus inerte diu.
Hæc ego non ausim, quum sint verissima, cuivis
Scribere, delicias ne mala nostra vocent.
Scilicet is status est, ea rerum forma mearum,
Deliciis etiam possit ut esse locus.
Delicias illi precor has contingere, si quis,
Ne mihi sit levior Cæsaris ira, timet.

3. *Longus.*] Quamobrem salute careat ostendit.

5. *Anhelis.*] Quæ corpus anhelum faciunt.

Anhelis.] Quæ ob æstum et sitim respirationem brevem, difficilem et celerem efficiunt. HARLES.

6. *Vena.*] Quæ ultra modum micare et salire solet febricitantibus.

7. *Os hebes est, positæque movent fastidia mensæ.*] Os est tardum et impotens ad conficiendum cibum; nulla cibi adpetentia movetur.

11. *Latices epulasque Deorum.*] Hic exprimit quid sit nectar et ambrosia; hæc cibus, illud potus Deorum.

12. *Gnava Juventa.*] Argent. *nava Juventa;* recte: ita enim scribebant ut passim in veterrimo cod. Silii Italici. Seneca Hercule Œtæo. *In tempore ipso gnavus obcurrit Lichas;* ubi veterrimus Mediceus *novus*, hoc est *navus*. HEINS. *Juventa*. Grati ministri. Immo Hebe, quæ Latinis *Juventa* dicitur: fingunt autem poetæ Heben Diis ministrare pocula. *Formosa manu.* Candida et pulchra manu. MER.

14. *Pondus inerte.*] Cibus gravis et crudus. MER. Tu construe: stabit et cibus in stomacho inerte; ut sit inerte, pro inerti, ablativo casu dictum: *iners* est autem *stomachus*, quando suum officium non facit, hoc est, non concoquit ac digerit.

16. *Delicias.*] h. l. fastidium hominis delicati. HARLES.

17. *Scilicet is status est.*] Ironice hoc dictum est, ex quo designat se præ nimio dolore non posse deliciis vacare.

Is quoque, qui gracili cibus est in corpore, somnus,
Non alit officio corpus inane suo.
Sed vigilo, vigilantque mei sine fine dolores,
Quorum materiam dat locus ipse mihi.
Vix igitur possis visos agnoscere vultus;
Quoque ierit, quæras, qui fuit ante, color.
Parvus in exiles succus mihi pervenit artus,
Membraque sunt cera pallidiora nova.
Non hæc immodico contraxi damna Lyæo:
Scis mihi quam solæ pæne bibantur aquæ.
Non epulis oneror; quarum si tangar amore,
Est tamen in Geticis copia nulla locis.
Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas:
Non solet in mœstos illa venire toros.
Unda locusque nocent; causaque nocentior omni,
Anxietas animi, quæ mihi semper adest.
Hanc nisi tu pariter simili cum fratre levares,
Vix mens tristitiæ mœsta tulisset onus.
Vos estis fragili tellus non dura phaselo;
Quamque negant multi, vos mihi fertis opem.

24. *Quorum materiam dat.*] Locus ubi exsulo est asper, et ideo mihi præbet materiam dolorum.

27. *Parvus succus.*] Modicus humor et sanguis.

28. *Cera pallidiora.*] Ex hac comparatione vim et potestatem voc. *pallidus* intelliges, qui colorem fere refert herbarum foliorumque flaccescentium et arescentium; vide Salmas. in Exercitt. Plinian. pag. 811, 812. ubi inter alia dicit: sanguine recedente nativus rubor fugit et pallore mutatur. Hi sunt, quos proprie *pallidos* dicimus. Alio loco: Pallidus color nullus est, sed est affectus omnium colorum dilutiorum ac pallescentium. Adde Ovid. Metam. iv. 134. *oraque buxo Pallidiora gerens*, confer Trist. iii. 8. 27. sqq. Harles.

35. *Unda locusque nocent.*] Nocet, inquit, aqua et aer, vel loci asperitas.

37. *Simili cum fratre*, &c. Videtur is Græcinus esse, ut infra lib. iv. Eleg. ix. Micyl.

39. *Fragili.*] Sic e Barberino rescripsit Heinsius et pluribus illustravit exemplis. *Phaselum* autem derivat, de Allio ad Catullum (Venet. 1738.) pag. 8. *ἀφάσσων* velum, et *ἐλάω* remigo, hinc *velis* ac *remis* currit, et *Catull.* carm. 4. de eo dicit, *sive palmulis Opus foret volare sive linteo.* Alii derivant a Phaselide urbe Pamphiliæ,

Ferte, precor, semper, quia semper egebimus illa,
Cæsaris offensum dum mihi numen erit.
Qui meritam nobis minuat, non finiat iram,
Suppliciter vestros quisque rogate Deos.

alii aliter. Vide Vossium in Etymol. sub h. v. Nonius scribit, phaselum esse navigium campanum, et De Allio putat, nostro, vulgo *félouque*, *feluca*, fortasse similem esse. Ad de Servium ad Virgil. Georg. iv. 289. Harles.

Tellus non.] Terra mollis, cujus illisu non potest navis frangi: hoc est, locus tutus. Hanc, poetis perquam familiarem, sive de republica, sive de sua fortuna loquentibus, figuram concinnius expressit recentior vates, ingenio necnon et infortuniis nostro similior, Torquatus, Gerus. liber. i. 25. sqq.

43. *Non finiat.*] Non sinat me semper esse exsulem. Non finiat iram, id est, det saltem mitius exsilium.

PUBLII OVIDII NASONIS

EPISTOLARUM

EX PONTO.

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA PRIMA.

GERMANICO CÆSARI.

Huc quoque Cæsarei pervenit fama triumphi,
  Languida quo fessi vix venit aura Noti.
Nil fore dulce mihi Scythica regione putavi.
  Jam minus hic odio est, quam fuit ante, locus.
Tandem aliquid, pulsa curarum nube, serenum
  Vidi; fortunæ verba dedique meæ.
Nolit ut ulla mihi contingere gaudia Cæsar,
  Velle potest cuivis hæc tamen una dari.
Dî quoque, ut a cunctis hilari pietate colantur,
  Tristitiam poni per sua festa jubent.

1. *Huc quoque*, &c.] Disputat hoc loco Merula, de Tiberiine ovatione, an de Germanici triumpho, Elegia hæc intelligenda sit. Scripsit enim hæc Ovid. proximo ante obitum Augusti anno, quum jam quadriennium in Ponto fuisset. Tiberius autem ovavit prox. post cladem Varianam, anno tertio antequam hæc ab Ovidio scriberentur; id quod ex Suetonio adparet. Et de triumpho Illyrico, Elegiam hanc intelligimus, qui eodem anno, quo hæc a poeta scripta sunt, gestus fuit, proximo scilicet ante mortem Augusti: id quod ex Suetonii Tiber. ix. colligitur. Et vide Micyllum hac de re latius disserentem.

2. *Vix venit.*] Vix accedit; quasi dicat, in Scythiam, quo vix ventus Notus potest pervenire, accessit fama Cæsaris triumphi.

6. *Fortunæ verba dedique meæ.*] Et decepi fortunam meam.

Denique, quod certus furor est audere fateri,
Hac ego lætitia, si vetet ipse, fruar.
Juppiter utilibus quoties juvat imbribus agros,
Mista tenax segeti crescere lappa solet.
Nos quoque frugiferum sentimus, inutilis herba,
Numen, et invita sæpe juvamur ope.
Gaudia Cæsareæ mentis pro parte virili
Sunt mea: privati nil habet illa domus.
Gratia, Fama, tibi; per quam spectata triumphi
Incluso mediis est mihi pompa Getis.
Indice te didici, nuper visenda coïsse
Innumeras gentes ad ducis ora sui:
Quæque capit vastis immensum mœnibus orbem,
Hospitiis Romam vix habuisse locum.
Tu mihi narrasti, quum multis lucibus ante
Fuderit adsiduas nubilus Auster aquas,
Lumine cœlesti Solem fulsisse serenum,
Cum populi vultu conveniente die.

11. *Quod certus furor est audere fateri.*] Quam rem, ut fruatur hac lætitia poeta, invito Cæsare, quum audeam profiteri, insania quædam videtur.

14. *Tenax lappa.*] Herba illa adhærens. Quod autem inter segetes nascatur lappa, docet etiam Maro, Georg. lib. i. ver. 152. quum inquit:

subit aspera sylva,
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta.

15. Ludit fere poeta in allegoria: se, licet *inutilem*, h. e. pestiferum, noxium (confer Clark. Homer. Il. β. 269. Cuper. Obs. i. cap. 14.) civem e civitateque ejectum, sentire felicitatem, quam Augustus civibus suis præstat, et qui invitus poetæ bene facit. Adeo jam mutata fuerunt Romanorum ingenia, libertatem paullo ante spirantia, nunc quasi serpentia humi. Harles.

16. *Invita ope.*] Gaudio quo nollet me Cæsar adfici.

18. *Privati nil habet illa domus.*] Cæsarum domus nil habet proprium, sed cum omnibus commune: quasi dicat, Victoriam Cæsar patriæ, et civibus suis, non sibi, comparare solet.

19. *Gratia, Fama, tibi.*] Famæ gratias agit, quod per eam factus est certior de pompa Cæsarei triumphi.

21. *Indice te.*] Te fama indicante. *Ad visenda ora ducis.* Ad videndum Cæsaris conspectum.

27. *Numine cœlesti.*] Voluntate divina.

28. *Cum populi vultu, &c.*] Sic ut adspectus cœli serenissimus et jucundissimus, cum hilarissimis populi vul-

Atque ita victorem, cum magno vocis honore,
 Bellica laudatis dona dedisse viris:
Claraque sumturum pictas insignia vestes,
 Tura prius sanctis imposuisse focis:
Justitiamque sui caste placasse parentis,
 Illo quæ templum pectore semper habet.
Quaque ierit, felix adjectum plausibus omen;
 Saxaque roratis erubuisse rosis.
Protinus argento versos imitantia muros,
 Barbara cum victis oppida lata viris:
Fluminaque, et montes, et in altis pascua silvis;
 Armaque cum telis in strue mista suis.

tibus congrueret, et quasi conspiraret. Pont.

29. *Cum magno vocis honore.*] Cum laude eorum militum, quorum virtutes magna voce laudavit imperator, deinde etiam donis militaribus de more donavit.

30. *Bellica dona.*] Dona militaria: ut armillas, hastas puras, torques, phaleras, et alia id genus.

31. *Pictas vestes.*] Vestes triumphales, quibus triumphantes imperatores utebantur.

33, 34. Hic locus difficilis est. Heinsius, intelligit de templo Justitiæ ab Augusto posito. Sed de templo Justitiæ silet historia, ait Verpoorten, cujus notam adscribere juvat. "Conjiciunt nonnulli, respici ad templum Martis Ultoris, aut Justitiæ Augusti templum marmoreum esse ædificatum, ipso vivo; quod repugnare videtur Sueton. in Aug. c. 52. Quid si *ædem Carmentæ* intelligamus, quæ Græcis *Themis* dicta, teste Dionys. Italic. libr. i. quam ædem Augustus, ut ferme omnes alias, refecerit? Sita autem fuit ad portam Carmentalem, cui proxima erat porta Triumphalis, per quam peractis his sacris ingrediendum fuit triumphatori." Harles.

Parentis. Augustum vitricum: quem patrem adpellat, per adoptionem, et Liviam matrem designat.

36. *Rosis roratis.*] Rosis rore adspersis, et recentibus, aut mane cum rore collectis.

37. *Protinus argento,* &c.] Portata sunt, inquit, de more in ea ovatione triumpho simili, oppida ex argento, ad similitudinem captarum civitatum, una cum viris superatis ab ipso Tiberio.

Versos.] Burmann. retinuit *veros*, cum quia non putat, in ferculis muros eversos exhibitos, certe numquam id legit, tum quia verbum *imitari veros* postulare videtur. Sed enim voc. *versos* argutum et valde blandum est; breviter laudat virtutem et gloriam bellicam, atque illi muri, quos verterat Tiberius, in ferculis integri exhiberi poterant. Harles.

40. *Arma.*] Proprie, quæ ab *armis*, h. e. humeris dependent; *tela* quibus procul pugnatur. Fabricius, talis strues, ait, est in hanc diem in monte Esquilino, cui imposita C. Marii trophæa: talis efficta cernitur in nummo quodam Augusti Cæsaris. Harles.

Deque triumphato, quod Sol incenderit, auro
  Aurea Romani tecta fuisse fori.
Totque tulisse duces captivis addita collis
  Vincula, pæne hostes quot satis esse fuit.
Maxima pars horum vitam veniamque tulerunt;
  In quibus et belli summa caputque Bato.
Cur ego posse negem minui mihi numinis iram,
  Quum videam mites hostibus esse Deos?
Pertulit huc idem nobis, Germanice, rumor,
  Oppida sub titulo nominis ìsse tui;
Atque ea te contra, nec muri mole, nec armis,
  Nec satis ingenio tuta fuisse loci.
Dî tibi dent annos! a te nam cætera sumes;
  Sint modo virtuti tempora longa tuæ.

42. *Tecta Romani fori.*] Domus finitimæ foro Romano, vel revera trabes et tecta atrii, quod Cæsar Romanum forum esse voluit, ut eo ad jura simul convenirent, ut docet Appianus. Sane laquearia, quæ postea et in privatis domibus auro tegebantur, post Carthaginem eversam.

43. *Tulisse vincula addita collis.*] Tulisse catenas, quibus eorum colla adligata erant. MER.

44. *Pæne hostes quot satis esse fuit.*] Hoc est, tot numero, quot in toto aliquo exercitu hostium satis esset, fuisse: sive qui justum exercitum complere ac facere potuissent. MICYL.

46. *Bato.*] Intellige Batonem Pannoniorum, vel ut alii, Dalmatarum ducem, cujus Dio, Paterculus, Suetonius, alii meminerunt. HEINS. Vide ad Velleium, lib. ii. cap. 110; nomen vere illud *Batonis* jam antiquum: nam Ponticum *Batonem*, dominum Menippi ex Diocle memorat Diogenes Laertius, lib. vi. 99.

47. *Cur ego posse negem minui, &c.*] Capta occasione, hostium exemplo docet sibi etiam sperandum esse Augustum iratum posse placari, et leniorem fieri.

48. *Deos.*] Augustum et Tiberium.

49. *Rettulit hic* Bavar. mox *isse*, h. e. incessisse, in triumpho prælata fuisse, gravius est, quam τὸ *esse* in Erf. Bavar. et aliis. Germanicus vero in bello illo exercitum duxerat, Seretium, Ardubam, aliaque loca munita expugnaverat, eique postea triumphalia ornamenta decreta sunt honoresque prætorii, et ut sententiam primus post consulares diceret, utque consulatum legibus solutus ambiret. v. Dion. Cassium, libr. lv. lvi. et Heinsium. HARLES.

50. *Isse sub titulo.*] Esse subjectos titulo, in quo erat tuum nomen.

52. *Ingenio loci.*] Natura loci, ut puta in montibus sita.

53. *Cætera.*] Omnes virtutes intellige, et bellicas artes.

Quod precor eveniet: sunt quiddam oracula vatum;
Nam Deus optanti prospera signa dedit.
Te quoque victorem Tarpeias scandere in arces
Læta coronatis Roma videbit equis;
Maturosque pater nati spectabit honores,
Gaudia percipiens, quæ dedit ipse suis.
Jam nunc hæc a me, juvenum belloque togaque
Maxime, dicta tibi vaticinante nota.
Hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum,
Sufficiet nostris si modo vita malis;
Imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas,
Abstuleritque ferox hoc caput ense Getes.
Quod si, me salvo, dabitur tibi laurea templis,
Omina bis dices vera fuisse mea.

55. *Sunt quiddam.*] Ex ingenio Heinsii. h. e. valent aliquid, non plane sunt contemnenda, ut Græcorum *τὶ εἶναι*. Harles.

58. *Equis.*] Equis triumphalibus. Quatuor enim equi albi currum triumphalem trahentes, etiam lauro coronabantur.

59. *Maturos.*] h. e. quum jam ætate *maturiore*, grandiore eris: sic ipse pater adoptivus Tiberius non juvenis Augusto seni hæc gaudia præbet. Ingeniosus poeta Tiberio hisce vitam obiter precatur longævam. *Maturus* pro non properato apud Cæsar. b. Civil. iii. 7. 3. Ciceron. ad Attic. xv. Ep. 4. *exspectandum tempus maturius.* Harles.

61. *Jam nunc hæc a me.*] Ordo est: O Maxime juvenum et bello et toga, jam nunc nota quæ a me vaticinante dicta sunt. Vel manda memoriæ hoc meum vaticinium.

65. *Imbuero Scythicas sagittas.*] Madefecero Scytharum jacula meo sanguine. Heins.

67. *Me salvo.*] Me in patriam reducto per te: vel me incolumi, et non interempto a Scythis. *Dabitur templis.* Templis dicabitur. Coronæ enim triumphaturis in templis deponebantur.

68. *Omina mea.*] Mea vaticinia. *Bis dices*, &c. Narrabis me bis vera tibi vaticinatum fuisse, et quod triumphum adeptus fueris, et quod me servaveris: de triumpho Tiberii, de quo lib. iv. Eleg. ii; et de tuo, Germanice, qui eventurus est.

EPISTOLA II.

MESSALLINO.

Ille domus vestræ primis venerator ab annis,
Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti,
Mittit ab indomitis hanc, Messalline, salutem,
Quam solitus præsens est tibi ferre, Getis.
Heu mihi, si lecto vultus tibi nomine non est,
Qui fuit, et dubitas cætera perlegere!
Perlege, nec mecum pariter mea verba relega:
Urbe licet vestra versibus esse meis.
Non ego concepi, si Pelion Ossa tulisset,
Clara mea tangi sidera posse manu.
Nec nos, Enceladi dementia castra secuti,
In rerum dominos movimus arma Deos.
Nec, quod Tydidæ temeraria dextera fecit,
Numina sunt telis ulla petita meis.

2. *Pulsus ad sinistra Euxini.*] Relegatus in Pontica regione, quæ ingredientibus in parte sinistra adparet.

8. *Licet.*] Quia si poeta est exsul, ejus carmina non sunt relegata cum illo, et ingenii fœtus pœna scriptoris nequit attingere.

9. *Non ego concepi.*] Est ordo: non ego concepi clara sidera posse tangi mea manu, si Ossa tulisset Pelion; hoc est, si Ossa mons habuisset Pelion montem superimpositum.

10. *Posse tangi.*] Posse violari, quemadmodum voluere Gigantes.

11. *Nec nos Enceladi.*] Enceladus Terræ filius fuit: quem fulmine ictum, Ætnæque subpositum scribit Virgil. in lib. iii. Æneid. 578.

12. *Rerum.*] Verpoortenio adludere videtur poeta ad tria Augusti bella civilia, et per primum illud indicare bellum contra Brutum et Cassium in Macedonia; per Enceladum, Sextum Pompeium, quocum in Sicilia et Cumana ora dimicatum est; sub Diomede autem Tydei filio, (audaci et forti heroe in bello Trojano, qui Martem et Venerem pro Trojanis pugnantes vulneravit) innuere M. Antonium, belli peritum ducem, et quocum depugnatum est circa eadem Epiri et Ætoliæ littora, ubi quondam Diomedes regnaverat. Vell. ii. 73 et 84. Indicare igitur videtur poeta, se neque Philippensi bello, neque Siciliensi, neque Actiaco, arma adversus Augustum tulisse. Confer Trist. iii. 5. 45. Mihi quidem vel Verpoorten, vel potius Naso ingenio intemperanter abusus videtur. Harles.

Est mea culpa gravis, sed quæ me perdere solum
Ausa sit, et nullum majus adorta nefas.
Nil, nisi non sapiens possum timidusque vocari:
Hæc duo sunt animi nomina vera mei.
Esse quidem fateor, meritam post Cæsaris iram,
Difficilem precibus te quoque jure meis.
Quæque tua est pietas in totum nomen Iuli,
Te lædi, quum quis læditur inde, putas.
Sed licet arma feras, et vulnera sæva mineris,
Non tamen efficies, ut timeare mihi.
Puppis Achæmeniden Graium Trojana recepit;
Profuit et Myso Pelias hasta duci.
Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem.
Dixerit hoc aliquis tutum non esse; fatemur,
Sed non per placidas it mea puppis aquas.
Tuta petant alii: fortuna miserrima tuta est;
Nam timor eventus deterioris abest.

15. *Sed quæ me perdere solum Ausa sit.*] Sed quod crimen mihi tantum nocuerit, non aliis. Nam quæ aliis nocent, majora sunt crimina, quam ea quæ sibi tantum. Ex quo designat, ut sæpius dixit, peccatum suum errorem potius dicendum, et ideo dignum venia.

18. *Hæc duo nomina.*] Imprudentis scilicet et timidi.

21. *In totum nomen Iuli.*] In omnes ex gente Julia.

23. Verpoorten, adludit, ait, ex more ad militiam Messalini, qui tum Dalmatiæ et Panoniæ præfectus, fortem in bello operam Cæsari navaverat, et sic in armis erat. Harles.

25. *Achem.*] Comes Ulixis, ab hoc in Sicilia relictus, postea ab Ænea, eo veniente, receptus. Fundus est Virg. Æn. iii. 590. 614. sq. ad quem versum cel. Heyne observat, temporis rationi adversari; Ulixem enim inter initia erroris sui ad Cyclopas venisse, at Æneam multo serius. Harles.

26. *Myso duci.*] Telepho regi Mysiæ, provinciæ Phrygiæ, quæ adjacet Hellesponto: cujus historiam abunde diximus in primo de Remedio amoris.

29. *Dixerit hoc aliquis.*] Respondet huic quæstioni. Posset enim aliquis dicere: exemplis probas, poeta, minime timendum esse offensum Augusti numen: ego vero consilium tuum censeo non esse tutum, ab inimico salutem et bona petere. Quod et fatetur Ovidius: sed addit, se cogi quasi per tempestatem, in quemvis portum confugere. Pont.

31. *Fortuna miserrima, &c.*] Quia nihil miseriæ accedere ad summam potest: nec enim summa foret. Pont.

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirat?
  Sæpe creat molles aspera spina rosas.
Qui rapitur spumante salo, sua brachia cauti
  Porrigit, et spinas duraque saxa capit.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
  Audet ad humanos fessa venire sinus:
Nec se vicino dubitat committere tecto,
  Quæ fugit infestos territa cerva canes.
Da, precor, accessum lacrymis, mitissime, nostris,
  Nec rigidam timidis vocibus obde forem;
Verbaque nostra favens Romana ad numina perfer,
  Non tibi Tarpeio culta tonante minus:
Mandatique mei legatus suscipe causam;
  Nulla meo quamvis nomine causa bona est.
Jam prope depositus, certe jam frigidus, ægre
  Servatus per te, si modo server, ero.
Nunc tua pro lapsis nitatur gratia rebus,
  Principis æternam quam tibi præstet amor:
Nunc tibi et eloquii nitor ille domesticus adsit,
  Quo poteras trepidis utilis esse reis.
Vivit enim in vobis facundi lingua parentis,
  Et res heredem repperit illa suum.

33, 34. Hoc distichon a manu recentiori in cod. Bav. adscriptum est, et deest quoque in aliis quibusdam: vv. 35, 36. plane desunt in Bavar. Et Heinsius utrumque distichon superfluum et tollendum esse censet. Harles.

36. *Porrigit ad spinas duraque saxa manus.*] Qui, inquit, fatis rapitur, solet cuicumque loco etiam aspero manus admovere, ut majus periculum evitet.

37. Adludere videtur Verpoort. ad omen Liviæ factum, apud Suet. Galb. 1. Harles.

44. *Tarpeio tonante.*] Jove Capitolino. Vide Virg. Æn. viii. 652; et Lucan. Phars. i. 196; v. 306.

45. *Legatus*, &c.] Vel nuncius, vel orator.

47. *Jam prope depositus.*] Confectus, exanimatus, sepultus: sic Plaut. *Vino depositus*, id est, Vino sopitus.

49. *Pro rebus.*] Pro rebus meis.

51. *Nunc tibi.*] Malim *mihi*. Nunc mihi adsit eloquium tuum. Heins. *Adsit*, id est, patrocinetur: nam *adesse* reis advocati dicuntur.

Hanc ego non, ut me defendere tentet, adoro;
Non est confessi causa tuenda rei.
Num tamen excuses erroris imagine factum,
An nihil expediat tale movere, vide.
Vulneris id genus est, quod quum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse putem.
Lingua, sile; non est ultra narrabile quidquam:
Posse velim cineres obruere ipse meos.
Sic igitur, quasi me nullus deceperit error,
Verba face, ut vita, quam dedit ipse, fruar.
Quumque serenus erit, vultusque remiserit illos,
Qui secum terras imperiumque movent;
Exiguam ne me prædam sinat esse Getarum,
Detque solum miseræ mite, precare, fugæ.
Tempus adest aptum precibus: valet ipse, videtque
Quas fecit vires, Roma, valere tuas.
Incolumis conjux sua pulvinaria servat:
Promovet Ausonium filius imperium.

56. *Non est confessi.*] Causam adsignat, cur non tentet se a Messallino defendi, ut ex eo probet se non ob eam causam venerari hominis linguam. *Causa rei confessi.* Causa mea, quam confessus sum esse infirmam.

59. *Vulneris id genus est.*] Causam adsignat, cur inter excusandum erroris mentionem fieri non utile esse innuat. Adpellat autem crimen, quo Augustum læsit, *vulnus*, idque insanabile esse dicit.

62. *Meos cineres.*] Quasi dicat, velle posse celari cineres suos, ut ejus crimen etiam cum illis lateat.

64. *Quasi me nullus deceperit error.*] Fatendum est me peccasse. *Ut fruar vita.* Fortasse Augustus iratus, mihi vitam, quam concessit, adimeret.

65. *Vultusque remiserit illos.*] Hoc est, vultus illos severos et graves, quorum nutu, sive, intuitu totum imperium commovetur, deposuerit atque exhilararit. MICYL.

67. *Exiguam.*] Forte, *exiguum*, per adpositionem; me exiguum, et vilem ne velit esse prædam. BURM.

71. *Incolumi.*] Non male Sarrav. et Bavar. Livia servat thalamum suum et Augusti, quasi deorum *pulvinaria.* Liviam ergo, ait Verpoort. jam tum quasi sacerdotem Augusti describit, quæ et post ejus obitum ei sacerdos constituta est decreto Senatus; vide Vellei. ii. 75. *Servandi* quoque verbum ex disciplina sacrorum est, uti Vestales æternum ignem *servare* dicuntur. Cf. Tr. i. 8. 50. HARLES.

72. *Filius.*] Tiberius Liviæ filius et Augusti per adoptionem.

Præterit ipse suos animo Germanicus annos,
Nec vigor est Drusi nobilitate minor.
Adde nurus neptesque pias, natosque nepotum,
Cæteraque Augustæ membra valere domus:
Adde triumphatos modo Pæonas, adde quieti
Subdita montanæ brachia Dalmatiæ.
Nec dedignata est abjectis Illyris armis
Cæsareum famulo vertice ferre pedem.
Ipse super currum, placido spectabilis ore,
Tempora Phœbea virgine nexa tulit:

73. *Præterit.*] h. e. fortior et animosior est, quam pro ætate sua. De sobole Augusti multus est Micyllus ad h. l. vide etiam Stemmata editt. Taciti et Suetonii ab Ernesti V. C. adornatis subjuncta. Germanicus est filius Drusi, fratris Tiberii, ab hoc jussu Augusti adoptatus: mox Drusus est Tiberii ex Agrippina filius, cujus uxor Livia fuit, Germanici soror. Harles.

75. *Nurum—neptumque.*] Bavar. et alii vide Heinsium, qui, uti in textu est, ex Argent. Scalig. aliisque reposuit, et Sueton. c. 64. Neptes sunt Agrippina, Germanici uxor, filia Agrippæ ex Julia, et Livilla, Drusi filia: has dicit *pias*, h. e. officii servantes, eoque excludit Juliam juniorem, quæ ob flagitia in insulam Trimerum relegata fuit. v. Tacit. Annal. iv. 71. Harles.

Carosque nepotes.] Caium, Lucium, et Agrippam, Juliæ et Agrippæ filios intellige. Vel Germanici junioris liberos accipe, sub nepotum nomine, ut crebro reperies apud auctores.

76. *Cæteraque Augustæ membra.*] Per membra domus Augustæ, cæteros propinquos et familiares intelligit. *Membra domus.* Plinius etiam eleganter *membra domus* adpellat partes domus; ii. E. 17; Colum. i. 6.

77. *Pæonas.*] h. e. Pannonios, interprete Verpoort. de quo triumpho agit eleg. præced. v. 1. 19. 41. *Penos* codd. Erfurt. et Bavar. Unde vero *Pannonii* vocati sint *Pæones*, nescio: *Pæones* in Macedonia noti sunt. v. Cellarii notit. orbis ii. c. 13. p. 830. (ubi insignis locus de origine et situ *Pæoniæ* ex Pausania v. cap. 1. p. 376. a Cellario prætermissus adscribi potest.) Salmas. exercitt. Plin. p. 179. &c. Jam vero victoria Tiberii finibus Pannoniæ non erat circumscripta. Atque de populis ad Rhodopen montem et Macedoniam maritimam habitantibus intelligit etiam Gesnerus in Thes. L. L. sub h. v. nostrum Ovidii locum, ut postea vidimus. Harles.

79. *Nec dedignata est.*] Illyrii quoque sub Alpibus agebant, imasque valles earum, et quædam quasi claustra custodiebant, abruptis torrentibus impliciti. In hos expeditionem suscepit ipse Augustus, fierique pontes imperavit. Vide Florum, lib. iv. 12. ubi Cæsar, saucius manibus et cruribus, suo sanguine speciosam retulit victoriam.

80. *Vertice famulo.*] Capite subdito: ad pedes Tiberii se prosternere et victum fateri.

82. *Phœbea virg.*] h. e. corona laurea. Daphne enim a Phœbo amata in

Quem pia vobiscum proles comitavit euntem,
  Digna parente suo, nominibusque datis;
Fratribus adsimilis, quos proxima templa tenentes
  Divus ab excelsa Julius æde videt.
His Messallinus, quibus omnia cedere debent,
  Primum lætitiæ non negat esse locum.
Quicquid ab his superest, venit in certamen amoris:
  Hac hominum nulli parte secundus eris.
Hunc colis, ante diem per quem decreta merenti
  Venit honoratis laurea digna comis.

laurum conversa fuit. Heins. scribere jubet, *Penea virgine*, quia Daphne Penei fluminis filia est. Gronov. e Pirkheimeriano codice, *Phœbea conjuge*. At conjux non fuit, nisi speratam eam fuisse dixeris, sed neutro opus est, ut jam bene judicavit Auct. Elect. Eton. Harles.

83. *Pia proles* est Germanicus et Drusus; nam et triumphantium filii solebant cum patre vehi. Liv. 45. 40. *Vobiscum*; h. e. Messallino et reliquis legatis, Tiberii currum prosequutis, quibus triumphalia ornamenta (de quibus v. supra ii. 1. 29.) impetraverat. Sueton. Tiber. c. 20. v. Micyll. et Heinsium. Harles.

84. *Nominibusque datis.*] Heins. malit *ratis*. Germanicus nomen suum non una de Germanis victoria ratum fecit. At enim nihil mutarem, sed de nomine Germanici, aut de adoptatione in nomen Cæsareum intelligerem. Auctor. Elector. Eton. Germanici, credo, inquit, ac imperatorum a principe et senatu; Cæsarum etiam a vulgo *κατ' ἐξοχὴν*, Principumque: alterum ex Tacito constat; alterum credibile, quod filii familias in principum domo erant. Confer Tacit. Annal. iii. 34. Harles.

85. *Adsimiles* conjecerat Heinsius, quod poeta de Druso et Germanico agit et sic scriptum est in Bavar. Germanicus enim adoptione Tiberii filius, frater Drusi: adsimiles autem fratribus, h. e. Castori et Polluci, quorum Tiberius ædem, ut verbis utar Verpoortenii, paucis ante annis dedicaverat, inscripto suo fratrisque Drusi nomine. Dio. L. liv. Sueton. Tib. c. 20. Inter hanc et Saturni ædem ædificata fuit ab Augusto Basilica Julii Cæsaris, ut patet ex monimento Ancyrano. Harles.

87. *His.*] Subaudi Augusti conjugi, liberis et cæteris. *Quibus omnia cedere debent.* Quasi dicat, quibus neminem magis lætari victoria parta et triumpho credendum est.

89. *Venit in certamen amoris.*] Certat in amando Cæsare, hoc est, cum reliquis de amore contendit erga Augustum, et nemini concedit in amore Messallinus.

90. *Hac parte.*] In hoc certamine.

91. *Hunc colit ante diem per quem decreta merenti.*] Forte: *Hunc colis, ante diem per quem decreta merenti*, ut de Tiberio intelligatur, qui Messallino lauream ante diem decreverit. Certe Valerium Messallinum Pannoniæ præfectum huic bello interfuisse Dio testatur. Nec dubium quin inter legatos Tiberii fuerit, quibus hoc bello confecto ornamenta triumphalia

Felices, quibus hos licuit spectare triumphos,
Et ducis ore Deos æquiparante frui.
At mihi Sauromatæ pro Cæsaris ore videndi,
Terraque pacis inops, undaque vincta gelu.
Si tamen hæc audis, et vox mea pervenit istuc,
Sit tua mutando gratia blanda loco.
Hoc pater ille tuus, primo mihi cultus ab ævo,
Si quid habet sensus umbra diserta, petit:
Hoc petit et frater; quamvis fortasse veretur,
Servandi noceat ne tibi cura mei:
Tota domus petit hoc; nec tu potes ipse negare,
Et nos in turbæ parte fuisse tuæ.
Ingenii certe, quo nos male sensimus usos,
Artibus exceptis, sæpe probator eras.
Nec mea, si tantum peccata novissima demas,
Esse potest domui vita pudenda tuæ.
Sic igitur vestræ vigeant penetralia gentis;
Curaque sit Superis Cæsaribusque tui:

impetrarit ab Augusto, teste Suetonio et Dione, hoc est quod *vobiscum comitavit ovantem* paulo ante dixerat, tecum nempe et cum cæteris legatis: nam et Messalam Corvinum Messallini patrem jam senem, a Tiberio adolescente observatum fuisse testis est Suetonius; ut verisimile sit, ipsi quoque Messallino eum favisse. HEINS.

94. *Ore ducis.*] Ore Augusti *Æquiparante Deos*, Diis simili. Triumphantes enim Jovis optimi maximi ornatu decorati, sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, et toga picta, et corona triumphali, laureaque, curru aurato per urbem vecti, in Capitolium ascendebant.

96. *Pacis inops.*] Hostilibus incursionibus obnoxia. *Juncta gelu.* Perpetua glacie concreta.

99. *Pater.*] Messala Corvinus, orator celebris et magnæ apud Brutum, et deinde apud Augustum auctoritatis. HARLES.

100. Frater fuit Valerius Cotta, qui fratre defuncto ipse cognomen Messallini accepit: ad quem scriptæ sunt epist. 8. h. libri et iii. 2. ac 5. HARL.

104. *In parte tuæ turbæ.*] In parte tuorum clientum.

105. *Male usos.*] Quia ingenii et carminum causa relegatus sum.

106. *Artibus exceptis.*] Exceptis libris de Arte amandi, quasi innuat, Messallinum in reliquis ejus ingenium probasse, in artibus vero amatoriis componendis damnasse semper.

107. *Peccata novissima.*] Non placet hoc loco de Arte amandi intelligere, ut putavit Merula. CIOF.

109. *Penetralia.*] Sacra et Dii:

Mite, sed iratum merito mihi numen, adora,
Eximat ut Scythici me feritate loci.
Difficile est, fateor; sed tendit in ardua virtus,
Et talis meriti gratia major erit.
Nec tamen Ætnæus vasto Polyphemus in antro
Accipiet voces Antiphatesve tuas:
Sed placidus facilisque parens, veniæque paratus;
Et qui fulmineo sæpe sine igne tonat.
Qui, quum triste aliquid statuit, fit tristis et ipse;
Cuique fere pœnam sumere pœna sua est.
Victa tamen vitio est hujus clementia nostro;
Venit et ad vires ira coacta suas.
Qui quoniam patria toto sumus orbe remoti,
Nec licet ante ipsos procubuisse Deos;
Quos colis, ad Superos hæc fer mandata sacerdos:
Adde sed et proprias in mea verba preces.
Sic tamen hæc tenta, si non nocitura putabis:
Ignoscas: timeo naufragus omne fretum.

Deorum sacraria: omnia quæ sunt interiora.

110. *Cæsaribusque.*] Et Augusto, Tiberio, Druso, Germanico, et reliquis.

115. *Nec tamen, &c.*] Facultatem impetrandi demonstrat ex humanitate et facilitate Cæsaris, quam e contrariis exaggerat. Non ages cum homine fero et inhumano, quales Polyphemus et Antiphates. Pont.

116. *Antiphatesve.*] Antiphates fuit Læstrigonum rector.

124. *Ante ipsos Deos.*] Ante Augustum et liberos.

125. *Quos colis ad superos.*] Singulis familiis Dii peculiares et peculiaria sacra erant. Sacerdotum autem partes orare pro aliis. Pont. *Sacerdos.* Amicus et carus Augusto, uti sacerdotes Diis. Mer. *Sacerdos Musarum*, est poeta. Hor. iii. Od. 1. 3.

EPISTOLA III.

MAXIMO.

Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas,
Nec sinis ingenium nobilitate premi;
Culte mihi, (quid enim status hic a funere differt?)
Supremum vitæ tempus ad usque meæ:
Rem facis, adflictum non aversatus amicum,
Qua non est ævo rarior ulla tuo.
Turpe quidem dictu, sed, si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prius est, quam quid sit hone-
Et cum fortuna statque caditque fides. [stum:
Nec facile invenias multis in millibus unum,
Virtutem pretium qui putet esse sui.
Ipse decor, recte facti si præmia desint,
Non movet, et gratis pœnitet esse probum.
Nil, nisi quod prodest, carum est: i, detrahe menti
Spem fructus avidæ, nemo petendus erit.
At reditus jam quisque suos amat, et sibi quid sit
Utile, sollicitis subputat articulis.
Illud amicitiæ quondam venerabile numen
Prostat, et in quæstu pro meretrice sedet.

3. *Quid enim status hic a funere differt.*] Quid enim hæc conditio exsulis aliud est, quam mors quædam?

5. *Non aversatus.*] Non rejiciens. Mer. Dum me quamvis relegatum et calamitosum pro amico agnoscis. Pont.

12. *Virtutem pretium,* &c.] Qui existimet virtutem esse per se expetendam, non autem præmii gratia.

13. *Ipse decor recte.*] Ipsa virtutis pulchritudo.

14. *Gratis.*] Sallust. Hist. I: *Nam ubi malos præmia sequuntur, haud quisquam gratuito bonus est.*

16. *Nemo petendus erit.*] Nemo invenietur qui velit virtutem colere.

18. *Computat articulis.*] *Subputat* scripti meliores. Heins. *Sollicitis articulis.* Digitis hominis solliciti et curiosi in ratiocinando. In digitis enim computatio fieri solebat.

20. *Prostat.*] Venale est tanquam meretrix: non enim homines amicitia ducti, amicos eligunt, sed utilitate; et eo pacto videntur amicitiam prosti-

Quique dolor pectus tetigisset Cæsaris alti,
Illum jurabas protinus esse tuum:
Ut tamen audita est nostræ tibi cladis origo,
Diceris erratis ingemuisse meis.
Tum tua me primum solari litera cœpit,
Et læsum flecti spem dare posse Deum.
Movit amicitiæ tum te constantia longæ,
Ante tuos ortus quæ mihi cœpta fuit.
Et quod eras aliis factus, mihi natus amicus;
Quodque tibi in cunis oscula prima dedi;
Quod, quum vestra domus teneris mihi semper ab annis
Culta sit, esse vetus nunc tibi cogor onus.
Me tuus ille pater, Latiæ facundia linguæ,
Quæ non inferior nobilitate fuit,
Primus, ut auderem committere carmina famæ,
Impulit: ingenii dux fuit ille mei.
Nec, quo sit primum nobis a tempore cultus,
Contendo fratrem posse referre tuum.
Te tamen ante omnes ita sum complexus, ut unus
Quolibet in casu gratia nostra fores.
Ultima me tecum vidit, mœstisque cadentes
Excepit lacrymas Italis ora genis.

63. *Cæsaris alti.*] Ad altitudinem, seu fastigium imperii referendum est. Pont.

67. *Tua litera.*] Tua epistola. Mer. *Tunc tua me primum.* Non antea. Quid enim solaretur, quem nondum sontem comperisset. Mer.

68. *Deum læsum.*] Augustum offensum.

70. *Ante tuos ortus.*] Antequam nascereris; tunc enim patre tuo utebar familiariter.

74. *Vetus onus.*] Vetus amicus tibi molestus et onerosus: qui tuis in pueritia mea fui oblectationi.

77. *Ut auderem committere carmina famæ.*] Ut auderem carmina mea in publicum edere.

79. *Nec quo sit primum.*] Sarrav. Twisden. et Argent. secundum quos rescripsit Heinsius, et sic quoque codex Bav. Sens. Adfirmo, fratrem non posse reminisci, quo primum tempore a nobis cultus sit. h. e. a prima infantia fuit cultus. Harles.

84. *Italis* (h. e. Italica) *ora* cor-

Quum tibi quærenti, num verus nuncius esset,
Adtulerat culpæ quem mala fama meæ;
Inter confessum dubie, dubieque negantem
Hærebam, pavidas dante timore notas:
Exemploque nivis, quam solvit aquaticus Auster,
Gutta per adtonitas ibat oborta genas.
Hæc igitur referens, et quod mea crimina primi
Erroris venia posse latere vides;
Respicis antiquum lapsis in rebus amicum,
Fomentisque juvas vulnera nostra tuis.
Pro quibus optandi si nobis copia fiat,
Tam bene promerito commoda mille precer.
Sed si sola mihi dentur tua vota, precabor,
Ut tibi sit, salvo Cæsare, salva parens.
Hæc ego, quum faceres altaria pinguia ture,
Te solitum memini prima rogare Deos.

rectum est in Bavar. ex cujus tamen litura, et, quum *ithalis* scriptum sit, conjicio, eamdem primam fuisse lectionem, quæ est in Sarraviano *Æthali silva*. Heinsius recepit Rutgersii conjecturam *Æthalis Ilva*, h. e. ultima vice tecum fui in *Ilva*, insula maris Tyrrheni, quæ olim *Æthalia* dicta fuit, hodie *Elva*. Auctor. Elector. Etonens. ex itineris ratione copiose refutat Heinsium, et, laudatis Mela II. 4. ac Plinio iii. c. 5. et 10. Ultima, inquit, Italiæ ora Græciam quidem prospectantibus est Hydrus, si cum Geographis ad ipsam veritatem exigamus verba: sed vulgus propter nobilitatem portus *ultimum* ferebat Brundisium. Nec Burmanno verisimile videtur, Ovidium in insula fuisse cum Maximo, quamquam, absentem fuisse Ovidium, nec Romæ versatum, quum Augustus eum exsilio puniret, adpareat ex epistola vii. hujus libri v. 54. *Ultima* vero conjungit cum *vidøt*. In quonam loco oppidove ultimus sibi cum Maximo fuerit congressus et colloquium, nec indicat poeta, nec liquet, nec necessario de Brundisio aut alio oppido capiendus est poeta, quum ante edictum Augusti, diem profectionis, potuerit in alio oppido Maximum vidisse, quo tunc nuncius et mala fama venit irrogati a Cæsare exsilii. Atque, re incerta, acquiesco in recepta lectione et sententia Burmanni. HARLES.

87. *Inter confessum.*] Non adfirmabam, nec negabam verum esse quod ad te de casu meo rumor pertulerat.

91. *Hæc referens.*] Hæc igitur animo tuo subjiciens, tecumque reputans. PONT.

95. *Optandi*, &c.] Eligendi pro tuis commodis.

97. *Sed si sola mihi dentur tua vota.*] Sed si solum mihi daretur optandæ copia ejus rei quam cupis.

100. *Hæc prima.*] Scilicet, ut esset parens salva cum Cæsare.

EPISTOLA IV.

ATTICO.

Accipe colloquium gelido Nasonis ab Istro,
  Attice, judicio non dubitande meo.
Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici?
  Deserit an partes languida cura suas?
Non ita Dî tristes mihi sunt, ut credere possim,
  Fasque putem jam te non meminisse mei.
Ante meos oculos tua stat, tua semper imago est;
  Et videor vultus mente videre tuos.
Seria multa mihi tecum collata recordor;
  Nec data jucundis tempora pauca jocis.
Sæpe citæ longis visæ sermonibus horæ;
  Sæpe fuit brevior, quam mea verba, dies.
Sæpe tuas factum venit modo carmen ad aures,
  Et nova judicio subdita Musa tuo est.
Quod tu laudaras, populo placuisse putabam:
  Hoc pretium curæ dulce recentis erat.
Utque meus lima rasus liber esset amici,
  Non semel admonitu facta litura tuo est.
Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
  Nos via, nos junctis curva theatra locis.

4. *An cura languida.*] An Amor debilitatus longo tempore? *Deserit suas partes.* Suum officium. Mer.

16. *Erat curæ.*] Nam in eo laborabas, ut putarem mea carmina a te emendata populo placere, et tuum judicium tanti facere, quanti judicium totius populi. Mer. *Hoc pretium curæ.* Recentes labores meos in carminibus, hoc dulci pretio, adprobatione videlicet tua, compensabam et solabar. Pont.

17. *Lima amici.*] Tua et amici hominis castigatione ac judicio.

18. *Litura non semel est facta.*] Non semel, sed sæpius expunxi quæ tu non probabas.

19. *Nos fora viderunt pariter.*] Nos eodem tempore in forum descendimus, auspicaturi causas forenses. Solebant enim adolescentuli Romani togam sumere, et barbam ponere, eloquentiamque in foro auspicari. Dicebantur ipsi *tirones*, et illa actio *tirocinium*.

Denique tantus amor nobis, carissime, semper,
  Quantus in Æacidis Actoridisque fuit.
Non ego, securæ biberes si pocula Lethes,
  Excidere hæc credam pectore posse tuo.
Longa dies citius brumali sidere, noxque
  Tardior hiberna solstitialis erit;
Nec Babylon æstum, nec frigora Pontus habebit,
  Calthaque Pæstanas vincet odore rosas;
Quam tibi nostrarum veniant oblivia rerum,
  Non ita pars fati candida nulla mei.
Ne tamen hæc dici possit fiducia mendax,
  Stultaque credulitas nostra fuisse, cave:
Constantique fide veterem tutare sodalem,
  Qua licet, et quantum non onerosus ero.

Nos porticus omnis. Una etiam deambulamus sub porticibus Romanis.

20. *Nos junctis curva theatra locis.*] Proximi sedebamus in theatris, prior Thuaneus *terna theatra;* sic supra Trist. III. xii. 24:

Proque tribus resonant terna theatra foris. HEINS.

Nos via. Sacram viam intellige. *Curva theatra.* Theatra sinuosa. *Junctis locis.* Locis finitimis.

22. *In eacide nestorideque* cod. Bavar. sed suprascriptum est *actor;* addita glossa, *patroclo filio actoris:* et illam lectionem *Æac. Nest.* plures habent. Atque Homer. Il. ψ'. 655. Antilochum, Nestoris filium, vocat carum Achilli sodalem. Alii *Atridis Tyndaridisque;* alii aliter, vide Heinsium, qui suspicatur, ut in textu est, quam lectionem certissimam esse dixit uberiusque probavit Auctor. Elector. Etonens. sed Actoridas interpretatur Mœnotium et Patroclum; Æacidas autem Pela cum Achille. Nepotum quidem celebrata, ait, magis sermonibus amicitia, quam tamen paternam Actòris Æacique filiorum exemplo commendatam extulerant: nam et horum satis est testata necessitudo conjunctioque; in qua illustranda multus est. Hujus interpretationem veram esse credit Burm. HARLES.

27. *Nec Babylon æstus.*] *Æstum* scripti potiores. Nec in Babylonia civitate calor ingens erit; quam Semiramis condidisse dicitur; fuitque caput Chaldæarum gentium: ibi est maximus calor propter australem et orientalem plagam finitimam.

28. *Calthaque.*] Caltha, violæ genus est gravis odoris, et Maro Caltham luteolam adpellat; quam et eamdem esse cum calendula crediderim. *Pæstanas rosas.* Rosas nascentes apud Pæstum oppidum, quæ sunt gravioris odoris quam caltha. *Pæstum* enim oppidum fuit Lucaniæ, a Græcis Posidonia adpellatum, a Doriensibus conditum, ut docet Plinius; Virgilius, Georg. iv, ver. 119:

Biferique rosaria Pæsti. MER.

30. *Non ita pars fati.*] Hoc est, pars aliqua meæ fortunæ prospera, non ita periit, ut credam te mei oblivionem cepisse.

EPISTOLA V.

SALANO*.

Condita disparibus numeris ego Naso Salano
  Præposita misi verba salute meo.
Quæ rata sit cupio, rebusque ut comprobet omen,
  Te precor a salvo possit, amice, legi.
Candor, in hoc ævo res intermortua pæne,
  Exigit, ut faciam talia vota, tuus.
Nam fuerim quamvis modico tibi cognitus usu,
  Diceris exsiliis ingemuisse meis:
Missaque ab extremo legeres quum carmina Ponto,
  Illa tuus juvit qualiacumque favor;
Optastique brevem salvi mihi Cæsaris iram;
  Quod tamen optari, si sciat, ipse sinat.
Moribus ista tuis tam mitia vota dedisti:
  Nec minus idcirco sunt ea grata mihi.
Quoque magis moveare malis, doctissime, nostris,
  Credibile est fieri conditione loci.
Vix hac invenias totum, mihi crede, per orbem
  Quæ minus Augusta pace fruatur, humum.
Tu tamen hic structos inter fera prælia versus
  Et legis, et lectos ore favente probas;

* *Salano* etiam Bavar. alii *Solano*: quia neutrum nomen in civitate Romana cognitum est, et quatuor veteres *Salino* legunt, Heinsius, quem vide, *Silano* conjicit, aut *Salono*. Harles.

1. *Condita verba.*] Verba composita. *Disparibus numeris.* Versibus elegis.

7. *Ab modico usu.*] A parva consuetudine.

13. *Tuis moribus.*] Tuæ benignitati; hujusmodi enim vota manant a benignis moribus.

17. *Vix hac invenias totum, mihi crede.*] Augustam pacem non tantum, quæ ab Augusto parta sit, accipio, ut Merula, sed et sacram venerabilemque: perinde ut augusta templa, augusta loca, dicimus, hoc est, sacra, et veneratione digna. Mer.

19. Equidem cum Burmanno, *structos*, h. e. conscriptos, *versus* non damnarem. *Struere* proprie est ordine componere, et adprime opponitur *feris præliis.* cf. infra iv. 13. 4. et Burm.

Ingenioque meo, vena quod paupere manat,
Plaudis, et e rivo flumina magna facis.
Grata quidem sunt hæc animo suffragia nostro,
Vix sibi quum miseros posse placere putes.
Dum tamen in rebus tentamus carmina parvis,
Materiæ gracili sufficit ingenium:
Nuper ut huc magni pervenit fama triumphi,
Ausus sum tantæ sumere molis opus.
Obruit audentem rerum gravitasque nitorque;
Nec potui cœpti pondera ferre mei.
Illic, quam laudes, erit officiosa voluntas:
Cætera materia debilitata jacent.
Quod si forte liber vestras pervenit ad aures,
Tutelam mando sentiat ille tuam.
Hoc tibi facturo, vel si non ipse rogarem,
Accedat cumulus gratia nostra levis.
Non ego laudandus, sed sunt tua pectora lacte,
Et non calcata candidiora nive:

laudat notas ad Petron. c. 4. Si quid mutandum erit, quod vix puto, lubentius reciperem *strictos*, h. e tenues, uti a quibusdam legi, notat Bersmannus. HARLES.

22. *Plaudis.*] Gratularis. *E rivo.* Ex parva poeticæ facultate.

24. *Vix sibi quum miseros.*] Sensus est: grata sunt et læta quæ pro me facis: quamvis vix credibile sit, miserum quemque posse ulla re gaudere, et illi eam placere. Vel hoc dicit: gratum est a te probari carmen meum, quod tuo judicio aliquid esse existimo: nam meo judicio nihil est quod credam. Vix enim in hac miseria mihi ipsi placeo, nedum carmina mea.

29. *Gravitasque nitorque.*] *Gravitas* ad rerum magnitudinem, *nitor* vero ad pulchritudinem et nobilitatem illarum refertur.

30. *Nec*, &c.] Nec potui æquare versu meo rerum magnitudinem, quia non respondebat carmen meum rebus gestis, quæ erant majores meo versu.

31. *Illic, quam laudes.*] In describendo tamen hujusmodi triumpho, quamvis non ita eleganter rei magnitudinem adsecutus sit, laudandam tamen esse dicit voluntatem officiosam.

33. *Liber*, &c.] Carmen meum de triumpho Germanici.

37. *Non ego laudandus.*] Docet, ne videatur arrogans, libellum suum non esse laude dignum: sed si qua laus accesserit hujusmodi operi, id adscribendum esse candori et ingenio ipsius Salani. Barberinianus hic novam facit elegiam, quæ videbatur Heinsio scripta ad Albinovanum.

Mirarisque alios, quum sis mirabilis ipse,
Nec lateant artes, eloquiumque tuum.
Te juvenum princeps, cui dat Germania nomen,
Participem studii Cæsar habere solet:
Tu comes antiquus, tu primis junctus ab annis,
Ingenio mores æquiparante, places:
Te dicente prius, fit protinus impetus illi;
Teque habet, elicias qui sua verba tuis.
Quum tu desîsti, mortaliaque ora quierunt,
Clausaque non longa conticuere mora,
Surgit Iuleo juvenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis.
Dumque silens adstat, status est vultusque diserti,
Spemque decens doctæ vocis amictus habet.
Mox, ubi pulsa mora est, atque os cœleste solutum,
Hoc Superos jures more solere loqui:
Atque, hæc est, dicas, facundia principe digna;
Eloquio tantum nobilitatis inest!
Huic tu quum placeas, et vertice sidera tangas,
Scripta tamen profugi vatis habenda putas.
Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis,
Et servat studii fœdera quisque sui.

45. *Te dicente prius.*] Te prius declamante. *Fit protinus impetus illi.* Vis eloquentiæ subito in Germanico exoritur: et excitatur cupiditas dicendi et te æquandi. *Teque habet.* Et habet in te studiis prævium ducem et quasi alterum præceptorem.

47. *Mortaliaque ora quierunt.*] *Mortalia* adpellat, ut ostendat Salanum mortalem, Germanicum vero Cæsarem divum fuisse.

48. *Conticuere.*] Hoc verbum non a *conticeo*, quod nusquam legitur, sed a *conticesco* venit. Cior.

49. *Juvenis.*] Germanicus.

52. *Spemque docens doctæ vocis amictus habet.*] Hæc nihili sunt: quinque veteres *decens.* Scribe *Spemque decens doctæ vocis amictus habet.* In ipso amictu ac toga decenter complicata jam spes est eruditæ vocis. Quintilianus aliique artis oratoriæ magistri, non minimum referre nos docent ad commendationem oratoris, ut togam decenter componat. Heins.

53. *Pulsa.*] h. e. finita. Verpoortenio adludere videtur ad Ulixem Homericum Iliad. γ'. 216. 224. Harles.

59. *Ingeniis junctis.*] Ingeniis conjunctis et colligatis in aliqua disci-

Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
  Rectorem dubiæ navita puppis amat.
Tu quoque Pieridum studio, studiose, teneris,
  Ingenioque faves, ingeniose, meo.
Distat opus nostrum; sed fontibus exit ab ïsdem:
  Artis et ingenuæ cultor uterque sumus.
Thyrsus enim vobis, gestata est laurea nobis;
  Sed tamen ambobus debet inesse calor.
Utque meis numeris tua dat facundia nervos,
  Sic venit a nobis in tua verba nitor.
Jure igitur studio confinia carmina vestro,
  Et commilitii sacra tuenda putas.
Pro quibus ut maneat, de quo censeris, amicus,
  Comprecor ad vitæ tempora summa tuæ;
Succedatque tuis orbis moderator habenis:
  Quod mecum populi vota precantur idem.

plina. Ingeniorum enim similitudo amicitias conglutinat.

60. *Servat fœdera sui studii.*] Et retinet conjunctionem illam quæ est in ipsis studiis et disciplinis.

65. *Distat opus nostrum.*] Quia tu vacas eloquentiæ, ego vero poeticæ facultati. *Ab ïsdem fontibus.* Ab iisdem Musis.

67. *Thyrsus enim vobis, gestata est laurea nobis.*] Mihi totum distichon hoc dubiæ fidei est suspectum. Heins. *Thyrsus enim vobis.* Per *thyrsum*, oratoriam facultatem intelligit: per *lauream*, poeticam. Quasi dicat: vos Bacchi stimulis agitamini, nos Apollinis: quibus tamen utrisque suus calor est, suusque impetus. Micyl.

70. *Sic venit a nobis in tua verba nitor.*] Ab arte poetica: a qua non alienus est orator. Ita enim Cic. i. de Oratore: "Est enim finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius, ac pene par," &c.

71. Fabricius totum locum ita interpretatur. Jure putas tuenda carmina studio vestro, id est oratorio, confinia, et commilitii sacra, quibus quasi commilitones dediti ambo sumus, tuenda putas. Pro quibus studiis videlicet et sacris mutuis comprecor, ut ad extrema usque vitæ tempora maneat tibi amicus Germanicus, de quo censeris, h. e. de cujus favore pendet tua dignitas, vel cujus census vel familiæ quasi pars es. Harles.

75. *Tuis.*] Magna ex parte veteres, et bene rescripsit Heins. *tuis habenis*, h. e. consiliis et regimini, *succedat*, h. e. prospere regatur, *moderator* n. futurus, h. e. Germanicus. Harles.

EPISTOLA VI.

GRÆCINO.

Carmine Græcinum, qui præsens voce solebat,
  Tristis ab Euxinis Naso salutat aquis.
Exsulis hæc vox est: præbet mihi litera linguam;
  Et, si non liceat scribere, mutus ero.
Corripis, ut debes, stulti peccata sodalis,
  Et mala me meritis ferre minora doces.
Vera facis, sed sera, meæ convicia culpæ:
  Aspera confesso verba remitte reo.
Quum poteram recto transire Ceraunia velo,
  Ut fera vitarem saxa, monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto,
  Quam mea debuerit currere cymba viam?
Brachia da lasso potius prendenda natanti;
  Nec pigeat mento subposuisse manum.
Idque facis, faciasque precor: sic mater et uxor,
  Sic tibi sint fratres, totaque salva domus.
Quodque soles animo, quod semper voce precari,
  Omnia Cæsaribus sic tua facta probes.

3. *Præbet mihi litera linguam.*] Carmen meum est mihi loco linguæ, ad salutandum amicos.

6. *Et mala me meritis ferre minora doles.*] Ita scripti constanter, neque tamen conveniens homini amico est, ista tam immanis adsperitas mentis, ut doleat pœnam Nasoni ab Augusto irrogatam esse infra ejus meritum. Quare adsentior Tanaquillo Fabro reponenti *doces*, pro *doles*. Heins.

7. *Vera facis, sed sera meæ.*] Ordo verborum sic habet: facis tu quidem convicia vera culpæ meæ, sed sera tamen. Quare remitte adspera verba, hoc est, desine crimen objicere mihi confesso, &c. Micyl.

9. *Ceraunia.*] Ceraunia montes sunt altissimi Epiri. Dicuntur quoque *Acroceraunia*. Lucanus, libro quarto:

Scopulosa Ceraunia nautæ
Summa timent.

17. *Quod soles semper precari animo.*] Quam rem semper mente et corde oras; ut scilicet probes omnia tua facta Cæsaribus.

18. *Cæsaribus.*] Augusto, Tiberio, Druso, ac cæteris.

Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico
  Auxilium nulla parte tulisse tuum.
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci:
  Turpe laborantem deseruisse ratem.
Turpe sequi casum, et fortunæ cedere, amicum
  Et, nisi sit felix, esse negare suum.
Non ita vixerunt Strophio atque Agamemnone nati:
  Non hæc Ægidæ Pirithoique fides.
Quos prior est mirata, sequens mirabitur ætas;
  In quorum plausus tota theatra sonant.
Tu quoque, per durum servato tempus amico,
  Dignus es in tantis nomen habere viris.
Dignus es: et quoniam laudem pietate mereris,
  Non erit officii gratia surda tui.
Crede mihi, nostrum si non mortale futurum
  Carmen, in ore frequens posteritatis eris.
Fac modo permaneas lapso, Græcine, fidelis;
  Duret et in longas impetus iste moras.
Quæ tu quum præstes, remo tamen utor in aura:
  Nil nocet admisso subdere calcar equo.

23. *Turpe sequi casum.*] Distichon Ovidianæ venæ nil habet. HEINS. De *casu*, distincto a Fortuna, vide Quintilianum, Declam. iv. 13.

25. *Non ita vixerunt.*] Non ita secuti sunt casum, deserendo se in adversis. *Nati Strophio atque Agamemnone.* Pyladem et Orestem optimos et caros amicos designat: fuit enim Pylades Strophii Phocensis filius.

26. *Ægidæ.*] Thesei, qui filius fuit Ægei, et Pirithoi amicissimus.

28. *In quorum plausus.*] In quorum lætitiam et favores. *Tota theatra sonant.* Tota theatra resonant, quum de illis tragœdiæ compositæ recitantur.

32. *Non erit surda.*] Intelliget gratitudinem meam, aut intelliget se laudari a me; vel non frustra officiosus in me eris.

35. *Lapso Græcine fidelis.*] Meliores *lasso.* HEINS. Nostri *lapso:* bene.

36. *Iste impetus.*] Iste ardor mihi favendi. *In longas moras.* In longum tempus.

37. *Remo tamen utar in aura.*] Tamen tuo auxilio et favori addam etiam preces et exhortationes meas.

38. *Alterno—equo.*] Argentor. ut de equis desultoriis agat, quod copiose illustrat Heinsius. Sed bene defendit Burm. ut enim, ait, vento ferenti addimus remum, sic nil nocet currentem et admissum equum calcaribus stimulare. Nec desultores calcaria addebant; sed nudis equis insistentes

EPISTOLA VII.

ATTICO.

Esse salutatum vult te mea littera primum
  A male pacatis, Attice, missa Getis.
Proxima subsequitur, quid agas, audire voluptas:
  Et si, quidquid agis, sit tibi cura mei.
Nec dubito quin sit: sed me timor ipse malorum
  Sæpe supervacuos cogit habere metus.
Da veniam, quæso, nimioque ignosce timori:
  Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
  Omnibus unca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem longe visum fugit agna, lupumque
  Credit, et ipsa suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum:
  Vanaque sollicitis incutit umbra metum:
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
  Pectore concipio nil nisi triste meo.
Jam mihi fata liquet cœptos servantia cursus
  Per sibi consuetas semper itura vias.
Observare Deos, ne quid mihi cedat amice;
  Verbaque fortunæ vix puto posse dari.

per terga luctantis vinctorum. Adprime laudat Verpoort. Ovidium de Arte II. 731. *totis incumbere remis Utile et admisso subdere calcar equo.* Conf. Trist. III. vi. 56. Harles.

5. *Sed me timor ipse malorum, &c.*] Non de præsentibus malis exulis tantum intelligendum, sed de quibuscumque; ut sit sensus: Sed timor, quo subinde alia atque alia mala, eaque ex omni parte timeo, facit ut nimis supervacuos metus habeam. Mitsch.

14. *Incutit umbra metum.*] Scribo metus; *terrorem, timorem, pavorem, metum incutere* passim apud Ciceronem et Livium. Heins.

19. *Observare Deos, ne quid.*] Puto Deos observare, ne quid mihi amice, hoc est, prospere atque feliciter, cedat: *fortunæque vix posse verba dari,* hoc est, imponi; ut verbum *puto,* ad utrumque colon adhibeatur. Mitsch.

Est illi curæ me perdere, quæque solebat
Esse levis, constans et bene certa nocet.
Crede mihi, si sum veri tibi cognitus oris,
Nec fraus in nostris casibus esse potest;
Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas,
Altaque quam multis floreat Hybla thymis,
Et quot aves motis nitantur in aera pennis,
Quotque natent pisces æquore, certus eris,
Quam tibi nostrorum statuatur summa laborum,
Quos ego sum terra, quos ego passus aqua.
Nulla Getis toto gens est truculentior orbe:
Sed tamen hi nostris ingemuere malis.
Quæ tibi si memori coner perscribere versu,
Ilias est fatis longa futura meis.
Non igitur vereor, quod te rear esse verendum,
Cujus amor nobis pignora mille dedit;
Sed quia res timida est omnis miser, et quia longo
Tempore lætitiæ janua clausa meæ est.
Jam dolor in morem venit meus: utque caducis
Percussu crebro saxa cavantur aquis;
Sic ego continuo fortunæ vulneror ictu;
Vixque habet in nobis jam nova plaga locum.
Nec magis adsiduo vomer tenuatur ab usu,
Nec magis est curvis Appia trita rotis,

22. *Constans et bene certa nocet.*] Nunc non est amplius mutabilis, aut levis fortuna, sed constans et firma in nocendo mihi.

25. *Cinyphiæ segetis.*] Cinyps fluvius est Garamantum; Mela scribit fluvium esse in Libya, per uberrima arva cadentem, a quo Cinyphiæ segetes adpellantur a poetis, hoc est, Libycæ; Libya enim ob maximam frumenti copiam, horreum fuit Romanorum.

33. *Perscribere versu.*] *Destringere* Twisdenianus, pro strictim recensere; eleganter. Glossa ejus, id est, *exprimere et narrare.* HEINS.

34. *Longa Ilias.*] Longum opus, ut est Homeri Ilias de bello Trojano.

44. *Appia.*] Via illa ab Appio censore strata et cognominata.

Pectora quam mea sunt serie cæcata laborum:
Et nihil inveni, quod mihi ferret opem.
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis:
Infelix perii dotibus ipse meis.
Vita prior vitio caret, et sine labe peracta:
Auxilii misero nil tulit illa mihi.
Culpa gravis precibus donatur sæpe suorum:
Omnis pro nobis gratia muta fuit.
Adjuvat in duris alios præsentia rebus:
Obruit hoc absens vasta procella caput.
Quæ non horruerint tacitam quoque Cæsaris iram?
Addita sunt pœnis aspera verba meis.
Fit fuga temporibus levior: projectus in æquor
Arcturum subii Pleiadumque minas.
Sæpe solent hyemem placidam sentire carinæ:
Non Ithacæ puppi sævior unda fuit.
Recta fides comitum poterat mala nostra levare:
Ditata est spoliis perfida turba meis.
Mitius exsilium faciunt loca: tristior ista
Terra sub ambobus non jacet ulla polis.
Est aliquid patriis vicinum finibus esse:
Ultima me tellus, ultimus orbis habet.

52. *Fuit muta pro nobis.*] Quia nemo amicus pro me imperatorem oravit, ut ignosceret. Mer. Vel deprecatio et supplicatio meorum nihil effecit, ac veluti muta ac nulla fuit. Pont.

57. *Fit fuga temporibus levior.*] Levius solet esse supplicium, quando exsules abeunt expectato tempore navigationi apto. Aliis vero incommodis meis hoc etiam accessit, quod fugatus sum tristi sidere.

58. *Arcturum subii.*] Tempore quo Arcturus magnos imbres parabat, cœpi navigare.

59. *Placidam hyemem.*] Placidam tempestatem.

62. *Spoliis meis, &c.*] De comitibus itineris, sive profectionis, intelligo hunc locum, quorum perfidia, bonis, aut rebus quibusdam suis spoliatus fuerit poeta: nam alibi satis clare significat, nihil sibi a Cæsare præter patriam, ademptum fuisse. Micyl.

64. *Sub ambobus polis.*] Sub polo arctico et antarctico.

66. *Ultima tellus.*] Tellus Pontica. Mer.

Præstat et exsulibus pacem tua laurea, Cæsar:
Pontica finitimo terra sub hoste jacet.
Tempus in agrorum cultu consumere dulce est:
Non patitur verti barbarus hostis humum.
Temperie cœli corpusque animusque juvantur:
Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
Est in aqua dulci non invidiosa voluptas:
Æquoreo bibitur cum sale mista palus.
Omnia deficiunt; animus tamen omnia vincit:
Ille etiam vires corpus habere facit.
Sustineas ut onus, nitendum vertice pleno est;
At flecti nervos si patiare, cadet.
Spes quoque, posse mora mitescere principis iram,
Vivere ne nolim deficiamque, cavet.
Nec vos parva datis pauci solatia nobis,
Quorum spectata est per mala nostra fides.
Cœpta tene, quæso; nec in æquore desere navem:
Meque simul serva, judiciumque tuum.

68. *Jacet sub hoste finitimo.*] Manet sub hoste vicino. Quasi innuat ubique terrarum esse pacem a Cæsare partam, præterquam in terra, ubi exsulabat.

71. *Temperie cœli corpusque animusque.*] Oportet locum eligere temperatum, ad salubritatem corporis conservandam, et proinde etiam mentis.

74. *Palus.*] Aqua palustris: vel quæ defluit ex Mæotide palude, eaque salsa.

75. *Animus tamen omnia vincit.*] Tamen omnia hæc incommoda supero animi fortitudine.

77. *Sustineas ut onus.*] Generaliter et γνωμικῶς dictum puto, ut sit quasi quædam illatio ad superiora, perinde ac si dicat: quare quum tanta mala mea sint, necesse est ut sim erecto animo ac forti, propterea quod pondera, sive onera gravia sustineri aliter non possint, quam si quis erecto vertice connixus, ea in se suscipiat. MICYL.

81. *Nec vos parva datis.*] Acquiescimus etiam, inquit, vestris solatiis, o amici, quorum præsidia et fidem in malis meis et rebus dubiis cognovi.

82. *Spectata fides.*] Metaphora a metallis, quæ proprie spectari dicuntur.

84. *Judiciumque.*] Quia judicasti me dignum venia, aut defensione tua, et tua amicitia; vel quod Cæsar mihi ignosceret.

EPISTOLA VIII.

MAXIMO COTTÆ.

REDDITUS est nobis Cæsar cum Cæsare nuper,
Quos mihi misisti, Maxime Cotta, Deos:
Utque suum munus numerum, quem debet, haberet,
Est ibi Cæsaribus Livia juncta suis.
Argentum felix, omnique beatius auro,
Quod, fuerat pretium quum rude, numen erit.
Non mihi divitias dando majora dedisses,
Cœlitibus missis nostra sub ora tribus.
Est aliquid spectare Deos, et adesse putare,
Et quasi cum vero numine posse loqui.
Præmia quanta, Dei! nec me tenet ultima tellus:
Utque prius, media sospes in urbe moror:
Cæsareos video vultus, velut ante videbam:
Vix hujus voti spes fuit ulla mihi.
Utque salutabam, numen cœleste saluto:
Quod reduci tribuas, nil, puto, majus habes.

1. *Est redditus.*] Est datus. *Cæsar cum Cæsare.* Augustus cum Tiberio. Sunt qui non Tiberii, sed Drusi majoris imaginem cum Augusti imagine missam, intelligant.

5. *Argentum felix, omnique beatius auro, Quod fuerit pretium.*] Sensus est: O felix argentum, et ipsi auro præferendum, quia quum per se, ac rude, pretium sit, hoc est, pretiosum et carum, nunc etiam habet numen, hoc est, Cæsarum imagines impressas, sive cælatas. MICYL.

6. *Fuerat.*] Burmann. rescripsit in textu, quem sequuti sumus, lectionem Vossian. et Francof. atque interpretatur: quod, quum fungebatur vice aliarum rerum, et ita pretium erat, i. e. argentum, quo aliquid emi posset, nunc mihi numen erit propter imagines Cæsarum: quod etiam, quæ, spiritu plena, sequuntur, probant. Num vero nummus fuerit, cui facies erant insculptæ, an icunculæ, uti ex v. 57. et 70. suspicari fas est, non liquet, nec multum refert. HARLES.

8. *Cælitibus tribus.*] Duobus Cæsaribus et Livia. *Nostra sub ora.* Sub nostrum conspectum.

15. *Ut salutabam.*] Ut antequam relegarer, solitus eram de more mane salutare: quod fieri solebat prima et secunda hora. *Numen cæleste.* Augustum Deum.

Quid nostris oculis, nisi sola palatia desunt?
Qui locus, ablato Cæsare, vilis erit.
Hunc ego quum spectem, videor mihi cernere Romam:
Nam patriæ faciem sustinet ille suæ.
Fallor? an irati mihi sunt in imagine vultus,
Torvaque nescio quid forma minantis habet?
Parce, vir immenso major virtutibus orbe,
Justaque vindictæ supprime lora tuæ.
Parce, precor, sæcli decus indelebile nostri;
Terrarum dominum quem sua cura facit.
Per patriæ nomen, quæ te tibi carior ipso est,
Per nunquam surdos in tua vota Deos;
Perque tori sociam, quæ par tibi sola reperta est,
Et cui majestas non onerosa tua est;
Perque tibi similem virtutis imagine natum,
Moribus agnosci qui tuus esse potest;
Perque tuos vel avo, vel dignos patre nepotes,
Qui veniunt magno per tua vota gradu;
Parte leves minima nostras et contrahe pœnas;
Daque, procul Scythico qui sit ab hoste, locum.
Et tua, si fas est, a Cæsare proxime Cæsar,
Numina sint precibus non inimica meis.

18. *Ablato Cæsare.*] Amoto Augusto, cujus præsentia nobilitat Romana palatia, et totam urbem.

24. *Supprime frena.*] Coerce iracundiam tuam qua videris exardescere ad me acerbius puniendum. PONT.

25. *Parce puer, sæcli decus.*] *Puerum* accipiamus non ætatis ratione dictum, ut qui jam prope quinquagenarius esset, quum Ovidius relegaretur; sed vel propter picturæ speciem, vel, quod probabilius, propterea quod nuper adeo post mortem L. et C. Cæsarum scilicet, in filii locum ab Augusto adoptatus fuisset. Ut puerum accipiamus, quasi filium alterius Cæsaris, hoc est, Augusti, adpellatum. MICYL. *Puer.* More Græco, qui etiam adultos, *παῖδας* vocant; quod Latinis familiare.

Parce, precor.] Sic bene restituit Heinsius ex uno Vossiano: hinc corruit suspicio Micylli, quod ante *puer* h. e. Tiberius legebatur, uti est quoque in Bavar. et Erfurt. versus fuisse transpositos. HARLES.

30. *Et cui majestas.*] Et quæ, inquit, majestatem tuam potest ferre, vel quæ se nutibus tuis belle adtemperat.

Sic fera quamprimum pavido Germania vultu
Ante triumphantes serva feratur equos.
Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Vivant; et possis filius esse diu.
Tu quoque, conveniens ingenti nupta marito,
Accipe non dura supplicis aure preces.
Sic tibi vir sospes, sic sint cum prole nepotes,
Cumque bonis nuribus, quas peperere, nurus:
Sic, quem dira tibi rapuit Germania, Drusus
Pars fuerit partus sola caduca tui:
Sic tibi Marte suo, fraterni funeris ultor,
Purpureus niveis filius instet equis.
Adnuite o timidis, mitissima numina, votis!
Præsentes aliquid prosit habere Deos!
Cæsaris adventu tuta gladiator arena
Exit; et auxilium non leve vultus habet.
Nos quoque vestra juvet quod, qua licet, ora videmus;
Intrata est Superis quod domus una tribus.

40. *Ante triumphales equos.*] *Triumphantes* est in vetustioribus. Ante equos Tiberii, de Germania devicta triumphum agentis.

Feratur.] Picta vel cælata. Harl.

41. *Pylios.*] h. e. Nestoris. Trist. V. v. 62. P. I. iv. 10. *Cumæos* h. e. Sibyllæ Cumææ v. Virg. Æn. v. 321. ibique Servium. Harles.

49. *Sic tibi Marte suo fraterni funeris auctor.*] *Ultor* et *Marte* ingeniose comparantur. v. Tr. ii. 296. et Octavianus in foro a se structo templum Martis Ultoris consecravit. v. Monimentum Ancyranum. Tiberius ulciscatur mortem fratris et triumphans de Germanis insistat quadrigis albis. Trist. IV. ii. 47. Harles.

50. *Purpureus filius.*] Tiberius, Liviæ filius, paludamento imperatorio et purpureo indutus.

52. *Deos præsentes.*] Augusti, Tiberii et Liviæ imagines missas Roma.

53. *Cæsaris adventu.*] Cæsare in arenam veniente; nam gladiatores, qui servi erant, victi, confugiebant ad pedes Cæsaris, et incolumes dimittebantur. Et si confugientes ad statuam, liberi erant, multo magis confugientes ad ipsum imperatorem. *Vultus*, id est, Cæsaris præsentia habet non modicum, sed magnum auxilium, quia ille liberatur. *Tuta gladiator arena*, pro *ipse gladiator tutus*, nota poetis metathesi. Heins.

55. *Nos quoque vestra juvet.*] Ordo est: Nos quoque juvet, quod videmus vestra ora, quo modo licet, imagine

Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deûm coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars votis, effigiemque colo.
Sic homines novere Deos, quos arduus æther
Occulit: et colitur pro Jove forma Jovis.
Denique, quæ mecum est, et erit sine fine, cavete,
Ne sit in inviso vestra figura loco.
Nam caput e nostra citius cervice recedet,
Et patiar fossis lumen abire genis,
Quam caream raptis, o publica numina, vobis;
Vos eritis nostræ portus et ara fugæ:
Vos ego complectar, Geticis si cingar ab armis;
Vosque meas aquilas, vos mea signa sequar.
Aut ego me fallo, nimiaque cupidine ludor;
Aut spes exsilii commodioris adest.
Nam minus et minus est facies in imagine tristis;
Visaque sunt dictis adnuere ora meis.
Vera, precor, fiant timidæ præsagia mentis;
Justaque quamvis est, sit minor ira Dei.

tantum expressa; et hoc spectare nobis prosit, quemadmodum gladiatori profuit vidisse in arena Cæsarem ipsum præsentem.

59. *Inutile.*] h. e. noxium, pestiferum; jam notum est. HARLES.

61. *Sic homines novere Deos.*] Hoc pacto, scilicet per imagines et simulacra, Deos immortales cognoscimus: nam propriam eorum formam nulli licet videre.

64. *In inviso loco.*] In terra hostili. *Vestra figura.* Vestrum simulacrum.

66. h. e. oculos mihi effodi. HARL.

68. *Portus et aura.*] Salus et favor.

70. *Ut meas aquilas.*] Tanquam mea vexilla Romana, quæ aquilas pictas habebant. Lege Alex. ab Alex. lib. ii. cap. 2. *Vestra signa.* Vestras imagines.

73. *In imagine.*] In signo Augusti. *Visaque sunt dictis.* Imagines istæ visæ sunt mihi assentire, ut velint concedere locum exsilii magis commodum.

EPISTOLA IX.

COTYI REGI.

REGIA progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi pervenit usque, Coty;
Fama loquax vestras si jam pervenit ad aures,
Me tibi finitimi parte jacere soli;
Supplicis exaudi, juvenum mitissime, vocem:
Quamque potes profugo, nam potes, adfer opem.
Me fortuna tibi, de qua ne conquerar, hoc est,
Tradidit; hoc uno non inimica mihi.
Excipe naufragium non duro litore nostrum,
Ne fuerit terra tutior unda tua.
Regia, crede mihi, res est subcurrere lapsis:
Convenit et tanto, quantus es ipse, viro.
Fortunam decet hoc istam: quæ maxima quum sit,
Esse potest animo vix tamen æqua tuo.

1. *Coti regia progenies.*] Hunc Cotium, filium regis Thraciæ et Getarum, fuisse libet suspicari, quem Tranquillus *Cotisonem* adpellat. MER. *Pervenit usque Coti.* Varie inscribitur hæc Elegia; alii ad *Cotium* habent. Infra eadem Elegia ponitur, *O Coty, progenies digna parente tuo,* ubi vocativus *Coty*, non a recto Cotius, sed a *Cotys* tertii ordinis flectitur. Micyllus de eo Coty hic intelligit, cujus mentio fit apud Tacitum, lib. ii. et quem idem auctor, ut et Strabo, lib. xii. *Cotym*, per *y* nominat. Quod libenter sequor, et temporum ratione habita, et personæ qualitatem, et ingenium cum hac descriptione conferens. Is enim et temporibus Augusti supremis vixit, et ab eodem Augusto regni Thracensis partem accepit.

2. *Pervenit usque*, &c.] Descendit usque ab Eumolpo; Eumolpus enim Neptuni et Chiones, quæ Boreæ et Orithyæ nata, filius, ex Thracia in Atticam venit. Eum sane Homerus carmine suo fortem adpellat. MER.

8. *Non duro litore.*] Non aspero, sed benigno, placido, et propitio solo, quasi dicat, ego relegatus tanquam naufragus, supplex ad litus tuum confugio, precorque ut me benigne excipias.

10. *Nec fuerit terra.*] Ex quo poeta innuit, illic tutiorem sedem sperandam, quam in mari. Quod si sibi tam longa navigatione pepercit, multo magis ejus terram intelligit debere ei parcere. Nostri habent *ne*, pro *nec*.

11. *Subcurrere lapsis.*] Cicer. pro Ligario confirmat, nulla re homines propius ad Deos accedere, quam salutem hominibus dando. PONT.

Conspicitur nunquam meliore potentia causa,
Quam quoties vanas non sinit esse preces.
Hoc nitor ille tui generis desiderat: hoc est
A Superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tibi et Eumolpus, generis clarissimus auctor,
Et prior Eumolpo suadet Erichthonius.
Hoc tecum commune Deo: quod uterque rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.
Numquid erit, quare solito dignemur honore
Numina, si demas velle juvare Deos?
Juppiter oranti surdas si præbeat aures,
Victima pro templo cur cadat icta Jovis?
Si pacem nullam Pontus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego tura feram?
Vana laborantis si fallat vota coloni,
Accipiat gravidæ cur suis exta Ceres?
Nec dabit intonso jugulum caper hostia Baccho,
Musta sub adducto si pede nulla fluant.

18. *A Superis ortæ nobilitatis.*] Nobilitatis a Diis originem ducentis.

20. *Erichthonius.*] Erichthonius, seu Erechtheus, rex fuit Athenarum, quem Minerva e rure ubi natus erat, suscepit, educavitque, et Atheniensi populo pro rege tradidit: ideoque illi annua solennia Athenienses agunt taurorum agnorumque sacrificiis. Vide Natal. lib. iv. cap. 5.

21. *Hoc tecum commune Deis.*] Hoc est, tibi cum Diis commune, quod preces exaudias, quemadmodum et illi.

27. *Nullam pacem.*] Nullam tranquillitatem. *Mihi eunti.* Mihi naviganti.

29. *Si fallant vota coloni.*] *Fallat* meliores; Ceres nimirum: in Fast. lib. iv. ver. 645:

Sæpe seges primis dominum fallebat in herbis. Heins.

30. *Accipiet gravidæ, &c.*] Cur, inquit, sacrificabitur Cereri porca, si preces agricolarum incassum fundentur? *Suis gravidæ.* Initium immolandi a suillo genere sumptum existimat Ovidius. Cujus rei causa in Fastis, et in Metam. lib. xv. ver. 112:

prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Mactabatur autem porcus Cereri, quia hoc animal frugibus nocet. Solebant enim victimæ pro qualitate numinum immolari: et vel cædebantur, quæ obsunt eorum muneribus: ut caper Libero, quia vitibus nocet, et in omnibus sacris feminini generis victimæ potiores sunt.

32. *Inducto sub pede.*] *Adducto* scripti fere omnes; recte: sic *ad-*

Cæsar ut imperii moderetur fræna, precamur,
Tam bene quo patriæ consulit ille suæ.
Utilitas igitur magnos hominesque Deosque
Efficit, auxiliis quoque favente suis.
Tu quoque fac prosis intra tua castra jacenti,
O Coty, progenies digna parente tuo.
Conveniens homini est, hominem servare, voluptas;
Et melius nulla quæritur arte favor.
Quis non Antiphaten Læstrygona devovet? aut
Munifici mores improbat Alcinoi? [quis
Non tibi Cassandreus pater est, gentisve Pherææ,
Quive repertorem torruit arte sua:

ducta clava Fast. i.: *adducto nervo arcus*, et *adductus ramus*; Pont. iii. El. v. ver. 19: et similia passim apud Nostrum; id est, contracto. Heins.

34. *Tam bene quam patriæ consulit ipse suæ.*] *Quod* Argent. et primæ editiones. Lege *quo*; nempe imperio. Heins.

35. *Utilitas igitur magnos hominesque Deosque*, &c.] Sensus est: Ex eo igitur quod prosunt ac juvant, tam homines quam Dii magni sunt, et coluntur, videlicet dum unusquisque illorum ea parte, iisque auxiliis favet, ac prodest nobis, quibus solet ac potest; ut Ceres et Bacchus proventu ac fertilitate frugum ac vini, Cæsar imperando et consulendo patriæ, &c. Micyl.

36. *Auxiliis quoque favente suis.*] Unoquoque utilitatem suam amante. Ex quo colligit, utilitatis propriæ gratia hæc fieri. Mer.

37. *Intra tua castra jacenti.*] Mihi in terra Tomitana tuo imperio subjecta relegato. Micyl.

38. *O Coty, progenies.*] Ordo est: O Coty, progenies digna, et reliqua. Cæterum sive *Coti* scribas, ut Aldina editio habet: sive *Coty*, ut Strabo et Tacitus, brevis eadem syllaba erit. Sic enim et *Tiphy*, et similia corripiuntur.

41. *Quis non Antiphaten Læstrygona.*] Læstrygones populi fuere in extremo Italiæ, Siciliam versus, efferis moribus, habitantes prius urbem Formiarum inter Terracinam et Sinuessam. Eorum rex fuit Antiphates. Homerus docet Antiphatem unum ex Ulyssis sociis devorasse.

42. *Munifici Alcinoi.*] Liberalis Alcinoi. Fuit enim Alcinous rex Phæacum justissimus, Nausithoi filius, apud quem Ulysses naufragus divertit: ubi regio convivio honorifice susceptus, errores suos exponebat.

43. Non de Cassandri crudelitate, de quo vide Justin. xv. 2. Diodor. Sicul. xix. 51. sqq. p. 357. ibique Wesseling. sed quum Cassandreus uti habet Sarrav. (cum eoque Bavar.) legitur, de Apollodoro, Cassandræ tyranno immanissimo, qui Cassandreus inde dictus fuit, intelligendum esse, docet Heinsius, qui admodum copiose de hoc tyranno disputat, ejusque illustrat historiam. Excitat Polyæni Stratag. lib. iv. et vi. Æl. V. H. xiv. 41. aliosque multos. De Alexandro

Sed quam Marte ferox, et vinci nescius armis,
Tam nunquam facta pace cruoris amans.
Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.
Nec regum quisquam magis est instructus ab illis,
Mitibus aut studiis tempora plura dedit.
Carmina testantur; quæ, si tua nomina demas,
Threicium juvenem composuisse negem.
Neve sub hoc tractu vates foret unicus Orpheus,
Bistonis ingenio terra superba tuo est.
Utque tibi est animus, quum res ita postulat, arma
Sumere, et hostili tingere cæde manum;
Atque, ut es, excusso jaculum torquere lacerto,
Collaque velocis flectere doctus equi;
Tempora sic data sunt studiis ubi justa paternis,
Utque suis humeris forte quievit opus;
Ne tua marcescant per inertes otia somnos,
Lucida Pieria tendis in astra via.

Pheræo, Pherarum in Thessalia tyranno crudelissimo, laudat Heinsius, qui copiose de eo agit, Nepotem (xvi. 5. 1.) et Plutarchum in Pelopida aliosque. Harles. Illud præterea in transcursu monendum, scriptores antiquos hunc Apollodorum cum Phalaride frequenter conjungere, quod et a Nostro hic factum videmus. Ita certe Plutarchus et Suidas in Ἱερώνυμος, Polyb. lib. vi. Cicero, lib. iii. de Natura Deorum; Seneca, de Beneficiis, lib. vii. cap. 19. Atque hæc de Apollodoro dicenda videbantur: quæ obscuro hactenus nec intellecto Nasonis loco lucem adlatura confido. Heins.

44. *Quive.*] Phalaris.

53. *Foret unicus vates.*] Foret solus poeta; Orpheus enim Thrax fuit, poetaque et theologus excellentissimus.

54. *Bistonis terra.*] Terra Thraciæ, sic dicta a Thraciæ stagno Bistonio, Abderæ urbi vicino. *Est superba.* Est nobilis. Mer.

57. *Ut es.*] Id est, *statim*, ut occasio se dat, non sumpto spatio ad meditandum, aut vestes, aut habitum mutans, ut passim ita *sicut*, *velut est*. Burm.

59. *Tempora sic studiis.*] Quando, inquit, patris tui studiis et bellicæ exercitationi operam dedisti, et humeris tuis sustentasti molem et negotia regni paterni; ne per somnum, aut ignaviam corpus marcescat, poetica facultate tibi immortalitatem comparas. Heins.

Hæc quoque res aliquid tecum mihi fœderis adfert:
Ejusdem sacri cultor uterque sumus.
Ad vatem vates orantia brachia tendo,
Terra sit exsiliis ut tua fida meis.
Non ego cæde nocens in Pontica litora veni;
Mistave sunt nostra dira venena manu:
Nec mea subjecta convicta est gemma tabella
Mendacem linis imposuisse notam.
Nec quidquam, quod lege veter committere, feci:
Et tamen his gravior noxa fatenda mihi est.
Neve roges quid sit; stultam conscripsimus Artem:
Innocuas nobis hæc vetat esse manus.
Ecquid præterea peccarim, quærere noli;
Ut pateat sola culpa sub Arte mea.
Quidquid id est, habui moderatam vindicis iram:
Qui, nisi natalem, nil mihi demsit, humum.
Hac quoniam careo, tua nunc vicinia præstet,
Inviso possim tutus ut esse loco.

66. *Ut tua terra.*] Ut Tomitana urbs, relegationis meæ sedes.

69. *Linis imposuisse.*] Vincula linea intelligit quæ tabellis obsignandis adhiberi solita: lini enim usus in obsignandis tabellis notus. Heins. *Gemma mea.* Meus annulus et sigillum, tanquam falso signaverim testamenta. *Subjecta tabella.* Subposita testamentaria tabella.

70. *Mendacem notam.*] Falsum sigillum. Hi autem a Romanis deprehensi et convicti, mittebantur in exsilium.

76. *Ut pateat.*] Malim *lateat*, cum Puteaneo et undecim aliis: studiose enim semper verum crimen celat.

77. *Quidquid id est.*] Qualecumque est id, cujus causa relegatus sum.

78. *Nil.*] Nihil aliud. Intelligit autem fortunas, quæ exsulibus adimebantur, sibi relictas. *Nisi natalem humum.* Nisi solum Romanum, ubi educatus sum, mittendo me in exsilium.

79. *Tua vicinia.*] Tui populi vicini Tomitanæ urbi. Mer. *Tua nunc vicinia.* Propter vicinitatem hoc mihi præsta beneficium. Pont.

EPISTOLA X.

MACRO.

Ecquid ab impressæ cognoscis imagine gemmæ
  Hæc tibi Nasonem scribere verba, Macer?
Auctorisque sui si non est annulus index,
  Cognitane est nostra litera facta manu?
An tibi notitiam mora temporis eripit horum?
  Nec repetunt oculi signa vetusta tui?
Sis licet oblitus pariter gemmæque manusque,
  Exciderit tantum ne tibi cura mei.
Quam tu vel longi debes convictibus ævi,
  Vel mea quod conjux non aliena tibi;
Vel studiis, quibus es, quam nos, sapientius usus;
  Utque decet, nulla factus es Arte nocens.
Tu canis æterno quicquid restabat Homero,
  Ne careant summa Troica fata manu.
Naso parum prudens, Artem dum tradit amandi,
  Doctrinæ pretium triste magister habet.
Sunt tamen inter se communia sacra poetis,
  Diversum quamvis quisque sequamur iter.
Quorum te memorem, quanquam procul absumus,
  Suspicor, et casus velle levare meos. [esse

1. *Imagine ceræ.*] *Gemmæ* Fragm. Boxhornii et Francof. quamvis vero vulgatam defendi posse sciam, rectius tamen meo judicio gemma dicitur imprimi, quam cera, cui gemma imprimit imaginem; et hoc confirmatur mox, ver. 7. Burm.

6. *Nec repetunt.*] Nec memoriam reducunt. *Signa vetusta.* Antiquam imaginem annuli mei.

10. *Non aliena.*] h. e. consanguinitate propinqua. Harles.

11. *Vel studiis.*] Subaudi, vel quam curam mei debes communibus studiis: (ut diximus) homines invicem conciliare solent ac debent.

13. *Quidquid restabat.*] Quidquid post ea quæ ipse composuit, permanebat; Homerus enim bellum Trojanum descripsit usque ad mortem Hectoris.

18. *Diversum iter.*] Quia Macer heroico carmine, Ovidius elego florebat.

19. *Esse memorem.*] Quia Macer

Te duce, magnificas Asiæ perspeximus urbes;
  Trinacris est oculis te duce nota meis.
Vidimus Ætnæa cœlum splendescere flamma,
  Subpositus monti quam vomit ore gigas;
Hennæosque lacus, et olentia stagna Palici,
  Quaque suis Cyanen miscet Anapus aquis.
Nec procul hinc Nymphen, quæ, dum fugit Elidis amnem,
  Tecta sub æquorea nunc quoque currit aqua.
Hic mihi labentis pars anni magna peracta est.
  Eheu, quam dispar est locus ille Getis!
Et quota pars hæc sunt rerum, quas vidimus ambo,
  Te mihi jucundas efficiente vias!

viderat Ovidii poemata, et illum ejusdem studii et sacrorum cultorem amabat, antequam in exsilium proficisceretur. Mer. *Quorum te memorem.* Sive quarum rerum, videlicet, quod sacra poetis inter se communia sunt, etiam si ipsi inter se diversa scribendi genera sequuntur, te memorem esse puto, eoque velle casus meos levare. Micyl.

21. *Te duce.*] Cum Macro enim in Asiam navigavit poeta, et in Siciliam.

24. *Subpositus monti.*] Fingunt poetæ a Jove fulminatum Typhœum.

25. *Henneosque lacus, et olentia stagna Palici.*] *Hennæosque* Sarrav. Argent. et unus Vatic. duo alii *Ennæosque.* Dictum de hac voce multis ad Raptum Proserpinæ Claudiani. Præterea scribendum *Palicos*, ut sit adpositio: vidimus Palicos stagna olentia. *Stagna Palicorum* dixit Metam. v. Sic apud Græcos semper *λίμνη Παλίκων*, et *κρατῆρες Παλίκων*; etiam *Παλικίνη κρηνή·* nam duos fratres Deos Palicos fuisse constat. Virgilio tamen, Æneid. x. *placabilis ara Palici.* Sed et illic quoque per adpositionem sumi potest. Posset et legi, *olentia stagna Palicen*, ut ad oppidum *Παλίκην*, stagno vicinum, innuat. Adi Siciliam accuratissimi Cluverii. Heins.

26. *Quaque suis Cyanen, &c.*] Per omnia subauditur, *Vidimus.* Cyane autem nympha fuit Sicula, socia Proserpinæ, quæ ob raptam a Plutone Proserpinam adeo flevit, ut in fontem sui nominis mutata fuerit: fabulam plenius refert Ovid. Metam. lib. v.

27. *Nec procul hinc Nymphe.*] Arethusam dicit. Arethusa autem virgo fuít venatrix, comes Dianæ, quæ, quum æstu fatigata, se in Alpheo flumine lavaret, dum Deus illa amata potiri cupit, aufugit. Ille vero dum pertinacius insequitur, Arethusa, implorato Dianæ subsidio, in fontem sui nominis conversa est. Cujus undis quum Alpheus commiscere se vellet, illa vero per subterraneos meatus diffugeret, usque in Siciliam prosecutus est. Mer.

32. *Te mihi jucundas efficiente vias!*] Dictumne est hoc juxta illud Publii, *Facundus comes in via pro vehiculo est.*

Seu rate cæruleas picta sulcavimus undas;
Esseda nos agili sive tulere rota.
Sæpe brevis nobis vicibus via visa loquendi;
Pluraque, si numeres, verba fuere gradu.
Sæpe dies sermone minor fuit; inque loquendum
Tarda per æstivos defuit hora dies.
Est aliquid, casus pariter timuisse marinos;
Junctaque ad æquoreos vota tulisse Deos:
Et modo res egisse simul; modo rursus ab illis,
Quorum non pudeat, posse referre jocos.
Hæc tibi si subeant, absim licet, omnibus horis
Ante tuos oculos, ut modo visus, ero.
Ipse quidem extremi quum sim sub cardine mundi,
Qui semper liquidis altior exstat aquis,
Te tamen intueor, quo solo pectore possum,
Et tecum gelido sæpe sub axe loquor.
Hic es, et ignoras, et ades celeberrimus absens;
Inque Getas media visus ab urbe venis.

35. *Vicibus loquendi.*] Alternatim sermonem habendo, fecit ut iter nobis breve videretur.

36. *Fuere plura gradu.*] Fuere numerosiora ipsis gressibus et gradibus nostris. MER.

37. *Sæpe dies sermone minor fuit.*] Dies sæpe visus fuit brevior sermone. HEINS.

38. *Dies tarda.*] Dies ipsa, quæ per æstatem est tardior et longior.

39. *Casus pariter timuisse marinos.*] Simul fuisse in aliquo mortis periculo, ut nos, qui inter navigandum in Asiam pæne naufragium fecimus.

40. *Juncta vota.*] Vota simul facta in ea tempestate.

43. *Hæc tibi si subeant.*] Hæc supra dicta simul acta si tibi in mentem veniant.

44. *Ut modo visus.*] Ita memineris mei, quasi paulo ante abs te discesserim. PONT.

46. *Altior exstat aquis.*] Hoc est, qui nunquam mergitur Oceano, aut occidit; quemadmodum et de stellis, quæ circa eundem sunt, diximus supra. Hinc et Virgil dixit, Georg. i. ver. 242:

Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt.

50. *Visus.*] Scil. mente: placet cum Burmanno, et plurimi habent; *jussus* Bavar. Sarrav. Argent. et octo alii; *missus* alii, et reposuit Auct. Elect. Etonens. ipsique translatio est a curruum in Circensibus *missu*: atque adeo intelligendum censet: ab urbe, tamquam a carceribus, celeritate in-

Redde vicem; et, quoniam regio felicior ista est,
  Illic me memori pectore semper habe.

EPISTOLA XI.

RUFO.

Hoc tibi, Rufe, brevi properatum tempore mittit
  Naso, parum faustæ conditor Artis, opus:
Ut, quanquam longe toto sumus orbe remoti,
  Scire tamen possis nos meminisse tui.
Nominis ante mei venient oblivia nobis,
  Pectore quam pietas sit tua pulsa meo.
Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
  Quam fiat meriti gratia vana tui.
Grande voco lacrymas meritum, quibus ora rigabas,
  Quum mea concreto sicca dolore forent.
Grande voco meritum, mœstæ solatia mentis,
  Quum pariter nobis illa tibique dares.
Sponte quidem, per seque mea est laudabilis uxor;
  Admonitu melior fit tamen illa tuo.
Namque quod Hermiones Castor fuit, Hector Iuli,
  Hoc ego te lætor conjugis esse meæ.

credibili, medium spatium transvolans in Getas venis. At Burmanno jure invito: qui docet, *visus, missus, jussus* sæpius confundi. HARLES.

11. *Mœstæ solatia mentis.*] Consolationes tuas adhibitas conturbatæ et consternatæ menti meæ propter relegationem.

14. *Admonitu tuo.*] Tuo consilio. *Fit melior.* Redditur magis pudica hoc tempore quo ab urbe absumus.

15. *Namque quod Hermione Castor fuit.*] Hermione filia fuit Helenæ, sororis Castoris. Castor ergo avunculus fuit Hermiones. *Hector Iulo.* Hector frater fuit Creusæ, uxoris Æneæ, avunculus Ascanii, qui etiam Iulus adpellatus fuit.

Quæ, ne dissimilis tibi sit probitate, laborat;
  Seque tui vita sanguinis esse probat.
Ergo, quod fuerat stimulis factura sine ullis,
  Plenius auctorem te quoque nacta facit.
Acer, et ad palmæ per se cursurus honores,
  Si tamen horteris, fortius ibit equus.
Adde, quod absentis cura mandata fideli
  Perficis, et nullum ferre gravaris onus.
O referant grates, quoniam non possumus ipsi,
  Dî tibi! qui referent, si pia facta vident.
Sufficiatque diu corpus quoque moribus istis,
  Maxima Fundani gloria, Rufe, soli.

17. *Quæ ne dissimilis tibi sit.*] Quæ mea uxor, ut mores tuos imitetur.

18. *Esse tui sanguinis.*] Esse tui generis. *Vita.* Vitæ honestate, et recte vivendo, ut tu facis.

19. *Sine ullis stimulis.*] Sine tuo, aut cujusquam suasu et hortamine.

21. *Ad honores palmæ.*] Ad victoriam curulem.

23. *Mandata absentis.*] Quæ a me absente tibi mandantur.

26. *Si pia facta vident.*] Si vident quæ a te pie pro me geruntur.

27. *Sufficiat diu.*] Diu duret et subministret.

28. *Soli Fundani.*] Fundi oppidum fuit Campaniæ, patria hujus Rufi, ad quem scribit Ovidius.

PUBLII OVIDII NASONIS

EPISTOLARUM

EX PONTO

LIBER TERTIUS.

EPISTOLA PRIMA.

UXORI.

ÆQUOR Iasonio pulsatum remige primum,
  Quæque nec hoste fero, nec nive terra cares;
Ecquod erit tempus, quo vos ego Naso relinquam,
  In minus hostilem jussus abire locum?
An mihi Barbaria vivendum semper in ista?
  Inque Tomitana condar oportet humo?
Pace tua, si pax ulla est tibi, Pontica tellus,
  Finitimus rapido quam terit hostis equo;
Pace tua dixisse velim; tu pessima duro
  Pars es in exsilio; tu mala nostra gravas.
Tu neque ver sentis, cinctum florente corona;
  Tu neque messorum corpora nuda vides.
Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas:
  Cuncta sed immodicum tempora frigus habent.

1. *Æquor pulsatum.*] O mare Ponticum remis erutum et agitatum. *Iasonio remige.* Nautis Jasonis, qui per mare Ponticum primum navigavit, quum Argo navi profectus est ad rapiendum aureum vellus.

Tu glacie freta vincta tenes; et in æquore piscis
Inclusus tecta sæpe natavit aqua.
Nec tibi sunt fontes, laticis nisi pæne marini;
Qui potus dubium sistat alatne sitim.
Rara, neque hæc felix, in apertis eminet arvis
Arbor; et in terra est altera forma maris.
Non avis obloquitur; silvis nisi si qua remotis
Æquoreas rauco gutture potat aquas.
Tristia per vacuos horrent absinthia campos,
Conveniensque suo messis amara loco.
Adde metus, et quod murus pulsatur ab hoste,
Tinctaque mortifera tabe sagitta madet;
Quod procul hæc regio est, et ab omni devia cursu;
Nec pede quo quisquam, nec rate tutus eat.

15. *In æquore piscis inclusus.*] In ore paludis Mæoticæ, ut est auctor Strabo, tanta est glaciei vis, ut destituti in glacie pisces ligonibus effodiantur.

19. *Felix.*] Fecunda, et ferens fructus. Mer. Adlusum ad illud, *infelicibus ustulanda lignis.* D.

20. *Et in terra est altera forma maris.*] Sensus est: ita sterilis et vacua ipsa terra est, ut formam ac speciem maris intuentibus præbeat, in quo neque arbores, neque fruges ullæ nascuntur. Non enim ad planitiem tantum respexisse poetam, sed ad sterilitatem et vacuitatem magis existimo.

21. *Non avis obloquitur silvis.*] Expono: nec avis ulla obloquitur silvis, hoc est, cantat, nisi si qua forte in extremis, et ab usu hominum remotis silvis, hoc est, in solitudinibus potando aquam marinam, edit sonitum aliquem gutture. Ex quo illud intelligi poeta videtur velle, nullas omnino aves illic esse, præter maritimas, easque circa extrema litora et solitudines versari. Micyl. Aut recipienda distinctio Micylli, aut locus corruptus est: nam quis unquam vidit in remotis silvis avem potare aquam æquoream? et præterea sæpe queritur Naso, nullas arbores esse in loco, quod egebat; quare ego mallem legere: *Non avis obloquitur; silvis nisi si qua relictis Æquoreas rauco gutture potat aquas.* Verba illa *remotis* et *relictis* sæpe confusa. Relinquunt vero silvas et Mediterranea aves frigore ingruente, ut maris aquam, quæ non tam cito congelascit, bibant. Burm.

23. *Tristia absinthia.*] Amaræ illæ herbæ, quarum copia maxima est in Ponto. Et Ovid. etiam scribit, herbas veneficiis aptas in Ponto lectas fuisse. *Horrent.* Horrida videntur, squalida et inculta. *Per campos vacuos.* Per campos sine ullis arboribus.

24. *Conveniens suo loco.*] Conveniens regioni Ponticæ infructuosæ.

25. *Murus.*] Lapideus ambitus Tomitanæ civitatis.

27. *Et ab omni devia cursu.*] Et remota ab omni navigatione: nemo enim fere navigat in plagam illam

Quare, tu præsta, ne livor dicere possit:
Hæc est pro miseri lenta salute viri.
Quumque ego deficiam, nec possim ducere currum,
Fac tu sustineas debile sola jugum.
Ad medicum specto, venis fugientibus æger:
Ultima pars animæ dum mihi restat, ades.
Quodque ego præstarem, si te magis ipse valerem,
Id mihi, quum valeas fortius, ipsa refer.
Exigit hoc socialis amor, fœdusque maritum;
Moribus hoc, conjux, exigis ipsa tuis.
Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam
Non magis officiis, quam probitate, colas.
Cuncta licet facias, nisi sis laudabilis uxor,
Non poterit credi Marcia culta tibi.
Nec sumus indigni; nec, si vis vera fateri,
Debetur meritis gratia nulla meis.
Redditur illa quidem grandi cum fœnore nobis,
Nec te, si cupiat lædere, livor habet.
Sed tamen hoc factis adjunge prioribus unum,
Pro nostris ut sis ambitiosa malis.

67. *Quumque ego deficiam.*] Et quum mihi vires desint. *Nec possim ducere currum.* Tanquam auriga: hoc est, nec possim rebus meis præesse, quia ab urbe absum.

68. *Debile jugum.*] Res meas debiles et adflictas.

69. *Ad medicum specto.*] Ad te confugio, tanquam ægroti ad medicum. *Venis fugientibus.* Deficiente spiritu et sanguine. Qua similitudine dicit parum vitæ sibi superesse. Mer.

75. *Hoc domui debes.*] Familiæ tuæ, quæ erga suos officiosa est, fidem debes imitari. *De qua censeris.* Ad quam pertines, de qua numeraris in censu. Unaquæque enim familia, et totus populus censebatur. Mer.

76. *Non minus officiis.*] Pro eo quod est: non solum proba, sed et officiosa erga me esse debes. Micyl.

77. *Marcia*, h. e. Maximi uxor, v. Micyll. Harles.

78. *Non poterit credi Marcia culta tibi.*] Marcia filia fuit Philippi, quam Cato posterior uxorem duxit post divortium Attiliæ. Eam deinde ille Q. Hortensio concessit: de qua multa Lucanus. Hanc igitur ut castissimam matronam coluit uxor Ovidii. Mer.

84. *Ut sis ambitiosa.*] Ut sis captatrix favoris et misericordiæ. Mer. Vel ut in obtinenda mihi exsilii mutatione omnibus laudem præripias, et videare ejus rei adfectare principatum. Pont.

Ut minus infesta jaceam regione, labora:
Clauda nec officii pars erit ulla tui.
Magna peto, sed non tamen invidiosa roganti:
Utque ea non teneas, tuta repulsa tua est.
Nec mihi succense, toties si carmine nostro,
Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo.
Fortibus adsuevit tubicen prodesse, suoque
Dux bene pugnantes incitat ore viros.
Nota tua est probitas, testataque tempus in omne:
Sit virtus etiam non probitate minor.
Non tibi Amazonia est pro me sumenda securis,
Aut excisa levi pelta gerenda manu.
Numen adorandum est; non ut mihi fiat amicum,
Sed sit ut iratum, quam fuit ante, minus.
Gratia si nulla est, lacrymæ tibi gratia fient:
Hac potes, aut nulla, parte movere Deos.

86. *Clauda nec officii pars erit ulla tui.*] Omni ex parte perfectum erit officium tuum.

87. *Sed non tamen invidiosa roganti.*] Sed tamen nullam tibi invidiam et detrectationem, seu odium conciliatura.

88. *Utque ea non teneas.*] Et quamvis non obtineas quæ pro me petes. *Tuta repulsa tua est.* Si rejicieris re infecta, nihil ob id tibi mali continget.

90. *Ut facias quod facis.*] Ut mihi opituleris, quemadmodum facis. *Teque imitere.* Et rogo etiam, ut velis mores et naturam tuam imitari, qua soles sponte semper de omnibus bene mereri.

91. *Fortibus adsuevit tubicen prodesse.*] Quemadmodum in bello tubicen cantu fortes milites accendit, et bonus etiam imperator oratione alacriores reddit: sic se dicit eo modo uxorem sponte incitatam etiam hortari.

94. *Sit virtus etiam non probitate minor.*] Versus merito suspectus mihi. Heins. Videtur tamen purgatu facilis. *Probitatem*, id est mores et affectum laudat; *virtutem*, id est fortitudinem aliquantum desiderat: id *αἰνίττεται* quod præcessit, *tuta repulsa tua est*: sequentia vero apertius declarant; illud præcipue, *Quid trepidas, et adire times.*

96. *Aut pelta excisa.*] Aut scutum ad similitudinem lunæ jam mediæ, quo Amazones utebantur.

97. *Numen adorandum est.*] Per numen, Augustum intellige. Docet autem, quid ab uxore fieri debeat.

99. *Lacrymæ tibi gratia fient.*] Incipias lacrymis apud imperatorem agere, quæ erunt loco gratiæ: tunc enim flectetur ad misericordiam, et eo pacto omnia quæ voles, obtinebis.

Quæ tibi ne desint, bene per mala nostra cavetur;
Meque viro flendi copia dives adest.
Utque meæ res sunt, omni, puto, tempore flebis:
Has fortuna tibi nostra ministrat opes.
Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset,
Admeti conjux, quam sequereris, erat.
Æmula Penelopes fieres, si fraude pudica
Instantes velles fallere nupta procos.
Si comes exstincti manes sequerere mariti,
Esset dux facti Laodamia tui.
Iphias ante oculos tibi erat ponenda, volenti
Corpus in accensos mittere forte rogos.
Nil opus est leto, nil Icariotide tela;
Cæsaris at conjux ore precanda tuo;
Quæ præstat virtute sua, ne prisca vetustas
Laude pudicitiæ sæcula nostra premat;
Quæ Veneris formam, mores Junonis habendo,
Sola est cœlesti digna reperta toro.
Quid trepidas? quid adire times? non impia Progne,
Filiave Æetæ voce movenda tua est:

101. *Quæ tibi ne desint.*] Ne illæ lacrymæ deficiant. *Bene per mala nostra cavetur.* Quæ si in memoria habueris, et ante oculos, subpetent tibi lacrymarum flumina.

106. *Admeti conjux*, &c.] Alcestis, Peliæ filia, uxorque Admeti regis, ita maritum amavit, ut pro eo mori non dubitarit.

107. *Æmula Penelopes fieres.*] Fieres ejusdem rei studiosa, cujus fuit Penelope. *Fraude pudica.* Telæ scil.

108. *Instantes*, &c.] Procos te uxorem petentes, quemadmodum Penelopen.

109. *Manes exstincti mariti.*] Manes mortui Protesilai.

111. *Iphias ante oculos.*] Evadne, Iphiæ filia, se in ardentem Capanei mariti rogum, ob nimium amorem, præcipitavit.

113. *Icariotide tela.*] Tela et fraude Penelopes, Icarii filiæ.

114. *Cæsaris conjux.*] Livia, Augusti uxor.

116. *Premat nostra secula.*] Vincat nostrum ævum.

118. *Toro cœlesti.*] Lecto divi Augusti.

119. *Impia Progne.*] Crudelis Progne, Terei uxor, quæ filium Itym patri epulandum adposuit, in ultionem sororis Philomelæ, quam ille violaverat.

120. *Filia Æetæ.*] Medea filia Æetæ, regis Colchorum. *Non est movenda tua voce.* Quasi dicat, Adlo-

Nec nurus Ægypti, nec sæva Agamemnonis uxor;
Scyllaque, quæ Siculas inguine terret aquas;
Telegonive parens vertendis nata figuris;
Nexave nodosas angue Medusa comas.
Femina sed princeps, in qua fortuna videre
Se probat, et cæcæ crimina falsa tulit:
Qua nihil in terris, ad finem Solis ab ortu
Clarius, excepto Cæsare, mundus habet.
Eligito tempus, captatum sæpe rogandi,
Exeat adversa ne tua navis aqua.
Non semper sacras reddunt oracula sortes;
Ipsaque non omni tempore fana patent.
Quum status urbis erit, qualem nunc auguror esse,
Et nullus populi contrahet ora dolor;
Quum domus Augusti, Capitolî more colenda,
Læta, quod est, et sit, plenaque pacis erit;

queris tu quidem feminam prorsus ab omni crudelitate alienam.

121. *Nec nurus Ægypti.*] Nec aliqua Danaidum, quæ maritos omnes una nocte occiderunt, præter Hypermnestram, quæ maritum servavit. *Nec sæva Agamemnonis uxor.* Nec crudelis Clytæmnestra, quæ Agamemnonem maritum occidit.

122. *Scyllaque.*] Subaudi, non est roganda. *Terret inguine.* Virgil. Eclog. vi. 75. sqq:

Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis.

123. *Telegonive parens.*] Circem designat. *Vertendis figuris.* Mutandis hominibus in monstra.

125. *In qua fortuna videre Se probat.*] In qua femina, fortuna ostendit se non cæcam esse. Quam quidem feminam dignam probitate, et non temere ad principatum evexit: et in quam videns et sciens fortuna tot et tam ampla bona congesserit.

126. *Et tulit falsa crimina cæcæ.*] Falso cæca adpellata fuit.

128. *Clarius.*] Nobilius ipsa Livia. *Excepto Cæsare.* Excepto Augusto.

129. *Captatum sæpe.*] Hac in re sæpius a te captatum, et quasi tentatum.

130. *Exeat adversa ne tua navis aqua.*] Immo, ut exeat; unus Vatican. *Ereat*, hoc est, *Hæreat*, quod sensus requirit. Heins. Verum mihi pro certo est, *exeat* retinendum, et *adversa aqua* interpretandum, quando aqua fuerit adversa. Ne exeat, inquit, e portu navis, æstu adversante, atque ita difficilem cursum male auspicetur.

131. *Sacras sortes.*] Sacra responsa.

135. *Capitolî more.*] Eo modo quo Capitolium, quod non colebatur, nisi quum triumphabant, aut in publica

Tum tibi Dî faciant adeundi copia fiat;
  Profectura aliquid tum tua verba puta.
Si quid aget majus, differ tua cœpta; caveque
  Spem festinando præcipitare meam.
Nec rursus jubeo, dum sit vacuissima, quæras:
  Corporis ad cultum vix vacat illa sui.
Curia quum patribus fuerit stipata verendis,
  Per rerum turbam tu quoque oportet eas.
Quum tibi contigerit vultum Junonis adire,
  Fac sis personæ, quam tueare, memor.
Nec factum defende meum; mala causa silenda est:
  Nil nisi sollicitæ sint tua verba preces.
Tum lacrymis demenda mora est, submissaque [terræ
  Ad non mortales brachia tende pedes.
Tum pete nil aliud, sævo nisi ab hoste recedam:
  Hostem fortunam sit satis esse mihi.
Plura quidem subeunt; sed jam turbata timore
  Hæc quoque vix poteris ore tremente loqui.
Suspicor hoc damno tibi non fore; sentiat illa
  Te majestatem pertimuisse suam.
Nec tua si fletu scindantur verba, nocebit:
  Interdum lacrymæ pondera vocis habent.

aliqua lætitia: ex quo designat, tunc tempus fore verba de se faciendi apud Liviam, quum viderit in ædibus Augusti esse lætitiam aliquam, qualis esse solet in Capitolio.

139. *Si quid aget.*] *Agent* Francof. forte recte: Cæsar scilicet et Livia, cum qua sæpe consilia conferebat.

144. *Per patrum turbam.*] Per senatorum multitudinem, dum ad Liviam vadis. *Per rerum turbam*, eleganter Sarrav. quo populi confluxum designat. *Per patriam turbam.* Arondelian. Burmannus mallet, *Per matrum turbam;* nimirum, dum, Augusto in curia cum patribus versante, Livia est stipata matronis.

146. *Personæ quam tueare.*] Memento te esse uxorem meam, cui præ omnibus pro me laborandum, et causa mea fidelissime agenda sit.

152. *Fortunam esse mihi hostem.*] Habere fortunam solam inimicam, et non Scythas etiam: vel calamitas mea satis hostiliter me habet.

157. *Nec tua si fletu.*] Etiam hoc distichon vix pro genuino habendum, ne bis idem dicat: jam enim præces-

Lux etiam cœptis facito bona talibus adsit,
Horaque conveniens, auspiciumque favens.
Sed prius imposito sanctis altaribus igni,
Tura fer ad magnos vinaque pura Deos.
E quibus ante omnes Augustum numen adora,
Progeniemque piam, participemque tori.
Sint utinam mites solito tibi more, tuasque
Non duris lacrymas vultibus adspiciant.

EPISTOLA II.

COTTÆ*.

QUAM legis a nobis missam tibi, Cotta, salutem,
Missa sit ut vere, perveniatque, precor.
Namque meis sospes multum cruciatibus aufers,
Utque sit e nobis pars bona salva, facis.

serat, *Nec lacrymis demenda mora est.* *Scinduntur* pro *scindentur* sex scripti: posterior versus ex Epistola Briseidis, ver. 4. conflatus: *Sed tamen et lacrymæ pondera vocis habent.* HEINS. Potuit tamen hæc quoque scripsisse Noster, neque sic bis idem dixisse. Lacrymare enim possit aliquis, ita tamen ut verba ne interrumpat: neque omittendum, *fletum* non semper esse cum *lacrymis*, neque vero hic est. Vocem nempe aliquam lacrymantis id verbum significat; Virg. Æn. iii. ver. 344:

Talia fundebat lacrymans, longosque ciebat
Incassum fletus.

Phædr. i. fab. ix. *Fletus edens graves lepus.* Val. Flacc. ii. ver. 172: *Condensæ fletus acuunt.* Cicero pro Plancio: *Non modo lacrymulam, sed multas lacrymas et fletum cum singultu videre potuisti.* Noster denique Met. ii. 340:

Nec minus Heliades fletus, et inania morti
Munera, dant lacrymas.

AUCT. ELECT. ETON.

162. *Ad magnos Deos.*] Ad Augustum et Liviam.

* COTTÆ.] Cottæ Messallino M. Valerii Messalæ Corvini, oratoris illius summi, filio, qui adoptione in Aureliam gentem transiverat, unde et Cottæ cognomen sibi adscivit. Quem memorant, Pers. Sat. ii. 72; Juvenal. Sat. vii. 75; Plin. lib. x. cap. 20.

2. *Missa sit ut vere.*] Salus vere dicitur mitti, quum ille ad quem scribimus, recte valet, quemadmodum optamus.

Quumque labent alii, jactataque vela relinquant,
Tu laceræ remanes anchora sola rati.
Grata tua est igitur pietas: ignoscimus illis,
Qui cum fortuna terga dedere fugæ.
Quum feriant unum, non unum fulmina terrent,
Junctaque percusso turba pavere solet:
Quumque dedit paries venturæ signa ruinæ,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
Quis non e timidis ægri contagia vitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?
Me quoque amicorum nimio terrore metuque,
Non odio, quidam destituere mei.
Non illis pietas, non officiosa voluntas
Defuit: adversos extimuere Deos.
Utque magis cauti possunt timidique videri,
Sic adpellari non meruere mali.
At meus excusat caros ita candor amicos,
Utque habeant de me crimina nulla, favet.
Sint hac contenti venia, signentque licebit
Purgari factum, me quoque teste, suum.
Pars estis pauci potior, qui rebus in arctis
Ferre mihi nullam turpe putastis opem.

6. *Jactataque vela relinquant.*] Et deferant vela a ventis agitata. Per *vela* autem, amicitiæ fidem et officium intellige.

8. *Qui cum fortuna terga dedere fugæ.*] Scribe vel invitis scriptis codicibus, *cum fortuna terga dedere mea.* *Terga dare* pro *fugere*, usitatum Nostro, et melioris ævi scriptoribus. HEINS. *Qui cum fortuna.* Qui ubi me a fortuna prostratum et relegatum videre, cœperunt fugere.

23. *Hac.*] Ex Moreti codice recepit Heinsius: *hi* Bavar. Erfurt. etc. *Signentque* vulgata lectio, et ex jure Romano sumta de testibus, subscriptione sigilloque aliquid confirmantibus. P. iv. 15. 11. Burmanno displicet, quod nemini credi possit, qui in rem suam signet, sed ut testis alterius facti aliquid confirmet, et, cum Ovidio teste vellent uti, ille signari debuisset, non isti; quare mallet *fingantque*, hoc sibi persuadeant et fingant, me etiam probare eorum innocentiam et testari, non fuisse in eorum manu, mihi opem ferre. At enim, Ovidius scripserat, *me quoque teste*, et in voc. *signent*, quod non mutarem, fingit tantum casum. HARLES.

Tunc igitur meriti morietur gratia vestri,
  Quum cinis absumto corpore factus ero.
Fallar, et illa meæ superabit tempora vitæ;
  Si tamen a memori posteritate legar.
Corpora debentur mœstis exsanguia bustis:
  Effugiunt structos nomen honorque rogos.
Occidit et Theseus, et qui comitavit Oresten:
  Sed tamen in laudes vivit uterque suas.
Vos etiam seri laudabunt sæpe nepotes,
  Claraque erit scriptis gloria vestra meis.
Hic quoque Sauromatæ jam vos novere, Getæque,
  Et tales animos barbara turba probat.
Quumque ego de vestra nuper probitate referrem,
  Nam didici Getice Sarmaticeque loqui,
Forte senex quidam, cœtu quum staret in illo,
  Reddidit ad nostros talia verba sonos:
Nos quoque amicitiæ nomen bene novimus, hospes,
  Quos procul a vobis frigidus Ister habet.
Est locus in Scythia, Tauros dixere priores,
  Qui Getica longe non ita distat humo.

27. *Morietur gratia vestri meriti.*] Similiter Virg. Æn. vii. ver. 232:

nec vestra feretur
Fama levis, tantique abolescet gratia facti.

30. *Legar.*] Legentur monumenta et carmina mea, vestra in me merita testatura.

33. *Et qui comitavit Oresten.*] Et Pyladem, qui Orestem in Tauricam regionem prosecutus est.

34. *In suas laudes.*] In gloriam tantæ amicitiæ, quæ fuit inter eos. Vel in laudes utriusque, scil. Thesei et Pyladis.

37. *Sauromatæ.*] Populi illi Scythici, qui ita a Græcis, alias *Sarmatæ* adpellantur.

38. *Tales animos.*] Animos tam fidos et constantes.

41. *In illo cœtu.*] In ea virorum corona, ubi amicitiæ vestræ constantiam prædicabam. Mer.

42. *Reddidit ad sonos.*] Excepit verba mea tali narratione. Vel, laudes a me vobis tributas, ut amicis optimis, jucunda duorum amicorum historia confirmavit. Pont.

43. *Hospes.*] O peregrine Ovidi.

45. *Est locus in Scythia.*] Hæc est narratio senis cujusdam, quem poeta inducit referentem amicitiam Pyladis et Orestis, quos in Tauricam regionem venisse dicit, ubi regnabat Thoas. *Tauros dixere priores.* Taurica regio (auctore Plinio) in Scythia est, et a

Hac ego sum terra, patriæ nec pœnitet, ortus.
Consortem Phœbi gens colit illa Deam.
Templa manent hodie vastis innixa columnis;
Perque quater denos itur in illa gradus.
Fama refert, illic signum cœleste fuisse:
Quoque minus dubites, stat basis orba Dea.
Araque, quæ fuerat natura candida saxi,
Decolor adfuso tincta cruore rubet.
Femina sacra facit, tædæ non nota jugali,
Quæ superat Scythicas nobilitate nurus.
Sacrificî genus est, sic instituere priores,
Advena virgineo cæsus ut ense cadat.
Regna Thoas habuit, Mæotide clarus in ora:
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo, liquidas fecisse per auras
Nescio quam dicunt Iphigenian iter;
Quam levibus ventis sub nube per æquora vectam
Creditur his Phœbe deposuisse locis.

Carcinite incipit, quondam mari circumfusa et ipsa, quaque nunc jacent campi, deinde vastis adtollitur jugis.

48. *Consortem Phœbi*, &c.] Sororem Phœbi, Dianam.

50. *Per quater denos gradus.*] Per gradus quadraginta. Ex quo templi altitudinem et magnificentiam demonstrat.

51. *Signum cœleste.*] Statua Dianæ.

52. *Stat basis orba Dea.*] Basis restat sola, orbata simulacro Dianæ, quod abstulit Orestes fugiens cum Iphigenia, et Ariciam portavit, ut Servius docet.

53. *Natura saxi.*] E marmore.

54. *Decolor.*] *Discolor* Putean.

55. *Tæda non nota jugali.*] Præstat; ut *notus arte*, *improbitate*, et similia dicuntur: nisi *tædæ jugalis* quis velit, ut Horatius, Od. II. xxi. 6:

Notus paterni animi.

Posset et *nota* ad *sacra* referri, ut sint sacra, ad quæ solis virginibus aditus sit, et ideo ignota tædæ jugali; id est, feminis nuptis: quod probat ver. 58. Burm.

56. *Quæ superat nobilitate.*] Quæ est nobilior genere. Hujusmodi enim eligebatur Dianæ sacerdos in Taurica regione.

58. *Ense virgineo.*] Cultro virginis sacerdotis.

59. *Thoas.*] Adi Eurip. fab. 10.

Cursus Thoanti fecit hoc nomen pedum.

61. *Per liquidas auras.*] Per purum aera. Nota est fabula, ereptam Iphigeniam Dianæ sacrificandam; et a Dea delatam per aera in Tauricam regionem, cervamque pro ea subpositam, ut Servius docet.

64. *Phœbe.*] Diana.

Præfuerat templo multos ea rite per annos,
  Invita peragens tristia sacra manu;
Quum duo velifera juvenes venere carina,
  Presseruntque suo litora nostra pede.
Par fuit his ætas, et amor: quorum alter Orestes,
  Alter erat Pylades: nomina fama tenet.
Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
  Evincti geminas ad sua terga manus.
Spargit aqua captos lustrali Graia sacerdos,
  Ambiat ut fulvas infula longa comas.
Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis,
  Dum tardæ causas invenit usque moræ:
Non ego crudelis, juvenes ignoscite, dixit;
  Sacra suo facio barbariora loco.
Ritus is est gentis: qua vos tamen urbe venitis?
  Quove parum fausta puppe petistis iter?
Dixit: et, audito patriæ pia nomine virgo,
  Consortes urbis comperit esse suæ.
Alter at e vobis, inquit, cadat hostia sacri,
  Ad patrias sedes nuntius alter eat.
Ire jubet Pylades carum periturus Oresten:
  Hic negat; inque vicem pugnat uterque mori.

65. *Præfuerat*, &c.] Præposita fuerat Iphigenia templo illi Tauricæ Dianæ.

72. *Evincti geminas.*] Erat enim consuetudo, ut aris destinati homines ligarentur.

73. *Sparsit captos lustrali*, &c.] Lustralem aquam intelligit, quæ lustrandis ac purgandis hostiis adhibebatur; non molam: neque enim mola aqua constabat, sed hordeo et sale: quæ antequam hostiæ jugularentur, aspergi illis atque offerri solebant. Mer.

74. *Ut infula longa ambiat.*] Ut infula circumdet. Erat enim *infula* fascia in modum diadematis, et a qua vittæ ab utraque parte dependebant.

78. *Suo loco.*] Hac terra Taurica, quæ est crudelis: et ideo sacra etiam crudelia celebrantur a me tamen non crudeli.

79. *Ritus is est gentis.*] Malim *genti*. Heins. *Ritus is est gentis.* Talis mos est Tauricis populis, Dianæ hospites immolare.

81. *Nomine patriæ.*] Nomine Mycenarum.

84. *Ad sedes patrias.*] In Græciam, Mycenas.

86. *Inque vicem pugnat uterque mori:*

Exstitit hoc unum, quo non convenerit illis :
  Cætera par concors et sine lite fuit.
Dum peragunt pulchri juvenes certamen amoris,
  Ad fratrem scriptas exarat illa notas :
Ad fratrem mandata dabat, cuique illa dabantur,
  Humanos casus adspice, frater erat.
Nec mora; de templo rapiunt simulacra Dianæ,
  Clamque per immensas puppe feruntur aquas.
Mirus amor juvenum, quamvis abiere tot anni,
  In Scythia magnum nunc quoque nomen habet.
Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo,
  Laudarunt omnes facta piamque fidem.
Scilicet hac etiam, qua nulla ferocior, ora
  Nomen amicitiæ barbara corda movet.
Quid facere Ausonia geniti debetis in urbe,
  Quum tangant diros talia facta Getas?
Adde, quod est animus semper tibi mitis, et altæ
  Indicium mores nobilitatis habet;
Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor;
  Quos Numa maternus non neget esse suos:

Hic veri amoris dulce certamen vides;
Servare Oresten serio Pylades studet,
Pyladenque Orestes; mutuus sensus monet:
Neuter superstes esse suffert alteri;
ex Eurip. fab. 10.

87. *Cætera concors* eleganti Græcismo, ut *cætera Graius* Virgilio, et Nostro *cætera sospes*, Met. viii. Heins. *Quo non convenerit illis.* In quo non fuerint concordes. Mer.

90. *Ad fratrem scriptas.*] Quem putabat jam e Phocide, quo puer delatus erat, rediisse et Argis manere. Ad eum conscribit epistolam, et fratri (quod nesciebat) portandam committit. Pont.

104. *Indicium mores nobilitatis habent.*] *Habet* Politian. recte: animus nimirum. Heins.

105. *Quos Volesus.*] *Valesus* multi veteres cum Argentino; duo *Valerus*; apud Rutilium *Volusus* vulgo legitur:

Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen;

ut et apud Silium, lib. ii. Punic. ver. 8:

Poplicola ingentis Volusi Spartana propago;

atque ita in Fastis Capitolinis, sed fragmentum termini vetustissimi Ro-

Adjectique probent genitiva ad nomina Cottæ,
  Si tu non esses, interitura domus.
Digne vir hac serie, lapso succurrere amico
  Conveniens istis moribus esse puta.

EPISTOLA III.

FABIO MAXIMO.

Si vacat exiguum profugo dare tempus amico,
  O sidus Fabiæ, Maxime, gentis, ades:
Dum tibi quæ vidi referam; seu corporis umbra,
  Seu veri species, seu fuit ille sopor.
Nox erat: et bifores intrabat Luna fenestras,
  Mense fere medio quanta nitere solet.
Publica me requies curarum somnus habebat,
  Fusaque erant toto languida membra toro:
Quum subito pennis agitatus inhorruit aer,
  Et gemuit parvo mota fenestra sono.
Territus in cubitum relevo mea membra sinistrum,
  Pulsus et e trepido pectore somnus abit.

mæ apud Maffeios: P. Valesius Volesi. F. Poplicola; quam scripturam Dionysius Halicarnasseus quoque et Plutarchus agnoscunt: postea Volusi et Valerii dicti, qui Volesii et Valesii primo. Heins. *Volesus auctor patrii nominis.* A Voleso enim paternum genus traxit Cotta. Fuit autem Volesus Sabinus, qui cum Tatio Romam venit.

106. *Numa maternus.*] Secundus rex Romanorum Numa Pompilius, a quo per matrem ducebat originem Cotta. *Esse suos.* Quia Cotta erat religiosus, et vir bonus, quemadmodum fuit Numa rex.

107. *Genitiva agnomina Cottæ.*] *Ad nomina* veteres plerique; et recte. Innuit etiam adoptione in Aureliam Cottarum familiam transisse. Heinsius.

109. *Hac serie.*] Hoc virtutum tuarum ordine; vel, quod magis placet, hac majorum origine.

7. *Publica requies curarum.*] Requies quæ communis est omnibus. *Habebat.* *Alebat* Medonian. alter.

Scripsimus hæc istis, quarum nec vitta pudicos
Contingit crines, nec stola longa pedes.
Dic, precor, ecquando didicisti fallere nuptas,
Et facere incertum per mea jussa genus?
An sit ab his omnis rigide submota libellis,
Quam lex furtivos arcet habere viros?
Quid tamen hoc prodest, vetiti si lege severa
Credor adulterii composuisse notas?
At tu, sic habeas ferientes cuncta sagittas;
Sic nunquam rapido lampades igne vacent;
Sic regat imperium, terrasque coerceat omnes
Cæsar, ab Ænea qui tibi fratre nepos;

51. *Quarum nec vitta pudicos Contingit crines.*] Quæ non sunt virgines, aut Vestales, quæ vitta peculiariter utebantur. Plaut. Cistellar. I. i. ver. 80:

Matronæ magis conducibile est unum amare—
Et cum eo ætatem exigere, cui nupta est semel;

et in Milite, IV. i. ver. 196:

Matronæ crines et vittas habent.

52. *Nec stola longa.*] Nec sunt matronæ; quæ stola utebantur. Ea enim vestis erat, quæ ad imos pedes defluebat.

54. *Incertum genus.*] Nempe conventitiis sati; Plaut. Cistellar. I. i. ἐφάπτωρ vocatur ejusmodi contrectator; Æschyl. Supplic. ver. 314.

55. *Furtivi viri* sunt adulteri mœchivæ. Harles.

58. *Credar* Erfurt. et alii. *credar* correct. Bavar. Augustus legem Juliam de adulteriis tulerat. Suet. c. 34. Harles.

60. *Lampades.*] Faces amoris. His enim amantum quoque pectora feriebat Cupido, et injiciebat ardorem et ignem.

61. *Imperio* maluit Heinsius, ut Virg. Æn. vi. 852. i. 227. Sed *imperium regat* etiam Ovidius dixerat Trist. ii. 116. et bene observavit Burmannus, quem vide, *imperium* esse Romanum orbem; *terras* gentes nondum subactas, barbaras, quas vovet, ut adjiciat imperio. Harles.

62. *Ab Ænea fratre.*] Æneas enim et Cupido ambo matrem Venerem habuere.

Nepos.] *Tuus* a prima manu in Bavar. quæ vero lectio tolerari non potest; alia adscripserat *nepos*: quid vero hoc loco significet, eruditi dissentiunt. Sunt, qui putent, *nepotem* etiam Latine dici de fratris vel sororis filio; quo sensu, labente Latinitate, sæpe occurrit apud historicos et jurisconsultos. Alii explicant, qui est inter posteros fratris tui Æneæ, tuus nepos ab Ænea. Atqui ego cum Burmanno, qui multus est ad hunc locum, fere inclino in eam sententiam, ut Ovidius jam, ut sæpe fecisse vidimus, innovaverit hujus vocis veram et antiquam notionem. Nemo vero hoc vel proximo Ovidii tempore ita loquutus est, et Valerius Maximus V. ix. 2. etiam in sororis filium et nepotes distinxit. Conf. Gesneri thesaur. L. L. sub h. v. *ab Ænea est* Bavar. Harles.

Namque ego dum canto tua regna, tuæque parentis,
In nullum mea mens grande vacavit opus.
Nec satis id fuerat; stultus quoque carmina feci,
Artibus ut posses non rudis esse meis;
Pro quibus exsilium misero mihi reddita merces:
Id quoque in extremis, et sine pace, locis.
At non Chionides Eumolpus in Orphea talis;
In Phryga nec Satyrum talis Olympus erat:
Præmia nec Chiron ab Achilli talia cepit,
Pythagoræque ferunt non nocuisse Numam.
Nomina neu referam longum collecta per ævum,
Discipulo perii solus ab ipse meo.
Dum damus arma tibi, dum te, lascive, docemus,
Hæc te discipulo dona magister habet.
Scis tamen, ut liquido juratus dicere possis,
Non me legitimos sollicitasse toros.

41. *At non Chionides Eumolpus.*] Libri multi *non Echionides*, vel *nec Echionides*. Sed vulgata lectio bene se habet. Εὔμολπος Ποσειδῶνος καὶ Χιόνης Pausaniæ: at Theocrito, Idyll. xxv. Φιλαμμονίδης Eumolpus dicitur. Mater autem Philammonis Chione, ut Noster ipse Met. lib. xi. ver. 317 memorat. Docuit hic Eumolpus cithara Herculem canere, teste ibidem Theocrito. Heins. *In Orphea.* Erga præceptorem Orpheum. Mer. *Eumolpus.* Plerique non Thracium Eumolpum, sed Eleusinium, ex Deiope Triptolemi natum, mysteria Cereris Eleusine docuisse volunt, ejusque rei auctorem Istrum citant. Hinc et Eumolpidæ dicti, qui tradita ab Eumolpo sacra, Eleusine procurarunt. Micyl.

42. *In Phryga nec Satyrum.*] Nec etiam Olympus talis fuit in Satyrum Marsyam, qualis tu in me fuisti. De Olympo meminit Suidas his verbis: Ὄλυμπος Μυσὸς αὐλητὴς καὶ ποιητὴς μελῶν καὶ ἐλεγείων, ἡγεμὼν τε γενόμενος τῆς κρουματικῆς μουσικῆς τῆς διὰ τῶν αὐλῶν, μαθητὴς δὲ καὶ ἐρώμενος Μαρσύου, τὸ γένος ὄντος Σατύρου, ἀκουστοῦ δὲ καὶ παιδὸς Ὑάγνιδος· γέγονε δὲ πρὸ τῶν Τρωικῶν ὁ Ὄλυμπος· ἐξ οὗ καὶ ὄρος τὸ ἐν Μυσίᾳ ὀνομάζεται. Marsyas autem ab Apolline cantus carmine victus, et cute detracta interfectus est.

43. *Præmia nec Chiron.*] Notum est Statii et aliorum monumentis, Achillem sub Chironis disciplina maxima benevolentia nutritum; vide sub princip. lib. i. de Art. Am.

44. *Pythagoræque ferunt*, &c.] Hic loquitur ex eorum opinione qui credidere Numam Pompilium regem, Pythagoræ philosophi discipulum fuisse.

47. *Quum damus.*] Dum tibi significamus quomodo expugnandæ sunt puellæ.

Dum domus, et nati, dum mater Livia gaudet;
Dum gaudes, patriæ magne ducisque pater;
Dum tibi gratatur populus, totamque per urbem
Omnis odoratis ignibus ara calet;
Dum faciles aditus præbet venerabile templum;
Sperandum nostras posse valere preces.
Dixit; et aut ille est tenues dilapsus in auras,
Cœperunt sensus aut vigilare mei.
Si dubitem, quin his faveas, o Maxime, dictis,
Memnonio cycnos esse colore putem.
Sed neque mutatur nigra pice lacteus humor;
Nec, quod erat candens, fit terebinthus, ebur.
Conveniens animo genus est tibi; nobile namque
Pectus et Herculeæ simplicitatis habes.
Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
Utque latens ima vipera serpit humo.
Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum,
Grandius ingenio nec tibi nomen inest.

87. *Et nati.*] Et filii Augusti. Tiberius scilicet et reliqui.

88. *Magne pater patriæ.*] Augustum denotat, qui pater patriæ dictus est. *Ducisque.* Et imperatoris qui triumphabit: Tiberium autem designat.

89. *Dum sibi gratatur populus.*] *Tibi* rectius quidam; est enim sermo ad Augustum. Heins.

90. *Odoratis ignibus.*] Ignibus turicremis.

96. *Memnonio colore.*] Colore nigro, quali fuit Memnon, quem Tithonus, Laomedontis filius, in Asia orientem versus usque in Æthiopiam militans, dicitur genuisse ex Ida: qui quum Trojanis præsidium tulisset, postea ab Achille est interfectus.

98. *Candens ebur.*] Candidum ebur. *Terebinthus.* Arbor est, quæ in Syria nascitur; ejus materies admodum lenta est, ac fidelis ad vetustatem, eximii ac nigri splendoris, ut docet Plinius, lib. xiii. 6 vel 12.

100. *Herculeæ.*] h. e. ingenuæ. Ingeniose autem adulatur, ut ait Burm. Fabiis, qui genus ab Hercule trahebant: præcipue Herculis injicit mentionem, quia ejus mos fuit, etiam non rogatum subvenire laborantibus, ut Servius ad Virg. viii. Æn. 564. notat, quo duo ultima hujus Elegiæ disticha referas. Harles.

101. *Livor iners vitium.*]
Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ.
Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

Ergo alii noceant miseris, optentque timeri,
Tinctaque mordaci spicula felle gerant.
At tua supplicibus domus est adsueta juvandis:
In quorum numero me precor esse velis.

EPISTOLA IV.

RUFINO.

Hæc tibi non vanam portantia verba salutem,
Naso Tomitana mittit ab urbe tuus;
Utque suo faveas mandat, Rufine, triumpho;
In vestras venit si tamen ille manus.
Est opus exiguum, vastisque paratibus impar,
Quale tamen cumque est, ut tueare rogo.
Firma valent per se, nullumque Machaona quæ-
Ad medicam dubius confugit æger opem. [runt:
Non opus est magnis placido lectore poetis:
Quamlibet invitum difficilemque tenent.
Nos, quibus ingenium longi minuere labores,
Aut etiam nullum forsitan ante fuit,
Viribus infirmi, vestro candore valemus:
Quem mihi si demas, omnia rapta putem.

106. Alios dictis acerbis mordeant. Confer Tr. ii. 563. 565. Alludit ad feritatem Scytharum, sagittas veneno tinguentium. Harles.

1. *Non vanam salutem.*] Ex animo tibi optatam; quia precor ut sis salvus, ut es.

3. *Triumpho.*] De Illyrico triumpho et hæc et superiora illa accipienda. Nusquam enim alibi reperio, de Germanis triumphasse Tiberium: sed devictis Illyriis, decretoque illi eam ob rem triumpho, in præsens quidem tum ob mœstam Variana clade civitatem, ovantem, sed laureatum tamen, urbem esse ingressum: triumphavit enim Tiberius prox. anno ante mortem Augusti, quo tempore et hæc a poeta scripta videntur, quum jam quartum in Ponto annum degisset. Micyl.

7. *Firma valent per se*, &c.] Sensus est: Corpora firma ac valida per se consistunt, neque opus medico habent, qui ea conservet: sic et boni ac præstantes poetæ, non indigent favore lectoris, quando ipsorum carmina per se commendabilia sunt.

9. *Non opus est magnis placido.*] Poetis excellentibus non est opus ut

Cunctaque quum mea sint propenso nixa favore,
  Præcipuum veniæ jus habet ille liber.
Spectatum vates alii scripsere triumphum.
  Est aliquid memori visa notare manu.
Nos ea vix avidam vulgo captata per aurem
  Scripsimus: atque oculi fama fuere mei.
Scilicet adfectus similes, aut impetus idem,
  Rebus ab auditis conspicuisque venit?
Nec nitor argenti, quem vos vidistis, et auri,
  Quod mihi defuerit, purpuraque illa, queror:
Sed loca, sed gentes formatæ mille figuris
  Nutrîssent carmen, præliaque ipsa, meum.
Et regum vultus, certissima pignora mentis,
  Juvissent aliqua forsitan illud opus.
Plausibus ex ipsis populi, lætoque favore,
  Ingenium quodvis incaluisse potest.

lectores concilient, quia eorum opera per se favorem contrahunt.

16. *Iste liber.*] Libellus ille quem mitto, ubi describitur Cæsaris triumphus materia ampla et magna, quæ aliud exposceret ingenium, quam meum.

25. *Sed loca, vel gentes.*] *Sed gentes* sex septemve veteres: nervose. Sed locorum descriptiones et picturæ, quæ triumphantes imperatores præcedebant. Per loca autem, aut urbes, aut campos ubi partæ fuerant victoriæ pugnando; et quia hujusmodi prælia picta præibant, et in pugnantum corporibus variæ erant vulnerum et cadentium formæ; ideo subjungit, vel gentes formatæ mille figuris.

26. *Nutrissent carmen*, &c.] Carmini meo gratiam adtulissent. *Præliaque ipsa meum.* Et ipsæ præliorum descriptiones.

27. *Et regum vultus certissima pignora gentis.*] Ita quidem vulgo: sed alii *pignora mentis* legunt, quæ lectio est verior; ut sit, *pignora mentis*, indicia et significationes. Est enim vultus, quasi quidam tacitus animi index, qui pro eo atque illa adfecta est, ipse quoque lætus, tristis, placidus aut torvus est. Micyl.

28. *Juvissent aliqua forsitan illud ope.*] Præfero quod in vulgatis est; *aliqua forsitan illud opus. Aliqua* pro aliqua parte; ut Virg. Eclog. iii. 15:

si non aliqua nocuisses.

29. *Favore.*] *Fragore* malim, vel *canore*: nam *favoris* paullo post sequitur. Heinsius. At enim in alio sensu sumtum sequitur. Atque, quod *favere* de studio partium accipitur, Cornel. xxv. 2. 2. cur non h. l. de studio Tiberii domusque Augustæ? dein Drakenb. ad Sil. Ital. xvi. 315. bene monet, docteque illustrat, *favor* et *favere* proprias esse voces, quibus non solum studium, quo populus erga hanc vel illam aurigarum factionem adficitur, indicatur, sed etiam solitæ adclamationes, quibus studium indi-

Tamque ego sumsissem tali clangore vigorem,
Quam rudis audita miles ad arma tuba.
Pectora sint nobis nivibus glacieque licebit,
Atque hoc, quem patior, frigidiora loco:
Illa ducis facies, in curru stantis eburno,
Excuteret frigus sensibus omne meis.
His ego defectus, dubiisque auctoribus usus,
Ad vestri venio jure favoris opem.
Nec mihi nota ducum, nec sunt mihi nota locorum
Nomina: materiam vix habuere manus.
Pars quota de tantis rebus, quam fama referre,
Aut aliquis nobis scribere posset, erat?
Quo magis, o lector, debes ignoscere, si quid
Erratum est illic, præteritumve mihi.
Adde, quod, adsiduam domini meditata querelam,
Ad lætum carmen vix mea versa lyra est.
Vix bona post tanto quærenti verba subibant,
Et gaudere aliquid, res mihi visa nova est.
Utque reformidant insuetum lumina Solem,
Sic ad lætitiam mens mea segnis erat.
Est quoque cunctarum novitas carissima rerum:
Gratiaque officio, quod mora tardat, abest.

cubat. Virg. Æn. v. 148. Quare etiam h. l. *adclamatione* interpretari poteris, et apte *læto* additum est. Harles.

32. *Rudis miles.*] Tyro et belli inexpertus, ἀπόλεμος, Homer.

36. *In curru eburno.*] Triumphalia ornamenta fuere, toga prætexta, tunica palmata, toga picta, corona laurea, scipio eburneus, et sella curulis eburnea, de qua hic Ovidius intelligit.

44. *Præteritumve mihi.*] Aut a me prætermissum.

45. *Adsiduas querelas domini*, &c.] Continuos fletus meos, propter hanc relegationem. Heins.

46. *Mea versa lyra est.*] Sic etiam Bavar. cum plerisque, nec mutari debuit a Fabricio, *vix mea musa venit*, ut Gottorph. et Bersmann. habent: quid lyræ, inquit ille, cum triumpho? quid eidem cum carmine elegiaco? At enim Claudian præf. v. 16. carm. in Rufinum I. et II. præf. v. 14. eodem usus est voc. neque odam scripsit. Harles.

52. *Officio.*] Rei illi quam facimus, ut puta, scribendo triumphum, aut aliud aliquid simile.

Cætera certatim de magno scripta triumpho
  Jam pridem populi suspicor ore legi.
Illa bibit sitiens, lector mea pocula plenus:
  Illa recens pota est, nostra tepescit aqua.
Non ego cessavi, nec fecit inertia serum:
  Ultima me vasti sustinet ora freti.
Dum venit huc rumor, properataque carmina fiunt,
  Factaque eunt ad vos, annus abîsse potest.
Nec minimum refert, intacta rosaria primus,
  An sera carpas pæne relicta manu.
Quid mirum, lectis exhausto floribus horto,
  Si duce non facta est digna corona suo?
Deprecor, hæc vatum contra sua carmina ne quis
  Dicta putet: pro se Musa locuta mea est.
Sunt mihi vobiscum communia sacra, poetæ,
  In vestro miseris si licet esse choro.
Magnaque pars animæ mecum vixistis, amici:
  Hac ego non absens vos quoque parte colo.

55. *Illa.*] Scilicet carmina aliorum. *Lector sitiens.* Lector desiderans. *Plenus.* Jam satur: et ideo fastidiens. *Mea pocula.* Subaudi *bibit*, hoc est, legit meum carmen.

56. *Nostra tepescit.*] Carmen meum serum nullam habebit gratiam post aliorum carmina prius composita.

62. *Sera manu.*] Manu tarda ad decerpendos hujusmodi flores. Quasi dicat, ego scripsi postremus, tanquam qui relictas rosas colligit. Rosæ enim quæ primo leguntur, quia pulchriores deliguntur, magis delectant, quam aliæ: sic ergo qui primo materiam triumphi Cæsaris descripsere, magis placent, quam ego.

65. *Deprecor hæc vatum.*] Ne poeta videatur questus de poetis, qui hujusmodi quoque triumphum scripserant, hic se excusat.

66. *Pro se.*] Pro utilitate sua, non ut aliquem culparem.

67. *Communia sacra.*] Quia poetæ omnes sunt Phœbi sacerdotes, ideo ejus sacra sunt illis cum Ovidio etiam poeta communia.

69. *Magna pars amici.*] Amici enim eleganter nunc pars, nunc dimidium animæ amicorum esse dicuntur.

70. *Hac ego vos absens nunc quoque parte colo.*] Elegantior multo mihi videtur Francofurtensis libri lectio, *Hac quoque non absens vos ego parte colo*; nisi quod transpositis vocibus malim, *Hac ego non absens vos quoque parte colo*; anima non absens, sed præsens, licet corpore absim, vos colo. Burm.

Sint igitur vestro mea commendata favori
  Carmina, non possum pro quibus ipse loqui.
Scripta placent a morte fere: quia lædere vivos
  Livor, et injusto carpere dente solet.
Si genus est mortis male vivere, terra moratur,
  Et desunt fatis sola sepulcra meis.
Denique opus nostræ culpetur ut undique curæ,
  Officium nemo, qui reprehendat, erit.
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas:
  Hac ego contentos auguror esse Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
  Et placeat cæso non minus agna bove.
Res quoque tanta fuit, quantæ subsistere summo
  Iliados vati grande fuisset onus.
Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi
  Pondera disparibus non potuere rotis.

75. *Terra moratur.*] Sepulcrum me exspectat.

77. *Opus nostræ curæ.*] Opus hoc de triumpho in quo magnam curam adhibui.

84. *Æneidos vati.*] *Æneados* unus Vossianus. Puto *Iliados vati.* Quippe ut summum vatem Virgilium adpellarit, atque adeo ipsi Homero prætulerit, vix fit verisimile. Nam Propertianum illud, *Nescio quid majus nascitur Iliade,* viventis adhuc Virgilii auribus datum est. Deinde τὸ *Æneidos,* secunda syllaba correpta, vix legi apud alios, nisi quod in veteri epigrammate Maronis laudibus dato codex antiquissimus exhibet scriptum:

Æneidemque suam fac major nuncius ornet:
Fac laudes Italum, fac tua facta legi;

quum *Æneamque suum* in vulgatis exemplaribus legatur, et quidem rectius. Sed quod monere propemodum neglexeram, iisdem versibus nævus fœdissimus inhæret, quum pro *major nuncius ornet* reponendum sit *major Mincius*; ut fluvium agri Mantuani posuerit pro ipsa Mantua. Heins. *Æneidos. Iliados* putat Heinsius, quod ipsi vix verisimile videtur, ut summum vatem Virgilium adpellarit, atque adeo ipsi Homero prætulerit: qua quidem ratione nondum ducerer, ut corrigerem. Nam *summus* idem esse potest, ac valde bonus, eximius, ut alia prætermittam, quæ in promtu sunt, argumenta. Altera autem ratio gravior est, quia τὸ *Æneidos,* secunda syllaba correpta, vix legitur apud alios, quamquam in epigr. veteri quodam codex antiquissimus exhibet scriptum. Harles.

86. *Rotis disparibus.*] Imparibus versibus.

Quo pede nunc utar, dubia est sententia nobis:
Alter enim de te, Rhene, triumphus adest.
Irrita verorum non sunt præsagia vatum:
Danda Jovi laurus, dum prior illa viret.
Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum,
Non bene pacatis flumina pota Getis:
Ista Dei vox est: Deus est in pectore nostro:
Hæc duce prædico vaticinorque Deo.
Quid cessas currum pompamque parare triumphis,
Livia? jam nullas dant tibi bella moras.
Perfida damnatas Germania projicit hastas:
Jam pondus dices omen habere meum.
Crede, brevique fides aderit; geminabit honorem
Filius, et junctis, ut prius, ibit equis.
Prome, quod injicias humeris victoribus, ostrum:
Ipsa potest solitum nosse corona caput.
Scuta, sed et galeæ gemmis radientur et auro,
Stentque super vinctos trunca tropæa viros.
Oppida turritis cingantur eburnea muris;
Fictaque res vero more putetur agi.

90. *Danda Jovi laurus.*] Triumphus dandus est Jovi Capitolino, cui imperatores lauro coronati ibant sacrificatum. Vel dicit ponendam esse lauream de more post triumphum in æde Jovis Capitolini. *Dum prior illa viret.* Dum corona illa Tiberii, qua paulo ante ovans ob debellatum Illyricum, corouatus urbem intravit, adhuc est recens et viridis. Ex quo innuit post illum triumphum, alterum etiam propediem deberi Tiberio.

94. *Hæc.*] Hunc alterum triumphum.

97. *Perfida Germania.*] Germania quæ fidem rupit Romanis, cæso Varo et tribus legionibus. *Damnatas hastas.* Bella et arma, quæ detestatur et damnat. *Projicit.* Abjicit tanquam pæne victa.

99. *Geminabit honorem Filius.*] Tiberius alium consequetur triumphum: et ita duplici triumpho erit gloriosus, altero parto de Illyria, altero vero de Germanis. Tiberius enim, vastata Germania, imperator adpellatus fuit.

104. *Stentque super victos trunca tropæa viros.*] Malim *super vinctos viros* cum prim. Mediceo et quinque aliis. In Numismatis enim marmoribusque antiquis adparent passim captivi tropæis adligati. HEINS. *Trunca tropæa.* Quæ amputatis arboribus figebantur; amputabant enim ramos arborum, ac deinde armis spoliisque hosti detractis ornabant.

Squallidus immissos fracta sub arundine crines
Rhenus, et infectas sanguine portet aquas.
Barbara jam capti poscunt insignia reges,
Textaque fortuna divitiora sua.
Et quæ præterea virtus invicta tuorum
Sæpe parata tibi, sæpe paranda facit.
Dî, quorum monitu sumus eventura locuti,
Verba, precor, celeri nostra probate fide.

EPISTOLA V.

MAXIMO COTTÆ.

QUAM legis, unde tibi mittatur epistola, quæris?
Hinc, ubi cæruleis jungitur Ister aquis.
Ut regio dicta est, succurrere debet et auctor,
Læsus ab ingenio Naso poeta suo;
Qui tibi, quam mallet præsens adferre salutem,
Mittit ab hirsutis, Maxime Cotta, Getis.

105. *Oppida eburnea.*] Civitatum simulacra ex ebore compacta.

106. *Ficta res.*] Rem fictam ad pellat urbium pictarum simulacra et gesta, quæ præferebantur in eo triumpho.

109. *Ponunt insignia.*] Noster A. *Poscunt* Polit. aliique multi; quidam *poscant*: utrumque rectum; nam regalibus ornamentis reges in triumphum ducendi velabantur. HEINS.

110. *Textaque.*] Vestes regias. *Divitiora sua fortuna.* Quia reges illi omnia jure belli amiserant: et eo pacto pretiosiores erant vestes ipsis regibus.

111. *Virtus tuorum.*] Virtus Augusti et liberorum.

112. *Sæpe parata tibi.*] Quia sæpe numero parasti tuis triumphalia ornamenta. *Sæpe paranda.* Quoniam alios etiam triumphos comparabunt, et tu quoque triumphalia ornamenta parabis.

113. *Quorum monitu.*]. Apollinem significat, cujus monitu et furore poetæ vaticinantur.

2. *Aquis cæruleis.*] Aquis maris Pontici, quibus regionem Ponticam designat.

5. *Adferre.*] *Deferre* Regius: nescio an rectius; adfert enim salutem medicus, et qui opem fert: ne itaque ambigua sit locutio, *deferre* probarem. BURM. Non ego.

6. *Ab Getis hirsutis.*] A Getis squa-

Legimus, o juvenis patrii non degener oris,
 Dicta tibi pleno verba diserta foro.
Quæ, quanquam lingua mihi sunt properante per horas
 Lecta satis multas, pauca fuisse queror.
Plura sed hæc feci relegendo sæpe; nec unquam
 Hæc mihi, quam primo, grata fuere magis.
Quumque nihil toties lecta e dulcedine perdant,
 Viribus illa suis, non novitate, placent.
Felices, quibus hæc ipso cognoscere in actu,
 Et tam facundo contigit ore frui!
Nam, quanquam sapor est adlata dulcis in unda,
 Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ:
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
 Quam de cælata sumere lance, juvat.
At nisi peccassem, nisi me mea Musa fugasset,
 Quod legi, tua vox exhibuisset opus.
Utque fui solitus, sedissem forsitan unus
 De centum judex in tua verba viris.

lidis, barbaris, et impexis. Mer. Vel potius *hirsutos* nominat propter pelles hirsutas, quibus se adversus frigora illo sub cœlo pæne perpetua communiant. Pont. *Maxime Cotta. Maxime;* et sic initio Epistolæ *Maximo Cottæ.* Hic Messalæ Corvini illius disertissimi filius, Messallini frater, Cottæ nomen mutuatus est ab Aureliis avis maternis, ut discimus ex Elegia ultima, Pont. lib. iv. ver. 43. in quam gentem adoptione transiverat; quod supra vidimus sub finem Elegiæ secundæ hujus libri. Maximos autem dictos ex Valeria familia quosdam, quemadmodum Messalas, Flaccos, Poplicolas, Volusos, Catullos et AciscuIos, certum est. Nam bello primo Punico, sub annum U. C. cdxc. M. Valerius Maximus cum M. Otacilio Crasso consul perhibetur, qui devicta Messana cognomen Messalæ primus adscivit. Huc et refer Valerium Maximum scriptorem, cujus nonnulla etiamnum exstant. Heins.

7. *O juvenis non degener.*] O Cotta Maxime, qui non degeneras a tuis. *Oris patrii.* Eloquentiæ patris tui, qui fuit summus orator. Vel facie patrem tuum referens. Mer. et Pont.

8. *Dicta pleno foro.*] Habita frequenti turba, quæ erat in foro judiciali.

10. *Fuisse pauca.*] Visam fuisse eam orationem brevem, propter ejus elegantiam, et suave dicendi genus.

20. *Quam de lance cælata.*] Quam de aliqua patina, et vase sculpto.

22. *Tua vox.*] Tua recitatio. Multo magis enim viva vox adficit. *Exhibuisset.* Hoc est, audivissem, non legissem orationem tuam.

Major et implesset præcordia nostra voluptas,
Quum traherer dictis adnueremque tuis.
Quem quoniam fatum, vobis patriaque relictis,
Inter inhumanos maluit esse Getas:
Quod licet, ut videar tecum magis esse, legendo,
Sæpe, precor, studii pignora mitte tui:
Exemploque meo, nisi dedignaris id ipsum,
Utere: quod nobis rectius ipse dares.
Namque ego, qui perii jam pridem, Maxime, vobis,
Ingenio nitor non periisse meo.
Redde vicem; nec rara tui monumenta laboris
Accipiant nostræ, grata futura, manus.
Dic tamen, o juvenis studiorum plene meorum,
Ecquid ab his ipsis admoneare mei?
Ecquid, ubi aut recitas factum modo carmen amicis,
Aut, quod sæpe soles, exigis ut recitent,
Interdum queritur tua mens, oblita quid absit?
Nescio quid certe sentit abesse sui:
Utque loqui de me multum præsente solebas,
Nunc quoque Nasonis nomen in ore tuo est?
Ipse quidem Getico peream violatus ab arcu,
Et, sit perjuri quam prope pœna, vides,

26. *Quum traherer tuis dictis.*] Quum dicentem te audirem, et in tua verba et sententiam adducerer tuis rationibus.

32. *Quod nobis rectius.*] Minores enim a majoribus petere exempla debent. PONT.

34. *Ingenio,* &c.] Scribo ad vos sæpius, et eo pacto conor vobis absentibus, tanquam præsentibus frui, et videri esse vobiscum, et non in exsilio.

39. *Ecquibus aut recitas.*] *Ecquid ubi recitas* nonnulli. Scribe *Ecquibus ut recitas;* et pone interrogationis notam post illa, *queritur tua mens oblita quid absit?* Metuo tamen ne vel sic hæc satis sint integra. HEINS. *Ecquid adhuc* Junian. Sed legerem cum quatuor scriptis, *Ecquid, ubi aut recitas,* &c. BURM. Sic nostri. Locus non sanus esse videtur. Verpoort. ita interpretatur: An *mens tua interdum queritur,* abesse sibi aliquid, quando *recitas carmen* aliquod recens a te *factum amicis* quibusdam, *aut* ab illis *postulas, ut* ipsi *recitent* tibi, quæ composuerunt; *quod sæpe soles* postulare. Cf. Trist. IV. i. 89. HARLES.

46. *Perjurum quam prope pœna,* quia Regius habet *per murum,* scri-

Te nisi momentis video pæne omnibus absens:
Gratia Dîs, menti quolibet ire licet.
Hac ubi perveni, nulli cernendus, in urbem,
Sæpe loquor tecum, sæpe loquente fruor.
Tum, mihi difficile est, quam sit bene, dicere;
Candida judiciis hora sit illa meis. [quamque
Tum me, si qua fides, cœlesti sede receptum,
Cum fortunatis suspicor esse Deis.
Rursus, ut huc redii, cœlum Superosque relinquo;
A Styge nec longe Pontica distat humus.
Unde ego si fato nitor prohibente reverti,
Spem sine profectu, Maxime, tolle mihi.

EPISTOLA VI.

AMICORUM CUIDAM.

NASO suo, nomen posuit cui pæne, sodali
Mittit ab Euxinis hoc breve carmen aquis.
At, si cauta parum scripsisset dextra, quis esses,
Forsitan officio parta querela foret.

bere jubet Heinsius, ut supra Trist. IV. iii. 41. *prope te* corrigere voluit. Equidem nondum convictus sum. Sens. pœna, si pejeravero, quam facile mihi inferri potuerit, vides. *Prope* enim adverbium est, quasi *pro pedibus*, et accipitur pro *fere* aut *proxime*. HARL.

49. *Hanc ubi perveni.*] *Hac* ex scriptis nonnullis: mente nimirum.

55. *Rursus ubi huc redii.*] *Ut huc redii* ex Combiano. Ubi mente et cogitatione videor Roma in Scythiam redîsse. *Relinquo*. Videor relinquere.

56. *A Styge.*] Ab inferis. *Non longe distat*. Non est multum dissimilis. Quasi dicat: Videor ad inferos pervenisse.

57. *Unde.*] A qua terra Pontica. *Si nitor reverti*. Si conor Romam redire. *Fato prohibente*. Diis nolentibus.

58. *Tolle spem mihi.*] Adime hanc mihi spem redeundi, ostendendo per literas non posse fieri, ut redeam. *Sine profectu*. Quæ spes nihil profectura est: frustra enim reditum spero, si non possum illum consequi.

Cur tamen, hoc aliis tutum credentibus, unus,
  Adpellent ne te carmina nostra, rogas?
Quanta sit in media clementia Cæsaris ira,
  Ex me, si nescis, certior esse potes.
Huic ego, quam patior, nil possem demere pœnæ,
  Si judex meriti cogerer esse mei.
Non vetat ille sui quemquam meminisse sodalis,
  Nec prohibet tibi me scribere, teque mihi.
Nec scelus admittas, si consoleris amicum,
  Mollibus et verbis aspera fata leves.
Cur, dum tuta times, facis ut reverentia talis
  Fiat in Augustos invidiosa Deos?
Fulminis adflatos interdum vivere telis
  Vidimus, et refici, non prohibente Jove:
Nec, quia Neptunus navem lacerarat Ulyssis,
  Leucothee nanti ferre negavit opem.
Crede mihi, miseris cœlestia numina parcunt,
  Nec semper læsos et sine fine premunt.
Principe nec nostro Deus est moderatior ullus:
  Justitia vires temperat ille suas.
Nuper eam Cæsar, facto de marmore templo,
  Jampridem posuit mentis in æde suæ.

5. *Aliis credentibus esse tutum.*] Aliis existimantibus non esse timendum. *Hoc.* Scilicet nomen ponere meis scriptis.

9. *Nil possem demere.*] Quia Cæsar non potuisset me mitius punire.

16. *Fiat invidiosa.*] Invidiam illis et detractionem conciliet. *In Deos Augustos.* Augustum et ejus filios intellige.

20. Ino, cum Melicerte filio suo in mare se præcipitans, a Neptuno excepta fuit. Bacchus suam illam nutricem *Leucotheam* voluit adpellari, Latini dixerunt matrem Matutam. Hæc maris dea Ulixi, fluctibus jactato, baltheum dedit, quo sibi pectus vinciret, ne pessum abiret: quo facto enatavit. Harles.

25. *Cæsar, facto de marmore templo.*] De hoc templo nihil legi. Proinde videndum, an ad templum Martis Ultoris adluserit poeta, quod ab ultione Cassii et Bruti adpellatum fuit. Est enim et ultio, sive vindicta justitiæ pars quædam. Micyl.

26. *In æde suæ mentis.*] In thesauro sui pectoris: hoc est, multo ante-

Juppiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpa non meruere pari.
Obruerit sævis quum tot Deus æquoris undis,
Ex illis mergi pars quota digna fuit?
Quum pereant acie fortissima quæque, sub ipso
Judice, delectus Martis iniquus erit.
At, si forte velis in nos inquirere, nemo est
Qui se, quod patitur, commeruisse neget.
Adde, quod exstinctos vel aqua, vel Marte, vel igni,
Nulla potest iterum restituisse dies.
Restituit multos, aut pœnæ parte levavit
Cæsar; et, in multis me velit esse, precor.
An tu, quum tali populus sub principe simus,
Adloquio profugi credis inesse metum?
Forsitan hæc domino Busiride jure timeres,
Aut solito clausos urere in ære viros.
Desine mitem animum vano infamare timore:
Sæva quid in placidis saxa vereris aquis?
Ipse ego, quod primo scripsi sine nomine vobis,
Vix excusari posse mihi videor.
Sed pavor adtonito rationis ademerat usum;
Cesserat omne novis consiliumque malis.
Fortunamque meam metuens, non vindicis iram,
Terrebar titulo nominis ipse mei.

quam ædificaret ædem Romæ, colebat ipsam Deam; sic Claudian. de laude Stilic. ii. 30:

Hæc Dea pro templis, et ture calentibus aris,
Te fruitur, posuitque suas hoc pectore sedes.

31. *Quum pereant bello fortissima pectora.*] Quod et Priamus deplorat, Iliad. Ω.

41. De tyranno Busiride v. ad Trist. III. ii. 39. et Bordewisch diss. de immolatis ab Ægypto Busiride peregrinis advenis, in cl. Martini thesauro dissertatt. tom. iii. part. i. p. 121. sqq. Harles.

42. *Aut solito urere clausos,* &c.] Aut domino Phalaride, qui in æreo tauro igni subdito homines necabat.

49. *Non iram vindicis.*] Non iram Augusti vindicantis injuriam a me acceptam. *Vindicis, principis,* Ce-

Hactenus admonitus memori concede poetæ,
  Ponat ut in chartis nomina cara suis.
Turpe erit ambobus, longo mihi proximus usu,
  Si nulla libri parte legare mei.
Ne tamen iste metus somnos tibi rumpere possit,
  Non ultra, quam vis, officiosus ero:
Teque tegam, qui sis, nisi quum permiseris ipse.
  Cogetur nemo munus habere meum.
Tu modo, quem poteras vel aperte tutus amare,
  Si res est anceps ista, latenter ama.

EPISTOLA VII.

AMICIS.

VERBA mihi desunt eadem tam sæpe roganti,
  Jamque pudet vanas fine carere preces.
Tædia consimili fieri de carmine vobis,
  Quidque petam, cunctos edidicisse reor.
Nostra quid adportet jam nostis epistola, quamvis
  Charta sit a vinclis non labefacta suis.
Ergo mutetur scripti sententia nostri,
  Ne toties contra, quam rapit amnis, eam.

seris, judicis, solemni permutatione, codices scripti.

50. *Terrebar titulo.*] Quia non audebam facere mentionem mei nominis in meis libellis.

53. *Ambobus.*] Et tibi et mihi. *Proximus mihi longo usu.* Si tu mihi conjunctus longa consuetudine et amore. *Proximus.* In multis veterum *cognitus;* utrumque rectum. HEINSIUS.

58. *Cogetur nemo.*] In neminem invitum ac repugnantem conferam munus. PONT. *Munus habere meum.* Poni in meis versibus.

2. *Fine carere.*] Nunquam ad exitum et finem perduci, sed semper idem precari.

3. *De consimili carmine.*] Ejusdem semper materiæ: nam eadem res sæpius iterata, et toties inculcata tædium adfert. PONT.

6. *Quamvis Charta sit a vinclis non labefacta suis.*] Quamvis, inquit, charta, ubi hæc scripta sunt, nondum sit a vobis reclusa, et suis solitis vinculis soluta.

7. *Scripti sententia nostri.*] Institu-

Quod bene de vobis speravi, ignoscite, amici:
Talia peccandi jam mihi finis erit.
Nec gravis uxori dicar: quæ scilicet in me
Quam proba, tam timida est, experiensque parum.
Hæc quoque, Naso, feres; etenim pejora tulisti:
Jam tibi sentiri sarcina nulla potest.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum;
Subtrahit et duro colla novella jugo.
Nos, quibus adsuevit fatum crudeliter uti,
Ad mala jam pridem non sumus ulla rudes.
Venimus in Geticos fines; moriamur in illis,
Parcaque ad extremum, qua mea cœpit, eat.
Spem juvet amplecti; quæ non juvat irrita semper;
Et, fieri cupias si qua, futura putes.
Proximus huic gradus est, bene desperare salutem,
Seque semel vera scire perisse fide.
Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.
Mitius ille perit, subita qui mergitur unda,
Quam sua qui tumidis brachia lassat aquis.

tum scribendi genus, quo hactenus usus sum.

8. *Ne toties contra, &c.*] Πρὸς κῦμα λακτίζειν. Eurip. Virg. Georg. i. 201.

11. *Nec gravis uxori dicar.*] Nec ero ulterius molestus uxori meæ, idem etiam scribendo.

12. *Experiensque parum.*] Et parum solers; quæ non tentat et experitur omnia, ut Cæsarem mihi exoret. Terent. Adelph. iii. 5. *enitar, faciam, experiar.*

14. *Nulla sarcina.*] Nullum onus.

15. *Ductus ab armento taurus.*] Taurus indomitus aratro admotus.—Verpoort. laudat Festum sub v. Armentum, quasi *aramentum*, quod boves maxime eligerunt ad arandum. v. Gesner. thesaur. L. L. sub h. v. et *Armentum* pecorum majorum multitudo; *grex* proprie minorum est. Harles.

22. *Qua futura putes.*] Sensus est: Spem illam amplectendam censeo, quæ non est irrita, et qua speramus id adsequi, quod optamus fieri.

23. *Proximus huic gradus est.*] Primus enim gradus est sperare, quæ adsequi optamus: secundus vero, ea desperare quæ minime adsequi confidimus. *Bene desperare salutem.* Bene deponere spem salutis irritam.

Cur ego concepi Scythicis me posse carere
Finibus, et terra prosperiore frui?
Cur aliquid de me speravi lenius unquam?
An fortuna mihi sic mea nota fuit?
Torqueor en gravius; repetitaque forma locorum
Exsilium renovat triste, recensque facit.
Est tamen utilius, studium cessasse meorum,
Quam, quas admorint, non valuisse preces.
Magna quidem res est, quam non audetis, amici:
Sed si quis peteret, qui dare vellet, erat.
Dummodo non vobis hoc Cæsaris ira negarit,
Fortiter Euxinis immoriemur aquis.

EPISTOLA VIII.

MAXIMO.

Quæ tibi, quærebam, memorem testantia curam,
Dona Tomitanus mittere posset ager.
Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro:
Sed te, quum donas, ista juvare solent.
Nec tamen hæc loca sunt ullo pretiosa metallo:
Hostis ab agricola vix sinit illa fodi.

29. *Cur ego concepi.*] Cur cogitavi. *Scythicis me posse carere Finibus.* Posse me e Scythia removeri.

32. *Sic fuit nota mihi.*] Sic mihi cognita fuit, ut deberem sperare nunc eam benignius mecum acturam.

35. *Studium meorum.*] Consensum et favorem amicorum. *Cessasse.* Nihil tentasse de reditu meo apud Augustum.

37. *Magna quidem res est quam non audetis amici.*] Difficile, inquit, et arduum est, quod non audetis pro me petere; quamvis sit magnum, tamen Augustus concederet.

39. Dummodo nobis vestri studii cessatio, non ira Cæsaris hoc negaverit. HARLES.

1. *Curam memorem.*] Quæ testarentur curam hominis memoris tui.

4. *Sed te, quum donas, ista juvare solent.*] Sed aurum et argentum magis soles donare aliis, quam accipere.

6. *Vix sinit illa fodi.*] *Ista* Jun. Pol. et tres alii; *ulla* Leid. Vix per-

Purpura sæpe tuos fulgens prætexit amictus;
  Sed non Sarmatica tingitur illa manu.
Vellera dura ferunt pecudes, et Palladis uti
  Arte Tomitanæ non didicere nurus.
Femina pro lana Cerealia munera frangit,
  Suppositoque gravem vertice portat aquam.
Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus:
  Nulla premunt ramos pondere poma suo.
Tristia deformes pariunt absinthia campi,
  Terraque de fructu quam sit amara docet.
Nil igitur tota Ponti regione sinistri,
  Quod mea sedulitas mittere posset, erat.
Clausa tamen misi Scythica tibi tela pharetra:
  Hoste, precor, fiant illa cruenta tuo.
Hos habet hæc calamos, hos hæc habet ora libellos:
  Hæc viget in nostris, Maxime, Musa locis.
Quæ quanquam misisse pudet, quia parva viden-
  Tu tamen hæc, quæso, consule missa boni. [tur,

mittit loca illa arari. Quasi dicat: Si in hac regione non possunt homines agrum colere ob hostilem timorem, et incursiones, multo minus eam ob causam possunt æra fodere.

8. *Sarmatica manu.*] Sic bene rescripsit Burm. quem vide, e codd. Francof. et duobus aliis. h. e. non sunt artifices in Sarmatia, qui tinguere norint purpuram. *Manus* autem de operibus artificum cujuscumque generis poni notum est. HARLES.

9. *Ars Palladis.* est lanificium, cujus inventrix Pallas fuisse dicitur. Metam. vi. fab. i. *Cereal. munera frangit,* h. e. molit frumentum. HARL.

16. Ludit poeta more suo in ambigua vocis *amara* significatione, propria et translata pro tristi, invisa et molesta. *Musa* h. e. artes Scytharum. HARLES.

17. *Ponti sinistri.*] Ponticæ regionis infelicis; ad lævam Euxini maris sitæ.

20. *Fiant cruenta.*] Cruore hostili madeant, quum in prælium ibis.

21. *Hos calamos.*] Hæc scribendi instrumenta: nam Romani calamis scribunt; Scythæ vero sagittas faciunt, quas quotidie tractant, ut nos Romani libros et calamos.

EPISTOLA IX.

BRUTO.

Quod sit in his eadem sententia, Brute, libellis,
  Carmina nescio quem carpere nostra refers:
Nil, nisi, me, terra fruar ut propiore, rogare;
  Et, quam sim denso cinctus ab hoste, queri.
O quam de multis vitium reprehenditur unum!
  Hoc peccat solum si mea Musa, bene est.
Ipse ego librorum video delicta meorum,
  Quum sua plus justo carmina quisque probet.
Auctor opus laudat: sic forsitan Agrius olim
  Thersiten facie dixerit esse bona.
Judicium tamen hic nostrum non decipit error;
  Nec, quidquid genui, protinus illud amo.
Cur igitur, si me videam delinquere, peccem?
  Et patiar scripto crimen inesse? rogas.
Non eadem ratio est, sentire et demere morbos:
  Sensus inest cunctis; tollitur arte malum.
Sæpe aliquod cupiens verbum mutare, relinquo;
  Judicium vires destituuntque meum.

1. *Eadem sententia.*] Eadem materia qua usus sum etiam in reliquis hujus operis libellis.

7. *Video delicta.*] Video plures errores, quam unum illud. *Vidi* pr. ed.

9. *Sic forsitan Accius olim.*] *Agrius* legendum jam monuit in novis Lectionibus Gulielmus Canterus, lib. ii. cap. xxx; is enim Thersitæ pater. Heins. Merula Accium intelligit, de quo Pers. Sat. I. vers. 50:

non est hic Ilias Acci
Ebria veratro;

sed ibi *Atti* legitur, et de recenti poeta, qui Persii tempore vivebat, agi ostendit Casaubonus.

11. *Non decipit nostrum judicium.*] Non fallit meum judicium, quod est de carminibus meis. Error enim judicium nostrum fallit, quum mala nostra carmina bona esse credimus, et sic erramus.

15. *Sentire et demere morbos.*] Cognoscere et curare infirmitates. Hoc est, non possum errorem corrigere:

Quia carmina lætum
Sunt opus, et pacem mentis habere volunt.

16. *Tollitur arte malum.*] Vitium carminis non indiget solum ut deprehendatur, sed arte opus est, quæ non potest nisi a læto animo proficisci.

17. *Relinquo.*] Omitto scilicet ver-

Sæpe piget, quid enim dubitem tibi vera fateri?
 Corrigere, et longi ferre laboris onus.
Scribentem juvat ipse favor, minuitque laborem,
 Cumque suo crescens pectore fervet opus.
Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
 Magnus Aristarcho major Homerus erat.
Sic animum lento curarum frigore lædit,
 Ut cupidi cursor fræna retentat equi.
Atque ita Dî mites minuant mihi Cæsaris iram,
 Ossaque pacata nostra tegantur humo;
Ut mihi, conanti nonnunquam intendere curas,
 Fortunæ species obstat acerba meæ.
Vixque mihi videor, faciam quod carmina, sanus,
 Inque feris curem corrigere illa Getis:
Nil tamen e scriptis magis excusabile nostris,
 Quam sensus cunctis pæne quod unus inest.

bum mutandum in carmine meo; et subjungit causam; quia vim judicandi mea calamitas fregit.

20. *Onus longi laboris.*] Difficilius est enim carmen corrigere, quam componere.

24. *Aristarcho.*] Homeri interprete. Fuit Aristarchus optimus grammaticus Alexandrinus. Ælianus tradit hunc tam castigato fuisse judicio, ut Homeri versus non putaretur, quem ipse non probaret. Hinc scriptorum alienorum censores et judices proverbio Aristarchi adpellantur, et opponuntur Zoilis.

Comparationem hanc, ut dissentaneam, carpit Scaliger Poet. vi. c. 7. "Sed commodus poetæ sensus est, ait Verpoorten: *Corrigere scripta carmina tanto difficilius est, quanto difficilius et audacius opus adgressus est Aristarchus, qui Homerum multo præstantiorem ipso emendare instituit.* Nam indoctiorem corrigere, non est arduum, ut magistro discipulum: at doctioris scripta emendare, et de ejus ingenio recte judicare, difficile est." Harles.

25. *Sic animum lento curarum frigore lædit.*] Deesse aliquid videtur, quo referatur *lædit*, nisi τὸ *corrigere* cum Merula intelligas. Heinsius conjecerat, *lædor*, ut esset Græcismus.

At cl. Wakker legit: *Et cupide cursus fr. ret. equi*, carpitque Heinsium ac Burmannum, quod *cursor* reposuerunt, et interpretatur: ut corrigendi labor tanto difficilior est, quanto Aristarchum Homerus superabat, sic animum etc. et retentat vel retorquet frena equi cupientis currere. Atque ego in sententia doctissimi Wakkeri adquiesco. Harles.

34. *Quam quod unus sensus.*] Quam quod una et eadem sententia tristis et lugubris. *Pæne inest cunctis.* Quasi inest omnibus meis scriptis: in his enim tractatur pæne eadem materia tristis et mœsta.

Læta fere lætus cecini; cano tristia tristis:
Conveniens operi tempus utrumque suo est.
Quid, nisi de vitio scribam regionis amaræ?
Utque solo moriar commodiore, precer?
Quum toties eadem dicam, vix audior ulli;
Verbaque profectu dissimulata carent.
Et tamen hæc eadem quum sint, non scribimus isdem:
Unaque per plures vox mea tentat opem.
An, ne bis sensum lector reperiret eundem,
Unus amicorum, Brute, rogandus erat?
Non fuit hoc tanti; confesso ignoscite, docti:
Vilior est operis fama salute mea.
Denique materiæ, quam quis sibi finxerit ipse,
Arbitrio variat multa poeta suo.
Musa mea est index nimium quoque vera malorum,
Atque incorruptæ pondera testis habet.
Nec liber ut fieret, sed uti sua cuique daretur
Litera, propositum curaque nostra fuit.
Postmodo collectas, utcumque sine ordine, junxi,
Hoc opus electum ne mihi forte putes.
Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque, fuit.

40. *Verba dissimulata.*] Verba mea, quæ amici dissimulant: et ostendunt aut non accepisse literas meas, aut verba mea non intellexisse. *Carent profectu.* Quia nihil mihi proficitur.

43. *Anne bis ut sensum.*] *An ne bis sensum* veteres majori ex parte; et recte. Heins. Sensus est, o Brute, debuine tantum unum amicum rogare, ut mihi opitularetur, nec ad cæterorum etiam præsidium confugere? idque hanc ob causam, ne mihi objiceretur, quod idem sensus reperitur in meis carminibus. Micyl.

49. *Est nimium vera index malorum.*] Nimis vere mala mea indicat et exponit.

56. *Sed utilitas.*] Quia scripsi eam ob causam, ut scribendo reditum procurarem. *Officium.* Et ut in re mea facerem quod debeo.

PUBLII OVIDII NASONIS

EPISTOLARUM

EX PONTO

LIBER QUARTUS.

EPISTOLA PRIMA.

*SEXTO POMPEIO.

Accipe, Pompeî, deductum carmen ab illo,
  Debitor est vitæ qui tibi, Sexte, suæ.
Qui si non prohibes a me tua nomina poni,
  Accedet meritis hæc quoque summa tuis.
Sive trahis vultus, equidem peccasse fatebor:
  Delicti tamen est causa probanda mei.
Non potuit mea mens, quin esset grata, teneri:
  Sit, precor, officio non gravis ira pio.

* Sexto Pompeio.] Hunc Sext. Pompeium originem trahere existimo ab illo Pompeio, qui ad Numantiam male rem gessit, quemque hominem novum Cicero alicubi adpellavit. Hoc consule mortuum Cæsarem Augustum, in confesso est. Eidem proconsuli, Asiam obtinenti, comes ac familiaris abiit in provinciam Valerius Maximus, ut ipse de se testatur in Commentario illustrium exemplorum, lib. ii. cap. 1. Heins.

3. *A me tua nomina poni.*] A me carminibus meis referri nomen tuum.

4. *Accedet tuis meritis.*] Addetur reliquis tuis beneficiis.

5. *Sive trahis vultus.*] Sive frontem contrahis et irasceris, quod ponam in meis scriptis tua nomina.

O quoties ego sum libris mihi visus in istis
  Impius, in nullo quod legerere loco!
O quoties, aliud vellem quum scribere, nomen
  Rettulit in ceras inscia dextra tuum!
Ipse mihi placuit mendis in talibus error,
  Et vix invita facta litura manu est.
Viderit ad summum, dixi, licet ipse queratur;
  Hanc pudet offensam non meruisse prius!
Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen;
  Oblitus potero non tamen esse tui.
Idque sinas oro; nec fastidita repellas
  Verba; nec officio crimen inesse putes.
Et levis hæc meritis referatur gratia tantis:
  Sin minus, invito te quoque gratus ero.
Nunquam pigra fuit nostris tua gratia rebus,
  Nec mihi munificas arca negavit opes.
Nunc quoque nil subitis clementia territa fatis
  Auxilium vitæ fertque, feretque meæ.
Unde, roges forsan, fiducia tanta futuri
  Sit mihi? quod fecit, quisque tuetur opus.
Ut Venus artificis labor est et gloria Coi,
  Æquoreo madidas quæ premit imbre comas:

9. *In istis libris.*] In hoc de Ponto opere.

10. *In nullo loco.*] In nulla pagina.

12. *Rettulit.*] Posuit. *In ceras.* In tabulas ceratas.

23. *Nunquam pigra fuit.*] Nunquam defuit. *Nostris rebus.* In nostris necessitatibus.

27. *Futuri.*] Futuræ opis tuæ, quia nunquam me fefellit.

28. *Quod finxit quisque tuetur.*] Respondet poeta se in eo ideo spem habere, quia est opus ipsius: et unusquisque opus quod fecit, tueri solet. Quæ quidem sententia de Aristotelis Ethica sumitur.

29. *Artificis Coi.*] Apellis, Coi pictoris celeberrimi.

30. *Quæ premit comas.*] Quæ capillos premere videbatur, et aquam exprimere. *Madidas imbre.* Madefactos capillos aqua æquoris, unde videbatur emergere. E mari enim natam Venerem fabulantur poetæ, et ideo eam Plinius *Anadyomenen* vocatam fuisse scribit.

Arcis ut Actææ vel eburna, vel ænea custos
Bellica Phidiaca stat Dea facta manu;
Vendicat ut Calamis laudem, quos fecit, equorum;
Ut similis veræ vacca Myronis opus;
Sic ego pars rerum non ultima, Sexte, tuarum,
Tutelæque feror munus opusque tuæ.

EPISTOLA II.

* SEVERO.

Quod legis, o vates magnorum maxime regum,
Venit ab intonsis usque, Severe, Getis.

31. *Arcis ut Actææ.*] Phidias præter Jovem, fecit et ex ebore Minervam Athenis, et ex ære tam eximiæ pulchritudinis, ut a forma cognomen acceperit. De quibus hic poeta intelligit. Fuit et in arce Athenarum Minervæ simulacrum, de quo fama increbuit, quod de cœlo ceciderit.

Actææ.] h. e. Atheniensis, ab Actæo primo rege in ea regione, quæ post Attica nominata est, v. Pausan. i. 2. p. 7. aut ab ἀκτῇ littore. HARLES. *Custos bellica.* Dea belli Minerva, arcium custos et præses.

32. *Stat.*] Non sedet, sed erecta et stans posita fuit. *Manu Phidiaca.* Manu Phidiæ Atheniensis, qui floruit olympiade octogesima quarta, circiter tercentesimo Romanæ urbis anno.

33. *Vendicat ut Calamis.*] Calamis sui temporis egregius artifex: fecit enim quadrigas maxime celebres; de quo Plinius, lib. xxxiv. cap. 8. ubi legenda sunt humani ingenii miracula, quibus inclaruit Græcia illa, omnium artium parens, cujus infandam sortem nemo satis nunc lugere potest.

34. *Ut similis veræ.*] De Myrone ac ejus vacca etiam Plinius scribit. *Similis veræ.* Similis vaccæ vivæ.—In vaccam Myronis, statuarii, Eleatheris nati, vaccæ vivæ simillimam, bellissima sunt epigrammata in Anthol. Epigr. Græc. lib. iv. HARLES.

* SEVERO.] Duo fuerunt poetæ, nomine Severi; alter Cassius Severus, Parmensis patria, qui in acie Philippica pro Cassio ac Bruto pugnavit: mox Athenas sese contulit, ubi a Vario, consilio atque instinctu Augusti, occisus dicitur: de quo hoc loco intelligi non potest, quando hæc proximo ante Augusti obitum anno scripta sunt. Neque etiam celebraturus poeta videtur eum, quem Augustus odisset. Alter fuit Cornelius Severus, poeta epicus, de quo meminit Quintil. Instit. Orat. lib. x.

1. *Vates magnorum maxime vatum.*] Multi ex antiquis *maxime regum*; probe: infra Eleg. ult. 9:

Cujus adhuc nomen nostros tacuisse libellos,
  Si modo permittis dicere vera, pudet.
Orba tamen numeris cessavit epistola nunquam
  Ire per alternas officiosa vices.
Carmina sola tibi memorem testantia curam
  Non data sunt: quid enim, quæ facis ipse, darem?
Quis mel Aristæo, quis Baccho vina Falerno,
  Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?
Fertile pectus habes, interque Helicona colentes
  Uberius nulli provenit ista seges.
Mittere carmen ad hunc, frondes erat addere silvis:
  Hæc mihi cunctandi causa, Severe, fuit.

Quique dedit Latio carmen regale Severus.

Tragœdiarum scriptorem fuisse designat: sic Trist. lib. ii. ver. 553:

Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis. Heins.

2. *Ab intonsis Getis.*] Ab incultis et impexis illis populis, qui capillum et barbam promittebant, erantque aspectu horridi et formidabiles.

5. *Orba numeris.*] Quibus verbis se soluta oratione ad eum scripsisse exprimit.

7. *Curam memorem.*] Amorem hominis memoris tui. Mer. Vel argumentum memoris animi, quem testantur inter absentes, dona et literæ. Pont.

8. *Quæ facis ipse darem.*] Cur debeo tibi ea adferre, quorum tu es optimus artifex.

9. *Quis mel Aristæo, quis Baccho vina Falerna.*] *Baccho Falerno* multi veteres, et recte; sic *Falernus ager* et similia. Cæterum corripuit τὸ *mel*, raro exemplo, quod ea vox ἀπὸ τοῦ μέλι deducatur. Posset alioquin legi, *Mel quis Aristæo.* Heins. *Quis mel Aristæo.* De Aristæo Justinus libro decimo tertio; Virgil. quarto Georgicorum, ver. 317. sqq.

10. *Triptolemo fruges.*] Ceres frumenti, quod forte inter alias herbas nascebatur ignotum cæteris, prima usum adinvenit, docuitque homines servandi et serendi modum. Triptolemo frumenti dedisse semen, mandasseque, ut cum omnibus id donum participans, modum seminandi monstraret. *Poma det Alcinoo.* Alcinous, rex Phæacum, filius Nausithoi, hortos habuit cultissimos. Unde Maro, Georg. ii. 87:

Pomaque et Alcinoi sylvæ.

Homerus, Odys. H. de Alcinoi hortis, ver. 117:

Τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται, οὐδ' ἐπιλείπει·

et deinde, ver. 120:

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ.

11. *Fertile pectus habes.*] Est tibi, inquit, abunde doctrinæ. *Inter colentes Helicona.* Inter poetas colentes Musarum loca, ut est Helicon Bœotiæ.

12. *Uberius nulli.*] Nulli quam tibi copiosius. *Ista seges.* Ista scientia artis poeticæ.

Nec tamen ingenium nobis respondet, ut ante:
Sed siccum sterili vomere litus aro.
Scilicet ut limus venas excæcat in undis,
Læsaque sub presso fonte resistit aqua;
Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum,
Et carmen vena pauperiore fluit.
Si quis in hac ipsum terra posuisset Homerum,
Esset, crede mihi, factus et ille Getes.
Da veniam fasso; studiis quoque frena remisi;
Ducitur et digitis litera rara meis.
Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis esse solebat, abest.
Vix venit ad partes, vix sumtæ Musa tabellæ
Imponit pigras pæne coacta manus.
Parvaque, ne dicam scribendi nulla voluptas
Est mihi; nec numeris nectere verba juvat.
Sive quod hinc fructus adeo non cepimus ullos,
Principium nostri res sit ut ista mali:
Sive quod in tenebris numerosos ponere gressus,
Quodque legas nulli, scribere carmen, idem est.

16. *Siccum litus.*] Materiam et campum sine humore. Intelligit autem per similitudinem scribendi materiam mœstam se sumpsisse, unde nullus possit fructus et honor emanare, neque gloria aliqua provenire.

17. *Scilicet ut limus.*] Quemadmodum limus non permittit aquas ex venis procurrere: sic mala occludunt et remorantur copiam carminis, et venam poeticæ majestatis. *Excæcat venas.* Venas obturat.

21. *In hac terra.*] In Tomitana civitate, inter barbaros.

22. *Esset factus Getes.*] Redditus fuisset poetices quasi expers, ut sunt Getæ, quorum terras ego incolo.

23. *Studiis quoque frena remisi.*] Intermisi etiam studium literarum.

27. *Vix venit ad partes.*] Hoc est, vix ad officium suum redit: officium autem Musæ est, poetæ invocanti adesse. Vel vix venit in partem laboris, tergiversatur.

32. *Res ista.*] Poetica facultas.

33. *Numerosos ponere gestus.*] *Gressus* nonnulli ex antiquis, quod Bersmanno adridebat: frustra. Intelligit gesticulationem manuum quæ inter saltandum fiebat. Versu proximo, pro *legas*, Scalig. *legant*; et sic Arond. sed nulla opus mutatione; *legere* pro recitare dixit. Heins. *Numerosos gressus.* Pedes suis numeris et gressibus astrictos. *Ponere.* Scribendo collocare. *Premere* Burmannus conji-

Excitat auditor studium; laudataque virtus
  Crescit, et immensum gloria calcar habet.
Hic mea cui recitem, nisi flavis scripta Corallis,
  Quasque alias gentes barbarus Ister habet?
Sed quid solus agam? quaque infelicia perdam
  Otia materia, subripiamque diem?
Nam quia nec vinum, nec me tenet alea fallax,
  Per quæ clam tacitum tempus abire solet;
Nec me, quod cuperem, si per fera bella liceret,
  Oblectat cultu terra novata suo:
Quid, nisi Pierides, solatia frigida, restat,
  Non bene de nobis quæ meruere Deæ?
At tu, cui bibitur felicius Aonius fons,
  Utiliter studium quod tibi cedit, ama:
Sacraque Musarum merito cole; quodque legamus,
  Huc aliquod curæ mitte recentis opus.

EPISTOLA III.

AMICO INSTABILI.

CONQUERAR, an taceam? ponam sine nomine crimen?
  An notum, qui sis, omnibus esse velim?

ciebat, sed contra sensum et metrum.

34. *Idem est.*] *Obest* Leid. edit. Gryph. Bersm. et alii.

37. *Nisi flavis Corallis.*] Coralli populi fuere in ora Pontici maris. *Flavis* vel ad comam, ut ξανθοὺς intelligat esse, et per hoc, feroces: vel ad reliqui corporis colorem adludere putandum. De Corallis autem et Strabo meminit libro septimo.

40. *Subripiamque diem.*] Clam rapiam totum diem. Subripimus enim diem, quando vacamus alicui rei jocosæ, ita ut dies elabatur. *Solatia frigida.* Ita quoque apud Græcos, ψυχρὰ τέρψις. Eurip.

46. *Quæ non bene meruere de nobis.*] Quæ mihi nocuerunt.

48. *Studium.*] Studium poeticæ artis. *Quod tibi cedit.* Quod tibi succedit utiliter: sive utilius, hoc est, melius, quam mihi.

1. *Ponam sine nomine crimen.*] An debeo tantum crimen tuum suppresso nomine ostendere?

Nomine non utar, ne commendere querela,
Quæraturque tibi carmine fama meo.
Dum mea puppis erat valida fundata carina,
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc, quia contraxit vultum fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.
Dissimulas etiam, nec me vis nosse videri,
Quique sit, audito nomine, Naso, rogas.
Ille ego sum, quanquam non vis audire, vetusta
Pæne puer puero junctus amicitia:
Ille ego, qui primus tua seria nosse solebam,
Qui tibi jucundis primus adesse jocis:
Ille ego convictor, densoque domesticus usu;
Ille ego judiciis unica Musa tuis.
Idem ego sum, qui nunc an vivam, perfide, nescis;
Cura tibi de quo quærere nulla fuit.
Sive fui nunquam carus, simulasse fateris:
Seu non fingebas, inveniere levis.
Dic, age, dic aliquam, quæ te mutaverit, iram:
Nam nisi justa tua est, justa querela mea est.
Quæ te consimilem res nunc vetat esse priori?
An crimen, cœpi quod miser esse, vocas?
Si mihi rebus opem nullam factisque ferebas,
Venisset verbis charta notata tribus.

10. *Quisque sit.*] Recte Bavar. Erfurt. Burmann. quem vide: est formula contemtim loquendi, tamquam de obscuro et vili homine. HARLES.

15. *Denso usu.*] Frequenti consuetudine.

16. *Tuis judiciis.*] Quia ita de me judicabas. *Unica Musa.* Solus poeticæ artis peritus.

17. *Ille ego sum qui nunc an vivam.*] Ordo est: O perfide, qui nunc nescis an vivam, ego sum ille, de quo nulla cura fuit tibi quærere.

22. *Nisi justa tua est.*] Nisi querela tua habuerit justam mecum succensendi causam. *Querela mea.* Mea lamentatio de te, quod me deserueris.

26. *Venisset verbis charta notata.*] Saltem verba et literas ad me misisses.

Vix equidem credo, sed et insultare jacenti
Te mihi, nec verbis parcere, fama refert.
Quid facis, ah demens? cur, si fortuna recedat,
Naufragio lacrymas eripis ipse tuo?
Hæc Dea non stabili, quam sit levis, orbe fatetur,
Quem summum dubio sub pede semper habet.
Quolibet est folio, quavis incertior aura,
Par illi levitas, improbe, sola tua est.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.
Divitis audita est cui non opulentia Crœsi?
Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.
Ille Syracosia modo formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat Magno majus? tamen ille rogavit
Submissa fugiens voce clientis opem:

29. *Si fortuna recedat.*] Si fortuna tua secunda te quoque deserat, ut me deseruit. *Naufragio tuo.* Tuo aliquo infortunio, quod tibi potest contingere.

30. *Eripis lacrymas.*] Amici enim si viderint quid contra me feceris, et quam fueris in me crudelis in hac mea calamitate, idem quoque mecum in te efficient.

35. *Omnia sunt hominum.*] *Omina* plurimi ex scriptis: nil muta. Heins. *Tenui filo.* Tenui retinaculo et firmamento. Videtur autem poeta hæc de Dionysii historia traxisse, et ad eam adludere; quam elegantissime Cicero refert in quinto Tusculanarum quæstionum libro. Ἠρτῆσθαι ἐκ λεπτῶν νημάτων, Lucian. Dial. Contemplantes, sive Charon. Lucret. lib. ii. sub fin. apud Gellium. xiii. 20:

Aurea de cœlo dimisit funis in arva.
Enn. apud Macrob. i. 9:

Hac noctu filo pendebat Etruria tota.
Vide Colum. p. 55.

38. *Tulit vitam.*] Vitæ beneficium accepit. *Ab hoste.* A Cyro, Persarum rege.

39. *Ille Syracusia modo formidatus in urbe.*] Dionysium Siciliæ tyrannum dicit, virum omni turpitudine repletum: qui Syracusis pulsus, Corinthi ludum aperuit, ac pueros docuit, sicque imperio carere non potuit. De eo lege Justinum in libro xix.

41. *Quid fuerat Magno majus.*] Pompeii etiam exemplo ostendit, fortunam in rebus omnibus dominari, nec quicquam certi esse in hominum vita. *Tamen ille rogavit.* Tamen ipse Pompeius, post cladem acceptam in campis Pharsalicis a Cæsare, in Ægyptum fugit, ad opem Ptolæmei regis, cujus patrem in clientelam susceptum, multis beneficiis conciliaverat.

Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
  Indigus effectus omnibus ipse magis.
Ille Jugurthino clarus, Cimbroque triumpho,
  Quo victrix toties consule Roma fuit,
In cœno latuit Marius, cannaque palustri,
  Pertulit et tanto multa pudenda viro.
Ludit in humanis divina potentia rebus,
  Et certam præsens vix habet hora fidem.
Litus ad Euxinum, si quis mihi diceret, ibis,
  Et metues arcu ne feriare Getæ;
I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos,
  Quicquid et in tota nascitur Anticyra.
Sum tamen hæc passus: nec, si mortalia possem,
  Et summi poteram tela cavere Dei.
Tu quoque fac timeas; et, quæ tibi læta videntur,
  Dum loqueris, fieri tristia posse, puta.

EPISTOLA IV.

SEXTO POMPEIO.

Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
  Non intermissis ut fluat imber aquis.

43. *Cuique viro.*] Distichon hoc nullius pretii et nugatorium meo periculo ejiciatur. Heins. Optime.

45. *Ille Jugurthino clarus.*] Marium intelligit, qui obscuro genere ortus in vico Arpinati, præclarus fuit imperator, et Jugurtham Numidiæ regem devicit. Sex consulatus, quod nemo alius, gessit. Postea a Sylla pulsus ex urbe, in Minturnensi palude delituit. *Cimbroque triumpho.* Cimbri populi fuere Germanorum: hi quum Romanorum fines invaderent, ac magna clade primum Romanos adfecissent, a Mario in Italia in campo Caudio deleti sunt; ut Florus ac Plinius docent.

53. *I, bibe, dixissem.*] Illum rejecissem tanquam insanum, et dignum purgari elleboro nigro: hæc herba nascebatur plurima in Anticyra, quæ est insula pertinens ad regionem Phocaicam: lege Gellium libro xvii. 15.

55. *Sum tamen hæc passus.*] Tamen sum relegatus ad oram Ponticam, quod non credideram.

Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
  Mista fere duris utilis herba rubis.
Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit,
  Ut minuant nulla gaudia parte malum.
Ecce domo, patriaque carens, oculisque meorum,
  Naufragus in Getici litoris actus aquas;
Qua, tamen inveni, vultum diffundere, causam,
  Possem, fortunæ nec meminisse meæ.
Nam mihi, quum fulva tristis spatiarer arena,
  Visa est a tergo penna dedisse sonum.
Respicio: nec corpus erat quod cernere possem:
  Verba tamen sunt hæc aure recepta mea:
En ego lætarum venio tibi nuntia rerum,
  Fama per immensas aere lapsa vias.
Consule Pompeio, quo non tibi carior alter,
  Candidus et felix proximus annus erit.
Dixit: et, ut læto Pontum rumore replevit,
  Ad gentes alias hinc Dea vertit iter.
At mihi, dilapsis inter nova gaudia curis,
  Excidit asperitas hujus iniqua loci.
Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum,
  Pulsus et a sacro mense december erit;

4. *Utilis herba.*] Herba ferens aliquam utilitatem. *Duris rubis.* Duris spinis; ut sunt cardui, &c. De generibus carduorum Plinium legito xviii. 44. et al. et Palladium iv. 9.

7. *Oculisque meorum.*] Et præsentia amicorum. Sic Cic. ad Familiar. *Oculos saltem effugiamus illorum, si aures non possumus.*

9. *Vultum diffundere.*] Gaudium diffundit spiritus, et hinc etiam vultum. Tristitia contra spiritus contrahit cum vultu. PONT.

11. *Fulva arena.*] In litore Tomitano.

23. *Longum annum.*] *Longum* appellat, ex affectu poetæ, cui præ nimio desiderio tardus et longior videtur incipere. Anni, communi Latinorum sententia, tres tantummodo numero reperiuntur. *Lunaris* quidem primus, omnium brevissimus, qui triginta dierum spatio cursum perfecte peragit. *Solaris,* de quo sæpissime poetæ loquuntur, qui per menses duodecim. Et *magnus,* qui duodecim millia annorum, quingentos et quinquaginta continet.

24. *A sacro mense.*] A Januario, qui sacer erat Jano Deo. *Erit pul-*

Purpura Pompeium summi velabit honoris,
Ne titulis quicquam debeat ille suis.
Cernere jam videor rumpi penetralia turba,
Et populum lædi, deficiente loco:
Templaque Tarpeiæ primum tibi sedis adiri;
Et fieri faciles in tua vota Deos:
Colla boves niveos certæ præbere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Quumque Deos omnes, tum quos impensius æquos
Esse tibi cupias, cum Jove Cæsar erit.
Curia te excipiet, patresque e more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.
Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore,
Utque solet, tulerit prospera verba dies;

sus. Erit exactus, et quasi finitus et expulsus.—Jano sacra fiebant Calend. Januar. eoque die sacrificabatur diis in Capitolio pro salute Principis et reipubl. novique consules inibant magistratum: hinc dicitur *sacer mensis.* Confer Ovid. Fast. i. 65. sqq. Res nota est. Harles.

25. *Purpura summi.*] Vestis purpurea, insigne summorum honorum et magistratuum, qualis erat consulatus.

26. *Ne titulis quicquam debeat ille suis.*] Sensus est: Purpuram vestem sumet Pompeius, ne quid desit, quod ab eo præstari debeat suis titulis, et virtutibus, et inscriptionibus, seu titulis summi honoris et consulatus sui.

27. *Cernere jam video rumpi pene atria turba.*] Versus mendosus, et tamen Oberlino servatus: *videor* plerique veteres, recte; nonnulli etiam *penetralia*, quod recepi, probantibus Heinsio et Burmanno: sed ne sic quidem locus mihi videtur plane in integrum restitutus.

Cernere.] h. l. plus est, quam *videre*, i. e. liquido aliquid videre et cognoscere, ut oculis distinguamus ab aliis rebus, cum quibus, antequam visu nostro ita clare cognosceretur, quasi confusum erat. Harles.

29. *Templa Tarpeiæ sedis adiri.*] Templum Capitolinum, ad quod novi consules accedebant sacrificaturi calendis Januarii, ut in Fastis.

31. *Colla boves niveos.*] Describit sacrificium, quod Cal. Januar. fiebat in Capitolio. Cædebantur autem Jovi Capitolino juvenci albi, atque injuges electi ex agro Falisco. Ibi enim, aqua Clitumni amnis epota boves candidos facit. Falisci autem populi fuere in Thuscia haud procul ab urbe.

36. *Ad tua verba.*] Ad tuam orationem, quam habebis in curia post sacrificium Capitolinum. Solebant enim novi consules gratias pro sibi delato magistratu populo agere, benigneque illum adloqui.

38. *Utque solet, tulerit.*] Et postquam eo die de more prospera tibi omnia a salutantibus nunciata fuerint. Ovidius, lib. i. Fast. ver. 71:

Egeris et meritas Superis cum Cæsare grates,
  Qui causam, facias cur ita sæpe, dabit:
Inde domum repetes toto comitante senatu,
  Officium populi vix capiente domo.
Me miserum, turba quod non ego cernor in illa!
  Nec poterunt istis lumina nostra frui!
Quamlibet absentem, qua possum, mente videbo:
  Adspiciet vultus consulis illa sui.
Dî faciant, aliquo subeat tibi tempore nostrum
  Nomen; et, heu! dicas, quid miser ille facit?
Hæc tua pertulerit si quis mihi verba, fatebor
  Protinus exsilium mollius esse meum.

EPISTOLA V.

S. POMPEIO JAM CONSULI.

Ite, leves elegi, doctas ad consulis aures,
  Verbaque honorato ferte legenda viro.
Longa via est; nec vos pedibus proceditis æquis;
  Tectaque brumali sub nive terra latet.
Quum gelidam Thracen, et opertum nubibus Hæ-
  Et maris Ionii transieritis aquas; [mon,

Prospera lux oritur, linguis animisque favete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

40. *Qui dabit causam.*] Qui Cæsar præbebit materiam. *Cur ita sæpe facias.* Cur ita sæpe gratias agas. *Causam dabit.* *Dabunt* tres scripti; sed rectius causam gratias Dîs agendi uni Cæsari imputaverit. Heins.

1—3. *Leves elegi.*] Quia elegi in rebus levioribus, præcipue amatoriis adhibebantur. Horat. i. Od. 33. 2, 3. vocat *miserabiles elegos*, ubi vet. Schol. *Elegos παρὰ τοῦ ἒ, ἒ, quæ vox est lamentantium.* Harles.

4. *Terra.*] Per quam ostendit itineris magnam difficultatem: et ideo dixit poeta, *Ite, leves elegi:* hoc est, celeres.

5. *Qua gelidam Thracen.*] Thraciæ regio est secundum Indiam omnium maxima. Et quia septemtrioni proxima est, ideo poeta *gelidam* adpellat. *Et opertum nubibus Hæmum.*

Luce minus decima dominam venietis in urbem,
Ut festinatum non faciatis iter.
Protinus inde domus vobis Pompeia petatur;
Non est Augusto junctior ulla foro:
Si quis, ut in populo, qui sitis, et unde, requiret,
Nomina decepta quælibet aure ferat.
Ut sit enim tutum, sicut reor esse, fateri,
Verba minus certe ficta timoris habent.
Copia nec vobis ullo prohibente videndi
Consulis, ut limen contigeritis, erit.
Aut reget ille suos dicendo jura Quirites,
Conspicuum signis quum premet altus ebur:
Aut, populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non sinet urbis opes:
Aut, ut erunt patres in Julia templa vocati,
De tanto dignis consule rebus aget:

Hæmus mons est, qui in Pontum vergit: cæteros ejus spatii magnitudine ac sublimitate superans, mediamque Thraciam dividens.

6. *Et maris Ionii.*] Et maris illius, quod ab Ionia regione in extremitate minoris Asiæ media, inter Cariam et Æoliam usque ad Siciliam protenditur.

8. *Ut non faciatis iter festinatum.*] Quamvis non properetis.

10. *Foro Augusto.*] Foro Augusti addito duobus aliis foris.—Pompeiorum domus in Carinis ad Telluris ædem fuit: Sueton. de illustr. Grammat. c. 15. HARLES.

11. *Ut in populo.*] Quemadmodum vulgus, sive populus solet requirere. *Qui sitis.* Quo nomine adpellemini. *Et unde.* Et ex qua gente veniatis.

12. *Nomina quælibet.*] Quæcunque alia nomina, quam vestra. *Aure decepta.* Aurem enim decipimus, quum id dicimus audienti, quod non est. *Ferat.* Audiat.

13. *Ut sit tutum fateri.*] Quamvis sit securum nomen vestrum, et unde veniatis, profiteri.

15. *Copia nec vobis.*] Hic versus monet, non ita eis facilem fore consulis videndi copiam, quandoquidem ille maximis in rebus occupatus erit. *Ullo.* Aliquo qui vobis id prohibeat; sed occupationes publicæ id non sinunt.

18. *Ebur conspicuum.*] Sellam eburneam et curulem.

19. *Aut, populi reditus positam.*] Aut, inquit, consul posita in foro hasta præconis, ut, inquit Cicero, publica vectigalia in auctione emenda, conducendave proponet.

20. *Minui.*] Minoris vendi quam superioribus annis.

21. *In Julia templa.*] In Ædem Veneris genitricis, quam Julius Cæsar erexit.

Aut feret Augusto solitam natoque salutem,
  Deque parum noto consulet officio.
Tempus ab his vacuum Cæsar Germanicus omne
  Auferet: a magnis hunc colit ille Deis.
Quum tamen a turba rerum requieverit harum,
  Ad vos mansuetas porriget ille manus;
Quidque parens ego vester agam, fortasse requiret:
  Talia vos illi reddere verba velim.
Vivit adhuc, vitamque tibi debere fatetur,
  Quam prius a miti Cæsare munus habet.
Te sibi, quum fugeret, memori solet ore referre,
  Barbariæ tutas exhibuisse vias.
Sanguine Bistonium quod non tepefecerit ensem,
  Effectum cura pectoris esse tui.
Addita præterea vitæ quoque multa tuendæ
  Munera, ne proprias attenuaret opes.
Pro quibus ut meritis referatur gratia, jurat,
  Se fore mancipium, tempus in omne, tuum.

24. *De officio parum noto.*] De rebus pertinentibus ad consulatum minus notis Pompeio, tanquam novo consuli. *Consulet.* Capiet consilium. Putat Burmannus tam adulandi imperitum non fuisse Nasonem, ut ignorantiam, aut servitutem tam imprudenter objiceret Pompeio. Quare legi maluerit vir doctus, *Deque patrum toto consulet officio.* Consulet Cæsares, *quale velint esse officium* totius senatus: antequam enim res ad senatum proponerentur, solebant a consulibus ad Augustum referri, qui de illis in concilio suo domestico ante tractabat. Ingeniosa sane lectio: vulgata vero fere omnes, et nostros quoque, sibi habet propugnantes.

25. *Germanicus.*] Germanicus junior, filius Drusi, privigni Augusti. Mer. *Tempus ab his vacuum Cæsar.* Hic locus ita intelligendus videtur, ut Germanicum accipiamus, ea hyeme, quæ obitum Augusti proxime antecessit, Romæ fuisse, et sequenti æstate in Germaniam abiisse. Mortuus enim Augustus est, Coss. Sex. Pompeio, ad quem hic scribit poeta, et Sex. Apuleio, xiv Kalend. Septembris, ut Suetonius tradit. Quo tempore Germanicus apud Rhenum exercitui præpositus fuit. Micyl.

28. *Ad vos.*] Scilicet versus excipiendos.

34. *Vias tutas barbariæ.*] Vias securas a barbarie, per quas Tomon proficiscebatur.

35. *Ensem Bistonium,* &c.] Ensem Thracum.

40. *Mancipium—tuum.*] h. e. servum. Harles.

Quique tuas pariter lacrymas nostrasque videret,
Passuros pœnam crederet esse duos.
Lenem te miseris genuit natura, nec ulli
Mitius ingenium, quam tibi, Brute, dedit:
Ut, qui quid valeas ignoret Marte forensi,
Posse tuo peragi vix putet ore reos.
Scilicet ejusdem est, quamvis pugnare videtur,
Supplicibus facilem, sontibus esse trucem;
Quum tibi suscepta est legis vindicta severæ,
Verba velut tinctum singula virus habent.
Hostibus eveniat, quam sis violentus in armis
Sentire, et linguæ tela subire tuæ;
Quæ tibi tam tenui cura limantur, ut omnes
Istius ingenium corporis esse negent.
At, si quem lædi fortuna cernis iniqua,
Mollior est animo femina nulla tuo.
Hoc ego præcipue sensi, quum magna meorum
Notitiam pars est inficiata mei.
Immemor illorum, vestri non immemor unquam,
Qui mala solliciti nostra levastis, ero.
Et prius, heu nobis nimium conterminus! Ister
In caput Euxino de mare vertet iter;
Utque Thyesteæ redeant si tempora mensæ,
Solis ad Eoas currus agetur aquas;

30. *Posse peragi.*] Posse damnari. *Reus* enim dicitur *peragi*, quum alicujus eloquentia damnatur. *Vix putet.* Vix existimet: quia vident te natura mitem et pium miseris. *Tuo ore.* Tua eloquentia.

34. *Habent velut virus tinctum.*] Ex quo magna est laus Bruti, quod tanta est ejus eloquentia, ut in accusandis reis singula verba sint ita efficacia, ut videantur veneno illita.

37. *Quæ limantur.*] Quæ tela acuuntur et parantur. *Tam tenui cura.* Tam subtili diligentia. *Ut omnes istius ingenium.* Ut omnes, inquit, arbitrentur non id fieri tuo corpore, et humano ingenio, sed viribus et ingenio divino.

47. *Utque Thyesteæ redeant si tempora mensæ.*] *Ante*, Feschii et Hafniensis; multi alii, *Atque*. Opinor castigandum:

Ante, Thyesteæ redeant ceu tempora mensæ,

Quam quisquam vestrum, qui me doluistis ademptum,
Arguat, ingratum non meminisse sui.

EPISTOLA VII.

* VESTALI.

MISSUS es Euxinas quoniam, Vestalis, ad undas,
Ut positis reddas jura sub axe locis;
Adspicis en, præsens, quali jaceamus in arvo:
Nec me testis eris falsa solere queri.
Accedet voci per te non irrita nostræ,
Alpinis juvenis regibus orte, fides.
Ipse vides certe glacie concrescere Pontum;
Ipse vides rigido stantia vina gelu.

Solis ad Eoas currus agetur aquas. Pro *tempora* etiam *fercula* malim reponi: sed obstant libri veteres. Nam Nonius docet, *ferculum* proprie esse *missum carnium*. Hinc apud Juvenalem, Sat. xi:

Fercula nunc audi nullis ornata macellis. HEINS.

50. *Arguat ingratum.*] Ostendat: sic Virgil. ix. 281:

me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit.

* VESTALI.] *Vestalis* cognomen est Fabiæ gentis: ita *Fabius Vestalis*, qui de pictura scripsit, sæpe Plinio laudatur; vid. indicem lib. xxxv et xxxvi; *Vettius Vestalis*, apud Gruter. MCXLIX, 12, et Reins. i. 48. BURM.

3. *Præsens.*] Præfero, quia hoc melius τῷ *adspicis*, et mox *testis* convenit: si de parte aliqua administrationis, cui præfectus erat Vestalis, ageret, *præses* posset admitti; sed hic ejus testimonium tantum invocat.

5. *Accedet voci nostræ.*] Veniet nostris verbis, quibus questi sumus de locis Ponticis. *Non irrita fides.* Fides non vana, sed vera. *Per te.* Tuo testimonio.

6. *Alpinis.*] Etiam Bavar. et exponunt quidam de Regibus Cottiis aut *Coctiis* (vide Micyllum,) qui in Alpibus regnarunt. At enim Verpoorten, "Cur non, ait, de regibus Alpium Juliarum? Nam Vestalis cognomen in Juliis reperiri, monet Schottus in Electis. Sed quid Alpini ad Daunum v. 29? Lege: Arpinis. Nam Arpi urbs quondam ex maximis Italiæ, in Dauni regno fuit in Apulia, prius Lampe adpellata, quam a Diomede nomen mutaretur: Strabo, libr. vi." HARLES.

7. *Glacie concrescere.*] Vide hæc et sequentia illustrantem Pontanum ad Macrob. lib. vii. Saturn. 12.

8. *Gelido stantia vina.*] Vina con-

Ipse vides, onerata ferox ut ducat Iazyx
  Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.
Adspicis et mitti sub adunco toxica ferro,
  Et telum causas mortis habere duas.
Atque utinam pars hæc tantum spectata fuisset,
  Non etiam proprio cognita Marte tibi!
Tenditis ad primum per densa pericula pilum;
  Contigit ex merito qui tibi nuper honos.
Sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
  Ipsa tamen virtus ordine major erat.
Non negat hoc Ister, cujus tua dextera quondam
  Pœniceam Getico sanguine fecit aquam.
Non neget Ægypsos, quæ, te subeunte, recepta
  Sensit in ingenio nil opis esse loci.
Nam dubium, positu melius defensa manuve,
  Urbs erat in summo nubibus æqua jugo.
Sithonio regi ferus interceperat illam
  Hostis, et ereptas victor habebat opes.

gelata, et in unam massam redacta nimio gelu.

9. *Ferox Iazyx.*] Fuere Iazyges populi Scythiæ, qui campos et plana tenuere.

12. *Duas causas mortis.*] Ferrum scilicet sagittæ, et venenum.

15. *Tenditis.*] Vos milites Romani pervenitis, et tu præsertim, Vestalis. *Ad primum pilum.* Ad primipilarem dignitatem.

16. *Contigit.*] Ordo est: Qui honor, hoc est, quæ dignitas, primipilaris, nuper contigit tibi ex merito.

17. *Sit plenis fructibus.*] Sit honorifica et fructuosa.

19. *Non negat hoc Ister.*] Testis est Ister virtutis tuæ, qui te in ejus ripis hostem vidit insequentem, et trucidantem.

20. *Puniceam sanguine Getico.*] Rubram hostili et Getico cruore.

21. *Non neget Ægypsos.*] Vide notas, lib i. Eleg. viii. ver. 13. Heins. Ægypsos oppidum munitissimum fuit in Scythia, in summo collis ardui. Sensus planus est ex iis quæ sequuntur. Nam a Getis interceptam, ac regi Thraciæ ademptam, recuperatam mox Vitellii opera et auxilio dicit: in qua recuperatione ac pugna, Vestalem quoque præclaram operam navasse innuit. Micyl.

23. *Manuve.*] An propugnatoribus; quasi dicat, et natura loci, et validissimo præsidio pariter urbs ea devicta. Micyl.

25. *Sithonio regi.*] Regi Thraciæ: est enim Sithonia pars Thraciæ.

26. *Ereptas opes.*] Divitias Ægypsi

Donec fluminea devecta Vitellius unda
  Intulit, exposito milite, signa Getis.
At tibi, progenies alti fortissima Dauni,
  Venit in adversos impetus ire viros.
Nec mora; conspicuus longe fulgentibus armis,
  Fortia ne possint facta latere, caves:
Ingentique gradu contra ferrumque locumque,
  Saxaque brumali grandine plura, subis.
Nec te missa super jaculorum turba moratur,
  Nec quæ vipereo tela cruore madent.
Spicula cum pictis hærent in casside pennis;
  Parsque fere scuti vulnere nulla vacat.
Nec corpus cunctos feliciter effugit ictus;
  Sed minor est acri laudis amore dolor.
Talis apud Trojam Danais pro navibus Ajax
  Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.
Ut propius ventum est, commissaque dextera dex-
  Resque fero potuit cominus ense geri; [træ,
Dicere difficile est, quid Mars tuus egerit illic,
  Quotque neci dederis, quosque, quibusque mo-
Ense tuo factos calcabas victor acervos; [dis.
  Impositoque Getes sub pede multus erat.

oppidi ademptas oppidanis ejectis. *Et victor.* Et hostis Geta, qui oppidum illud expugnaverat. MICYL.

27. *Fluminea unda.*] Unda Istri fluminis. *Vitellius.* Forte A. Vitellius, patruus Cæsaris Vitellii, qui consulatum gessit sub Tiberio, an. U. C. DCCXXCIV; nisi ad L. Vitellium patrem referre mavis. *Intulit.* Bella intulit, et cum vexillis Romanis eo venerat pugnaturus: nam vexilla et armatos, secundo flumine, ex finitimis locis deportavit.

34. *Saxaque.*] Et contra saxa, quæ e superiori loco cadebant. *Plura.* Numerosiora. *Subis.* Adscendis.

37. *Spicula.*] Tela, et sagittæ. *Cum pennis pictis.* Cum pennis sagittarum puniceis. Solent enim pennæ, quæ sagittis annectuntur, aliquo colore inficî, ut videantur pulchriores.

38. *Vacat vulnere.*] Quemadmodum de Scæva illo Cæsariano legimus.

41. *Talis apud Trojam.*] Notum est naves Græcorum defensas fuisse ab Ajace contra Trojanos, qui duce Hectore ignem adtulerant, ut eas cremarent. Qualis ergo fuerat in ea pugna Ajax, talem enim fuisse Vestalem contra Getas profitetur.

Pugnat ad exemplum Primi minor ordine Pili;
Multaque fert miles vulnera, multa facit.
Sed tantum virtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantum Pegasus ibat equos.
Vincitur Ægypsos: testataque tempus in omne
Sunt tua, Vestalis, carmine facta meo.

EPISTOLA VIII.

* SUILLIO.

Litera sera quidem, studiis exculte Suilli,
Huc tua pervenit, sed mihi grata tamen:
Qua, pia si possit Superos lenire rogando
Gratia, laturum te mihi dicis opem.
Ut jam nil præstes, animi sum factus amici
Debitor; et meritum, velle juvare, voco.
Impetus iste tuus longum modo duret in ævum;
Neve malis pietas sit tua lassa meis.

49. *Minor.*] Centurio qui erat sub primipilo: id est, sub Vestale minoris dignitatis. *Pugnat ad exemplum primipili.* Videndo primipilum acriter in prima acie pugnare, et ipse eum imatabatur, pugnando etiam fortiter.

53. *Vincitur Ægypsos.*] Urbs illa tandem tua virtute, o Vestalis, capitur. *Testata.* Testimonio comprobata.

* Suillio.] Hic sine dubio est P. Suillius, qui, quæstor primum Cæsaris Germanici, legatus deinde pro quæstore in Asia, deinceps post excessum Germanici, convictus accepisse pretium ob rem judicandam, Italia pulsus atque ejectus, Tiberii mox edicto relegatus in insulam, eoque mortuo reversus, Claudii Cæsaris demum amicitia ac familiaritate diu feliciter est usus. Sub Nerone tandem, quod pretio conductus accusasse insimularetur, et complures adegisse ad mortem, Senecæ impulsu lege Cincia damnatus, et in Baleares deportatus est. Rem omnem copiose persecutus est Tacitus, lib. iv. 11. et xiii.

3. *Si pia gratia.*] Si amor tuus erga me pius. *Posset lenire Superos.* Posset mulcere et placare Cæsares. Tiberium scilicet, Germanicum, ac reliquos Cæsares.

7. *Impetus iste tuus.*] Iste tuus animi ardor bene merendi de me.

Jus aliquod faciunt adfinia vincula nobis,
  Quæ semper maneant illabefacta, precor.
Nam tibi quæ conjux, eadem mihi filia pæne est:
  Et quæ te generum, me vocat illa virum.
Heu mihi! si lectis vultum tu versibus istis
  Ducis, et adfinem te pudet esse meum!
At nihil hic dignum poteris reperire pudore,
  Præter fortunam, quæ mihi cæca fuit.
Seu genus excutias; equites, ab origine prima,
  Usque per innumeros inveniemur avos:
Sive velis, qui sint, mores inquirere nostros;
  Errorem misero detrahe, labe carent.
Tu modo, si quid agi sperabis posse precando,
  Quos colis, exora supplice voce Deos.
Dî tibi sunt Cæsar juvenis; tua numina placa:
  Hac certe nulla est notior ara tibi.
Non sinit illa sui vanas antistitis unquam
  Esse preces: nostris hinc pete rebus opem.
Quamlibet exigua si nos ea juverit aura,
  Obruta de mediis cymba resurget aquis.
Tunc ego tura feram rapidis solemnia flammis;
  Et, valeant quantum numina, testis ero.
Nec tibi de Pario statuam, Germanice, templum
  Marmore: carpsit opes illa ruina meas.

11. *Eadem mihi filia pæne est.*] Eadem uxor tua est mihi quasi filia: est enim privigna, hoc est, filia uxoris meæ.

14. *Ducis vultum.*] Faciem contrahis, tanquam iratus.

16. *Quæ mihi cæca fuit.*] Quæ non bene vidit, justene, an inique me adficeret tanta ruina.

17. *Seu genus excutias.*] Seu generis mei originem consideres.

18. *Usque per innumeros avos.*] Usque per avorum innumerabilium seriem.

21. *Quid agi posse.*] Aliquid posse obtineri. *Precando.* Orando Cæsares pro me.

23. *Dî tibi sunt Cæsar juvenis.*] Hic poeta exprimit, quinam sint Dii, quos a Suillio dixerat exorandos esse, et Germanicum solum innuit. *Tua numina placa.* Venerare Germanicum, quo ut numine uteris.

25. *Illa.*] Scilicet ara Germanici.

Templa domus vobis faciant urbesque beatæ:
Naso suis opibus, carmine, gratus erit.
Parva quidem fateor pro magnis munera reddi,
Quum pro concessa verba salute damus.
Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde est;
Et finem pietas contigit illa suum.
Nec, quæ de parva Dîs pauper libat acerra,
Tura minus, grandi quam data lance, valent:
Agnaque tam lactens, quam gramine pasta Falisco
Victima, Tarpeios inficit icta focos.
Nec tamen, officio vatum per carmina facto,
Principibus res est gratior ulla viris.
Carmina vestrarum peragunt præconia laudum:
Neve sit actorum fama caduca cavent.
Carmine fit vivax virtus; expersque sepulcri,
Notitiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum lapidemque vetustas;
Nullaque res majus tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: scriptis Agamemnona nosti;
Et quisquis contra, vel simul, arma tulit.
Quis Thebas septemque duces sine carmine nosset,
Et quicquid post hæc, quicquid et ante fuit?
Dî quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt,
Tantaque majestas ore canentis eget.

Sui antistitis. Sui sacerdotis, et ejus qui ad illam confugit.

41. *Quam gramine pasta Falisco Victima.*] Quantum juvencus nutritus herba, quæ in Falisco agro nascebatur.

42. *Tarpeios focos.*] Focos Capitolinos. *Inficit.* Tingit cruore.

49. *Tabida vetustas.*] Longinqua series temporis, qua omnia putrescunt.

52. *Et quisquis contra.*] Et cognoscimus etiam scriptis eos omnes qui opem tulerunt Trojanis contra Agamemnonem. *Vel simul.* Vel etiam eos omnes, qui simul cum Agamemnone venere ad eam expeditionem.

53. *Quis Thebas septemque duces sine.*] Quis etiam sciret bellum Thebanum, et septem illos duces, Adrastum, Polynicem, Hippomedonta, Tydeum, Amphiaraum, Parthenopæum, et Capaneum.

Sic Chaos, ex illa naturæ mole prioris,
  Digestum partes scimus habere suas:
Sic adfectantes cœlestia regna Gigantas,
  Ad Styga nimbifero vindicis igne datos.
Sic victor laudem superatis Liber ab Indis,
  Alcides capta traxit ab Œchalia.
Et modo, Cæsar, avum, quem virtus addidit astris,
  Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.
Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro
  Restat in ingenio, serviet omne tibi.
Non potes officium vatis contemnere vates:
  Judicio pretium res habet ista tuo.
Quod nisi te numen tantum ad majora vocasset,
  Gloria Pieridum summa futurus eras.
Sed dare materiam nobis, quam carmina, majus:
  Nec tamen ex toto deserere illa potes.
Nam modo bella geris, numeris modo verba coerces,
  Quodque aliis opus est, hoc tibi ludus erit.

62. *Ab Œchalia capta.*] Ab expugnata Œchalia. Fuit autem Œchalia in Thessalia, Arcadia, et Eubœa. MER. *Alcides capta.* Hercules, ob Iolen, Euryti filiam sibi pactam, nec datam, universam Œchaliam, ipso rege in Eubœam fugiente, debellavit et evertit. PONT.

63. *Et Cæsar.*] Germanice. Quia poeta prius cœperat Germanicum adloqui, et digressione aliqua usus fuerat, nunc ad eundem sermonem dirigit, ostendens se quoque Augusti laudes carmine complexum fuisse, et aliqua parte eo modo illum donasse immortalitate.

67. *Vates.*] Tu qui es optimus poeta, quod docet Tranquillus, scribens eum reliquisse comœdias Græcas.

68. *Judicio tuo.*] Te ita judicante. *Habet pretium.* Censetur et habetur in pretio, tuo judicio. *Res ista.* Facultas poetica.

69. *Nomen tantum.*] Tanta fama virtutum tuarum: vel nomen Cæsaris. *Vocasset te ad.* Elegisset te ad imperium.

70. *Gloria Pieridum summa.*] Eras futurus maximus poeta.

71. *Sed dare materiam nobis.*] Sed præbere poetis facultatem scribendi de rebus a se gestis. *Quam carmina.* Est enim majoris honoris, quam scribere carmina.

72. *Ex toto.*] Ex omni parte. *Deserere illa potes.* Potes illa carmina et poetices studium relinquere, quamvis sit major imperatoria dignitas poeta ipso.

73. *Numeris modo bella coerces.*] *Verba coerces* plerique veteres; et recte. Aliquando bella intermittis, et car-

Utque nec ad citharam, nec ad arcum segnis Apollo
Sed venit ad sacras nervus uterque manus; [est;
Sic tibi nec docti, nec desunt principis artes:
Mista sed est animo cum Jove Musa tuo.
Quæ quoniam nec nos unda submovit ab illa,
Ungula Gorgonei quam cava fecit equi,
Prosit, opemque ferat communia sacra tueri,
Atque ìsdem studiis imposuisse manum.
Litora pellitis nimium subjecta Corallis,
Ut tandem sævos effugiamque Getas,
Clausaque si misero patria est, ut ponar in ullo,
Qui minus Ausonia distet ab urbe, loco;
Unde tuas possim laudes celebrare recentes,
Magnaque quam minima facta referre mora.
Tangat ut hoc votum cœlestia, care Suilli,
Numina, pro socero pæne precare tuo.

EPISTOLA IX.

GRÆCINO.

Unde licet, non unde juvat, Græcine, salutem
Mittit ab Euxinis hanc tibi Naso vadis.

mina componis, et numeris illa includis; hoc est, describis illa versibus.

76. *Sed uterque nervus.*] Sed utraque chorda et citharæ et arcus. *Venit ad sacras.* Tractatur sacris digitis Apollinis.

77. *Artes docti.*] Artes liberales, et poeticæ studia, in quibus versantur docti. *Artes principis.* Artes imperatoriæ: hoc est, rei militaris scientia.

78. *Mista sed est animo tuo.*] Sed hæret animo tuo. *Cum Jove Musa.* Doctrina cum optimo principe, qualis est Jupiter Deorum. Per *Jovem* enim intelligit imperatoriam et principis scientiam: per *Musam* vero poeticæ facultatem.

80. *Ungula Gorgonei equi.*] Hippocrene.

83. De Corallis pellitis, h. e. pellibus vestitis vid. iv. 2. 37. adde iii. 10. 19. *Ullo* reposuit Heinsius ex Moreti codice. *illo* Bav. Erfurt. et reliqui. *Distat* Bav. et alii. Harles.

90. *Socero pæne.*] h. e. qui uxoris tuæ vitricus sum. Harles.

Missaque Dî faciant auroram occurrat ad illam,
  Bis senos fasces quæ tibi prima dabit.
Ut, quoniam sine me tanges Capitolia consul,
  Et fiam turbæ pars ego nulla tuæ,
In domini subeat partes, et præstet amici
  Officium jusso litera nostra die.
Atque ego si fatis genitus melioribus essem,
  Et mea sincero curreret axe rota,
Quo nunc nostra manus per scriptum fungitur, esset
  Lingua salutandi munere functa tui.
Gratatusque darem cum dulcibus oscula verbis:
  Nec minus ille meus, quam tuus, esset honor.
Illa, confiteor, sic essem luce superbus,
  Ut caperet fastus vix domus ulla meos.
Dumque latus sancti cingit tibi turba senatus,
  Consulis ante pedes ire viderer eques.
Et quanquam cuperem semper tibi proximus esse,
  Gauderem lateri non habuisse locum.
Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem:
  Sed foret a populo tum mihi dulce premi.

8. *Jusso.* Interpretarer, definito. Quo tempore Græcinus consul futurus erat, patet ex v. 57—60. Significat poeta, Græcinum consulatum functurum ad finem usque Decembris fuisse, moxque fratrem, Pomponium Flaccum, (v. 69. 75.) qui paullo ante hoc tempus Mysiæ Pontoque præfectus fuit, titulo proinde Legati Proprætoris, quum nondum Consul fuisset (v. 57—80.), Kalendis Januar. ei successurum. Vid. Masson. Ovidii vitam ad A. U. C. DCCLIX. qui illustrat nostram epistolam, et docet uberius, nostram epistolam hoc anno DCCLIX. et quidem paullo ante Kalendas Maias, Græcino jam consuli designato, et mox Magistratum inituro ad anni forsan usque exitum, missam fuisse. Idem Masson. ex Dione lviii. p. 633. monet, Tiberium quosdam Coss. ad longius, alios ad brevius temporis spatium designasse: itemque nonnullos etiam citius, quam constituisset, loco movisse; aliis, ut diutius in magistratu essent, concessisse. HARLES.

15. *Illa luce.*] Illo die Kalendarum Januarii.

17. *Sancti.*] Sic Horat. Od. iv. ver. 4. *patrum sanctum concilium* dixit.

18. *Eques.*] Ego ex equestri ordine. *Ante pedes consulis ire.* Præcedere te consulem in ea pompa de more. Solebant enim equites præcedere, senatus vero subsequi.

Prospicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,
  Densaque quam longum turba teneret iter.
Quoque magis noris quam me vulgaria tangant,
  Spectarem, qualis purpura te tegeret.
Signa quoque in sella nossem formata curuli;
  Et totum Numidæ sculptile dentis opus.
At quum Tarpeias esses deductus in arces,
  Dum caderet jussu victima sacra tuo;
Me quoque secreto grates sibi magnus agentem
  Audîsset, media qui sedet æde, Deus.
Turaque mente magis plena quam lance, dedissem,
  Ter quater imperii lætus honore tui.
Hic ego præsentes inter numerarer amicos;
  Mitia jus urbis si modo fata darent.
Quæque mihi sola capitur nunc mente voluptas,
  Tunc oculis etiam percipienda foret.
Non ita Cœlitibus visum est, et forsitan æquis:
  Nam quid me pœnæ causa negata juvet?
Mente tamen, quæ sola loco non exsulat, utar:
  Prætextam, fasces adspiciamque tuos.

25. *Quoque magis noris.*] Distichon suspectum. HEINS. *Quam me vulgaria tangant.* Quantum me delectent ea, quibus vulgus etiam movetur.

26. *Qualis purpura.*] Quam pulchra vestis ex purpura dibapha, bis tincta, quæ cunctis erat pretiosior.

28. *Et totum opus sculptile.*] Id est, totum opus sculptum in ea sella. *Numidæ dentis.* Dentis elephantis Numidici, et Africani.

34. *Ter quater.*] Hæc verba Merula ad *dedissem tura* refert; Micyllus ad *lætus:* Heinsius distinguens post *quater*, videtur Merulæ accedere. Sed quum ternarius numerus in sacris solemnis esset, nec illum numerum excedere religio juberet, ego cum *lætus* jungo: dictum vero ut in formula, *terque quaterque beatus* apud Virg. Æn. i. 94.

36. *Jus urbis.*] Est autem sensus: Si fata mihi darent jus urbis: hoc est, ut possem in urbe, sive Romæ esse, præsens inter præsentes amicos tuos numerarer. Nunc quando hoc non licet, absens animo ea contemplabor, quæ coram oculis non possum. PONT.

42. *Prætextam, &c.*] Vestem consularem.

Hæc modo te populo reddentem jura videbit,
Et se secretis finget adesse locis.
Nunc longi reditus hastæ supponere lustri
Cernet, et exacta cuncta locare fide.
Nunc facere in medio facundum verba senatu,
Publica quærentem quid petat utilitas.
Nunc, pro Cæsaribus, Superis decernere grates,
Albave opimorum colla ferire boum.
Atque utinam, quum jam fueris potiora precatus,
Ut mihi placetur numinis ira, roges!
Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara,
Detque bonum voto lucidus omen apex.
Interea, qua parte licet, ne cuncta queramur,
Hic quoque te festum consule tempus agam.
Altera lætitiæ, nec cedens causa priori,
Successor tanti frater honoris, erit.
Nam tibi finitum summo, Græcine, decembri
Imperium, Jani suscipit ille die.
Quæque est in vobis pietas, alterna feretis
Gaudia, tu fratris fascibus, ille tuis.
Sic tu bis fueris consul, bis consul et ille,
Inque domo bimus conspicietur honor.

45. *Reditus lustri.*] Proventus quinquennales: nam vectigalia locabantur ad quinquennium. *Supponere hastæ.* Locare in publica auctione.

46. *Exacta fide.*] Bona fide.

49. *Superis decernere grates.*] Decernere supplicationes, in quibus gratiæ Diis agebantur ob victoriam aliquam.

54. *Lucidus apex.*] Ipse ignis clarus et purus in apice et cacumine: id enim maxime observabant.

55. *Qua parte licet.*] Quo modo possum, hoc est, mente, quia corpore non licet adesse tuæ pompæ. *Ne cuncta queramur.* Ne singula pompæ hujus spectacula cum querela commemorem. Vel etiam, Ne ad omnia mæsti ac queruli simus.

59. *Summo decembri.*] Summa et extrema parte decembris.

60. *Imperium.*] Consulatum. *Jani die.* Kalendis Januarii. *Ille.* Scilicet frater tuus.

64. *Binus conspicietur honor.*] Immo *bimus*, si quid video; quod confirmat Rottendorphianus: *sententiam bimam* vocat Cicero, lib. iii. Epist. viii. ad Appium de regendis per eosdem præfectos per biennium provinciis. Heins.

Qui quanquam est ingens, et nullum Martia summo
Altius imperium consule Roma videt;
Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem,
Et majestatem res data dantis habet.
Judiciis igitur liceat Flaccoque tibique
Talibus Augusti tempus in omne frui.
Ut tamen a rerum cura propiore vacabit,
Vota precor votis addite vestra meis.
Et, si quem dabit aura sinum, laxate rudentes,
Exeat e Stygiis ut mea navis aquis.
Præfuit his, Græcine, locis modo Flaccus; et illo
Ripa ferox Istri sub duce tuta fuit.
Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli;
Hic arcu fisos terruit ense Getas.
Hic captam Trosmin celeri virtute recepit,
Infecitque fero sanguine Danubium.

68. *Majestatem dantis.*] Augusti, qui tibi detulit hunc magistratum.

69. *Flaccoque.*] Et fratri tuo Flacco, quem Augustus dignum censuit eo magistratu.

73. *Dabit sinum.*] Inflabit vela: vel si ostenderit se opportunitas et spes aliquid impetrandi. Hoc est, si videris imperatorem Tiberium te placide audire loquentem pro me. *Laxate rudentes.* Eo flectite pedem et vela. Solent enim nautæ quandoque in dextram, quandoque in sinistram vela flectere, in eam partem, unde venti flant.

75. *Flaccus.*] Frater tuus. Ab hoc Flacco volunt quidam Valachiam fuisse dictam olim *Flacciam*, quod nomen sensim corruptela sermonis transiit in *Valachiam*. Vide Georgii a Reychersdorff Chorographiam Transylvaniæ, p. 33. qui addit hinc adhuc Romanum ibi sermonem durare, licet admodum corruptum. Sed hæ fabulæ. *Walachiam* vocarunt exteri; sed Hungarica lingua Walachos vocari *Olah*, vel *Olach* docet Foris Otrokocsi in Originum Hungar. cap. xiv. p. 308. unde *Valachi* et *Walachi* dicti ab aliis. Non sanior vero reliquis, qui circa origines gentium sæpe ineptiunt, Foris ipse, qui mulierem Walacham a Phrygiæ ita urbe, quam Ὀλοοσσόνα vocat Homerus, Il. ii. 739. deducit. Burm.

77. *Mysas gentes.*] Populos Mysiæ. Mysia autem provincia Pannoniæ contermina, ad Pontum usque decurrit.

79. *Hic raptam Tresen celeri virtute recepit.*] Lege *captam* ex scriptis: deinde pro *Tresen*, scribe *Trosmin*. Τρεσμὶς Ptolemæo est Mysiæ inferioris oppidum: sed legendum, Τρωσμὶς, vel Τρωσμίς: nam Τρῶσμις Constantino Porphyrogenetæ, lib. ii. Them. i. Antonini etiam Itinerario *Trosmis* est et Notitiæ Imperii: neque variant illic libri veteres.

Quære loci faciem, Scythicique incommoda cœli;
  Et quam vicino terrear hoste, roga.
Sintne litæ tenues serpentis felle sagittæ,
  Fiat an humanum victima dira caput.
Mentiar, an coeat duratus frigore Pontus,
  Et teneat glacies jugera multa freti.
Hæc ubi narrarit, quæ sit mea fama, require;
  Quoque modo peragam tempora dura, roga.
Nec sumus hic odio, nec scilicet esse meremur,
  Nec cum fortuna mens quoque versa mea est.
Illa quies animo, quam tu laudare solebas,
  Ille vetus solito perstat in ore pudor.
Sic ego sum longe, sic hic, ubi barbarus hostis,
  Ut fera plus valeant legibus arma, facit;
Rem, queat ut nullam tot jam, Græcine, per annos
  Femina de nobis, virve, puerve queri.
Hoc facit, ut misero faveant adsintque Tomitæ;
  Hæc quoniam tellus testificanda mihi est.
Illi me, quia velle vident, discedere malunt:
  Respectu cupiunt hic tamen esse sui.
Nec mihi credideris: exstant decreta, quibus nos
  Laudat, et immunes publica cera facit.

84. *Fiat an humanum victima dira caput.*] Quære etiam an homines sacrificentur a Scythis: quorum consuetudo erat hospites immolare, ut dictum est.

91. *Illa quies animo.*] Modestia.

93. *Sic ego sum longe.*] Versus suspectus. HEINS. *Ubi barbarus hostis.* Hostem intellige, non Tomitanos, sed Getas, a quibus Tomitani subinde infestabantur. MICYL.

99. *Illi me, quia velle vident.*] Illi Tomitæ, qui vident desiderium meum discedendi ab eis in patriam, vellent ut discederem. Sed tamen, &c.

100. *Respectu sui.*] *Respectu suo* Moreti, Servii et prim. edit. Habita ratione ipsorum Tomitarum, et eorum causa.

101. *Exstant decreta.*] Apparent sanctiones Tomitarum de me. *Laudat nos.* Laudat mores et virtutes meas.

102. *Et immunes facit.*] Facit exemptos omni onere civitatis et tributorum. *Publica cera.* Decreta publica scripta in tabulis ceratis, vel sigillata sigillo reipublicæ Tomitanæ.

Conveniens miseris hæc quanquam gloria non est,
  Proxima dant nobis oppida munus idem.
Nec pietas ignota mea est: videt hospita tellus
  In nostra sacrum Cæsaris esse domo.
Stant pariter natusque pius, conjuxque sacerdos,
  Numina jam facto non leviora Deo.
Neu desit pars ulla domus, stat uterque nepotum,
  Hic aviæ lateri proximus, ille patris.
His ego do toties cum ture precantia verba,
  Eoo quoties surgit ab orbe dies.
Tota, licet quæras, hoc me non fingere dicet,
  Officii testis Pontica terra mei.
Pontica me tellus, quantis hac possumus ora,
  Natalem ludis scit celebrare Dei.
Nec minus hospitibus pietas est cognita talis,
  Misit in has si quos longa Propontis aquas.
Is quoque, quo lævus fuerat sub præside Pontus,
  Audierit frater forsitan ista tuus.

104. *Dant nobis idem munus.*] Præstant et offerunt mihi eamdem immunitatem, et me liberant omni tributorum onere.

105. *Pietas mea.*] Meus erga Cæsares amor. *Hospita tellus.* Terra Tomitana, quæ me hospitem habet.

107. *Conjuxque sacerdos.*] Et Livia casta, quæ Deum suum Augustum colit, tanquam sacerdotes sua numina.

109. *Pars ulla domus.*] Aliqua pars familiæ Augusti. *Uterque nepotum.* Uterque Augusti nepos, vel Caius scilicet et Lucius ex Agrippa et Julia: vel (quod magis placet) filius Drusi privigni et Tiberii, Germanicus scilicet et Drusus.

111. *His.*] Augusto Liviæ nato, ac nepotibus.

116. *Natalem ludis.*] Ludos hic Merula exponit aleam, et similes lusus. Ego vero de athleticis, aut gymnicis, aut scenicis, etiam intelligo poetam dixisse. Micyl.

119. *Is quoque quo lævus fuerat,* &c.] Ut intelligamus eum, qui Mæsiam tenuerit: neque enim provinciam Pontum Flaccus, sed lævum litus Pontici maris, hoc est, confinia Dacorum et Getarum; quæ Mæsia erat, ad ripam Istri sita scilicet, rexerat. Jam et sciendum, Græcinum hunc, cujus consulatum hac epistola celebrat poeta, in catalogo Coss. vulgo non haberi; sive fama deceptus poeta fuit, sive illi humanitus aliquid accidit, antequam magistratum iniret, ut quidam opinati sunt. Micyl.

Fortuna est impar animo, talique libenter
  Exiguas carpo munere pauper opes.
Nec vestris damus hæc oculis, procul urbe remoti;
  Contenti tacita sed pietate sumus.
Et tamen hæc tangent aliquando Cæsaris aures:
  Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.
Tu certe scis hoc Superis adscite, videsque,
  Cæsar, ut est oculis subdita terra tuis!
Tu nostras audis, inter convexa locatus
  Sidera, sollicito quas damus ore, preces.
Perveniant istuc et carmina forsitan illa,
  Quæ de te misi cœlite facta novo.
Auguror his igitur flecti tua numina; nec tu
  Immerito nomen mite parentis habes.

EPISTOLA X.

* ALBINOVANO.

Hic mihi Cimmerio bis tertia ducitur æstas
  Litore, pellitos inter agenda Getas.

121. *Fortuna est impar animo.*] Non possum tantum assequi, vel impendere propter impotentiam, quantum cupio, ostendendo pietatem erga Augustum. *Tali.* Tali pietatis officio.

122. *Carpo.*] Consumo et expendo.

123. *Nec vestris damus hæc oculis.*] Nec hæc celebramus in conspectu vestro, ut videamur a vobis, et eo pacto gratiam vestram ineamus.

127. *Tu certe scis hoc.*] Vertit sermonem ad Augustum, quem testem citat hujusmodi erga se pietatis.

128. *Et est oculis subdita terra tuis.*] Et tu e cœlo despicis quæ fiunt in terra.

134. *Parentis.*] Patris patriæ; sed Sueton. cap. 26. recusasse hoc nomen, scribit.

* Albinovano.] Merula Albinovanum hunc esse tradit, Celsum illum, ad quem et Horatius scripsit. Ego Pedonem Albinovanum, non Celsi prænomen, sed Caii habuisse, apud alios reperio. Et Horatius Celsum illum, non ut poetam, sed ut comitem ac scribam Neronis celebrat. Micyl.

Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum
  Duritiæ confers, Albinovane, meæ?
Gutta cavat lapidem; consumitur annulus usu;
  Et teritur pressa vomer aduncus humo.
Tempus edax igitur, præter nos, omnia perdet?
  Cessat duritia mors quoque victa mea.
Exemplum est animi nimium patientis Ulysses,
  Jactatus dubio per duo lustra mari.
Tempora solliciti sed non tamen omnia fati
  Pertulit, et placidæ sæpe fuere moræ.
An grave sex annis pulchram fovisse Calypso,
  Æquoreæque fuit concubuisse Deæ?
Excipit Hippotades, qui dat pro munere ventos,
  Curvet ut impulsos utilis aura sinus.
Nec bene cantantes labor est audîsse puellas;
  Nec degustanti lotos amara fuit.

4. *Duritiæ meæ.*] Meo robori, et animi magnitudini in ferendis malis. *Duritiæ meæ.* Sic Virgil. Æn. ix. ver. 468. *Æneadæ duri,* id est, malis indurati, fatis exerciti.

12. *Moræ.*] Intervalla morandi. Micyl. *Et placidæ sæpe fuere moræ.* Hoc est, tametsi multis ac variis periculis toto decennio jactatus fuit, habuit tamen interdum, quibus mala atque mæstitiam suam levaret, ut quum apud Calypsonem moratus est: item quum ab Æolo hospitio acceptus, et munere ventorum donatus est. Præterea audiendo Sirenes, vescendo loto, et id genus alia. Micyl.

15. *Excipit Hippotades.*] Suscipit Ulyssem Æolus Hippotæ filius. *Hippotades dat pro munere ventos.*

Δῶκε δέ μοι δείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο,
Ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα.

Ulysses ipse apud Hom. Od. K. ver. 19. Illum vero utrem, dum Ulysses dormit, socii solverunt: causam reddit Ovid. Metam. xiv. ver. 229:

Invidia socios, prædæque cupidine victos,
Esse ratos aurum, demsisse ligamina ventis.

16. *Utilis aura.*] Sic in Metam. xiii. *utilibus ventis, æstuque secundo*: *ἐπαύρεσθαι ἀνέμοιο ἐσθλὸς ἑταῖρος, πλησίστιος*, Eurip. et Homer.

17. *Bene cantantes puellas.*] Sirenes bene canentes, quas tres fuisse legimus, Parthenopen, Leucosiam, et Lygiam, habitasseque Siciliam circa Pelorum. Fuere autem Sirenes filiæ Acheloi et Calliopes, sive Terpsichores. Hæ quidem cantu mortales allectos in mare deturbabant. Ulysses vero, Circes usus consilio, cera aures sociorum obturavit. Ipse vero alligatus malo, ne cogeretur in mare desilire, illarum cantus audivit impune.

18. *Nec degustanti.*] Ulysses, tem-

Hos ego, qui patriæ faciant oblivia, succos
  Parte meæ vitæ, si modo dentur, emam.
Nec tu contuleris urbem Læstrygonis unquam
  Gentibus, obliqua quas obit Ister aqua.
Nec vincet sævum Cyclops feritate Phyacen,
  Qui quota terroris pars solet esse mei!
Scylla feris trunco quod latrat ab inguine monstris,
  Heniochæ nautis plus nocuere rates.
Nec potes infestis conferre Charybdin Achæis,
  Ter licet epotum ter vomat illa fretum.
Qui quanquam dextra regione licentius errant,
  Securum latus hoc non tamen esse sinunt.
Hic agri infrondes, hic spicula tincta venenis;
  Hic freta vel pediti pervia reddit hyems:

pestate delatus ad Lotophagos, in Africam agitur, socios exploratum mittit: qui gustata loto, nec quicquam renuntiare, nec redire cupiebant: cibi enim suavitate allecti, suorum vivebant obliti; quos Ulysses invitos ad naves reduxit.

21. *Nec tu contuleris urbem Læstrygonis.*] Fuere *Læstrygones* populi in extremo Italiæ, Siciliam versus, efferis moribus; ad hos igitur pervenit Ulysses, misitque ad Antiphaten Macareum cum duobus sociis: qui vix cum altero fuga vitam servavit. *Urbes Læstrygones. Læstrygonos* Combianus; et *urbem* meliores plerique; ut Met. xiv. ver. 233.

Inde Lami veterem Læstrygonis, inquit, in urbem
Venimus.

Homero quoque non nisi unicum oppidum est Odyss. x. quod vocat Λάμου αἰπὺ πτολίεθρον, Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην. Heins.

22. *Gentibus.*] Populis Scythiam et oram Ponticam tenentibus, quos per Istrum designat. *Obliqua transit.* Aqua Danubii non recto, sed flexuoso cursu labenti per populos Scythiæ.

23. *Sævum Phyacen.*] Immanem illum regem Scytharum.

24. *Qui quota terroris pars.*] Non ad Cyclopem, ut Merula exponit, sed ad eum, de quo modo dictum est, Phyacem referendum, quasi dicat poeta, etiam ab hoc multum terroris sibi objici, propter incursiones videlicet. Micyl.

26—28. *Heniochæ.*] Ab ἡνιόχοις aurigis Castoris et Pollucis orti, uti fabula dicit, qui et Achæi gentes in ora Ponti immanes fuere, et nautis tantum nocent, quantum Scylla et Charybdis præternavigantibus. v. Mela i. 21. Harles. Per *rates* ergo *Heniochas* designat poeta piratas Heniochorum populorum, a quibus se fortunis exutum innuit; aut captum fortasse, sed pecunia redemptum,, ut statim dicemus.

29. *Qui quanquam dextra regione.*] Qui Achæi, quamvis magis infestent dextrum litus Pontici maris, non tamen relinquunt intactam oram Tomitanam.

Ut, qua remus iter pulsis modo fecerat undis,
Siccus contemta nave viator eat.
Qui veniunt istinc, vix vos ea credere dicunt:
Quam miser est, qui fert asperiora fide!
Crede tamen: nec te causas nescire sinemus,
Horrida Sarmaticum cur mare duret hyems.
Proxima sunt nobis plaustri præbentia formam,
Et quæ præcipuum sidera frigus habent.
Hinc oritur Boreas, oræque domesticus huic est,
Et sumit vires a propiore loco.
At Notus, adverso tepidum qui spirat ab axe,
Est procul, et rarus languidiorque venit.
Adde quod hic clauso miscentur flumina Ponto,
Vimque fretum multo perdit ab amne suam.
Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusque, Hypanisque, Cratesque
Influit, et crebro vortice tortus Halys:

39. *Sidera præbentia formam plaustri.*] Septemtriones dicit.

41. *Hic oritur Boreas.*] In hac regione septentrionali Boreas nascitur, et flare incipit vehementius. Nostri *hinc oritur.*--*Oræque domesticus huic est.* Et est propinquus huic regioni, quam ego incolo.

45. *Adde quod hic clauso.*] Scribit Macrobius, aquam marinam nunquam gelu contrahi.

Verpoorten. " mare numquam, ait, gelu durari, veteres crediderunt, ut adparet ex Gellio xvii. 8. Reddit igitur caussam Ovidius, cur Pontus tamen congelascat, quia ob plurimorum fluminum aquam, in summo innatantem, naturam maris fere amittat: infra v. 59-64. (ubi vide.) Eadem de Ponto congelascente tradit Valerius Flaccus libr. iv. 721. sqq." Harles.

46. *Perdit vim suam.*] Non est amarum, immo dulce, et congelatur contra maris naturam; vide Gellium, lib. xvi. cap. 8.

47. *Huc Lycus influit.*] Lycus fluvius labitur in hoc mare Ponticum, et ideo congelatur. Est autem *Lycus* fluvius Armeniæ. Strabo, " Multi, inquit, amnes sunt in Armenia; sed clarissimi Phasis et Lycus, in mare Ponticum exeuntes." *Huc Sagaris.* In ora Pontica post Bosphori fauces et Rhesum amnem, portumque Calpas, est Sagaris fluvius, ortus in Phrygia. *Hypanisque.* Hypanis, fluvius est Scythiæ ex magna palude profluens, ut docet Herodotus. *Cratesque.* Cratem fluvium ad oram Ponticam fluere, hic innuit Ovidius. Ego nihil compertum habeo. Κάλης autem fluvius est hujus tractus Eustathio Scholiis in Periegeten. Κάληξ est Thucydidi, lib. iv. Λάμαχος ἐν τῇ Ἡρακλεώτιδι

Partheniusque rapax, et volvens saxa Cynapes
 Labitur; et nullo tardior amne Tyras.
Et tu, femineæ Thermodon cognite turmæ;
 Et quondam Graiis, Phasi, petite viris.
Cumque Borysthenio liquidissimus amne Dyras-
 Et tacite peragens lene Melanthus iter. [pes,
Quique duas terras Asiam Cadmique sororem
 Separat, et cursus inter utramque facit.
Innumerique alii, quos inter maximus omnes
 Cedere Danubius se tibi, Nile, neget.
Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas,
 Nec patitur vires æquor habere suas.
Quin etiam stagno similis, pigræque paludi,
 Cæruleus vix est, diluiturque color.

ὁρμίσας ἐς τὸν Κάλητα ποταμόν ubi describit Lamachi classem impetu fluvii amissam.

48. *Halys.*] Halys fluvius est decurrens a radicibus Tauri per Cataoniam Cappadociamque, ut scribit Plinius. Crœsi clade notus est.

49. *Parthenius.*] Parthenius fluvius est Paphlagonum, Carambi promontorio proximus, ut scribit Plinius; caditque in Pontum.

Vel quia per florida delabitur loca, aut quoniam Diana circa illum venari consuevit, ita dictus. HARLES.

50. *Et nullo tardior amne Tyras.*] Tyras Scythiæ amnis est, in oram Ponti sinistram defluens, qui oppido nomen imposuit; meminit Plinius, lib. iv.

51. *Et tu, femineæ Thermodon,* &c.] Thermodon fluvius est qui a monte Armenio dilabitur, atque inde usque ad Amazones celeri cursu proripitur. Unde hic poeta Thermodonta dicit a turba feminea, hoc est, ab Amazonibus, cognitum fuisse: quia illæ juxta eum fluvium habitabant.

52. *Et quondam Graiis, Phasi, petite viris.*] Phasis ingens fluvius est, qui Colchidem illabitur, ortumque ex Armenia ducit. *Graiis viris.* Argonautas intelligit: lege Apollonium.

53. *Cumque Borysthenio.*] Borysthenes, fluvius, secundum Istrum omnium maximus, pascua præbens amœnissima; idem ad potandum suavissimus.

54. *Melanthus.*] Melanthus fluvius est in Pontum labens.

55. *Quique duas terras.*] Tanaim designat, qui vasta palude profluens, in aliam vastiorem diffunditur, nomine Mæotim. *Asiam Cadmique sororem.* Exponit quæ sint hæ duæ terræ, quas Tanais separat.

56. *Inter utramque.*] Inter Europam et Asiam, quas ipse Tanais dividit, ut diximus.

59. *Adulterat undas.*] Corrumpit et mutat maris naturam.

Innatat unda freto dulcis, leviorque marina est,
Quæ proprium misto de sale pondus habet.
Si roget hæc aliquis, cur sint narrata Pedoni,
Quidve loqui certis juverit ista modis;
Detinui, dicam, tempus, curasque fefelli:
Hunc fructum præsens adtulit hora mihi.
Abfuimus solito, dum scribimus ista, dolore,
In mediis nec nos sensimus esse Getis.
At tu, non dubito, quum carmine Thesea laudes,
Materiæ titulos quin tueare tuæ;
Quemque refers, imitere virum: vetat ille profecto
Tranquilli comitem temporis esse fidem.
Qui quanquam est factis ingens, et conditur a te
Vir tanto, quanto debuit ore cani;
Est tamen ex illo nobis imitabile quiddam,
Inque fide Theseus quilibet esse potest.
Non tibi sunt hostes ferro clavaque domandi,
Per quos vix ulli pervius Isthmos erat:

63. *Unda dulcis.*] Aqua fluvialis. *Leviorque marina est.* Causam adsignat, quare aqua dulcis innatet aquæ marinæ, quia illa levior est.

64. *Quæ proprium misto de sale pondus habent.*] Quæ aqua marina habet gravedinem illam propriam ab ipso mari, mixto tamen aquis illis dulcibus.

65. *Cur hæc sint narrata Pedoni.*] Cur hæc Albinovano Pedoni.

71. *At tu, non dubito.*] Nunc ad Pedonem vertit sermonem, qui Thesei gesta carmine complectebatur.

72. *Titulos tuæ materiæ.*] Virtutes et fidem erga amicos tui Thesei, de quo tractat. Is enim Pirithoum dicitur mira benevolentia complexus fuisse. *Quin tueare tuæ.* Cur non defendis illum imitando, exhibendo te mihi amico fidum.

75. *Et conditur.*] Recte *conditur;* non enim videtur absolvisse. Heins.

77. *Est tamen quiddam imitabile.*] Est tamen aliquid in quo Theseum imitari possumus.

78. *Inque fide Theseus quilibet esse potest.*] Et unusquisque in amore, et fide amicis præstanda, potest Theseum imitari, et esse idem quod ipse fuit Pirithoo, pro quo Theseus pugnavit contra Centauros.

79. *Non tibi sunt hostes.*] Nolo, inquit, pro me pugnes, quemadmodum Theseus pro Pirithoo.

80. *Vix ulli pervius Isthmos erat.*] Vix Isthmon Corinthiacum quisquam adire poterat. Designat autem Scynim (vel Scyronem) latronem sævissimum. Duo autem Isthmi celebres

Sed præstandus amor, res non operosa volenti.
Quis labor est puram non temerasse fidem?
Hæc tibi, qui perstas indeclinatus amico,
Non est quod lingua dicta querente putes.

EPISTOLA XI.

* GALLIONI.

GALLIO, crimen erit vix excusabile nobis,
Carmine te nomen non habuisse meo.
Tu quoque enim, memini, cœlesti cuspide facta
Fovisti lacrymis vulnera nostra tuis.
Atque utinam, rapti jactura læsus amici,
Sensisses ultra, quod quererere, nihil!
Non ita Dîs placuit, qui te spoliare pudica
Conjuge crudeles non habuere nefas.
Nuntia nam luctus mihi nuper epistola venit,
Lectaque cum lacrymis sunt tua damna meis.
Sed neque prudentem solari stultior ausim,
Verbaque doctorum nota referre tibi:

memorantur: unus Achaicus, in quo fuit Corinthus, quem hic Ovidius prius minime pervium fuisse dicit: alter vero Isthmus est Thracius.

* GALLIONI.] Junius Gallio dictus est: is adoptavit M. Annæum Novatum, Senecæ fratrem, qui ex illo Junius Gallio est dictus. Eusebianum Chronicon B. Hieronymi, *Junius Gallio, frater Senecæ, egregius declamator, propria se manu interfecit*, refert ad eundem annum, quo Lucanus occubuit: atqui Gallionem Senecæ superstitem facit Tacitus. HEINS. Gallionem familiarem fuisse Nasoni adparet ex Senecæ i. Suasor. *hæc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse;* vide Reines. ad Insc. cl. i. 99. p. 137.

3. *Cœlesti cuspide.*] Divino ictu. MER. *Cuspidem* ergo vocat Cæsaris adversus se iram. PONT.

10. *Tua damna.*] Uxoris tuæ obitus, qui tibi damnum adtulit.

12. *Verba doctorum.*] Dicta scriptorum et philosophorum, ratione ostendentium, homines non debere prosequi mortuos lacrymis.

Finitumque tuum, si non ratione, dolorem
  Ipsa jam pridem suspicor esse mora.
Dum tua pervenit, dum litora nostra recurrens
  Tot maria ac terras permeat, annus abit.
Temporis officium solatia dicere certi est;
  Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.
At quum longa dies sedavit vulnera mentis,
  Intempestive qui fovet illa, novat.
Adde quod, atque utinam verum tibi venerit omen!
  Conjugio felix jam potes esse novo.

EPISTOLA XII.

* TUTICANO.

Quo minus in nostris ponaris, amice, libellis,
  Nominis efficitur conditione tui.

15. *Dum tua.*] Epistola. *Dum litora nostra recurrens.* Id est, ad litora nostra; sic Virg. v. ver. 235:

Di, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro.

16. *Annus abit.*] Sic dicimus, *it vel abit dies.* *Sol abit* Plaut. Mercat. v. ver. 2.

20. *Fovet.*] h. e. linire cupit, ex ingenio Heinsii, qui pluribus illustrat. Verpoorten laudat Symmach. I. epist. 100. confer supra iii. 7. 25. Fabricio placuit lectio in cod. Patav. *qui monet* (n. intempestive) *illa, movet* (vulnera ante sedata.) Harles.

21. *Atque utinam verum tibi venerit omen.*] Atque utinam verum tibi augurium adferam, nuntiando hæc quæ subjungit poeta.

22. *Conjugio novo.*] Altera ducta uxore.

* Tuticano.] *Ad Tuticanum* unus; *Cuticanum* duo; Heinsius olim conjecerat, *Tuditano*, quod Semproniorum cognomen, Valer. Maxim. vii. 8. i. Quod vero nominis conditio non patiatur ut exprimat, similis est Archestrati excusatio ap. Athen. vii. 8. qui piscem, in Mæotide et Ponto frequentem, non nominat, quia ἐν μέτρῳ οὐ θέμις εἰπεῖν. Burm. Adde et Equotuticum Horatio in itinere Brundusiano descriptum potius quam designatum; quod insuper nomen prohibet ne *Tuditanum* cum Heinsio recipiamus.

2. *Conditione tui nominis.*] Sorte tui nominis, quod non potest in versu poni syllabis repugnantibus.

Ast ego non alium prius hoc dignarer honore;
  Est aliquis nostrum si modo carmen honos.
Lex pedis officio, naturaque nominis obstant,
  Quaque meos adeas, est via nulla, modos.
Nam pudet in geminos ita nomen findere versus,
  Desinat ut prior hoc, incipiatque minor:
Et pudeat, si te, qua syllaba parte moratur,
  Arctius adpellem, Tuticanumque vocem.
Nec potes in versum Tuticani more venire,
  Fiat ut e longa syllaba prima brevis.
Aut producatur, quæ nunc correptius exit,
  Et sit porrecta longa secunda mora.
His ego si vitiis ausim corrumpere nomen,
  Ridear, et merito pectus habere neger.
Hæc mihi causa fuit dilati muneris hujus,
  Quod meus adjecto fœnore reddet ager.
Teque canam quacumque nota: tibi carmina mit-[tam,
  Pæne mihi puero cognite pæne puer;
Perque tot annorum seriem, quot habemus uterque,
  Non mihi, quam fratri frater, amate minus.
Tu bonus hortator, tu duxque comesque fuisti,
  Quum regerem tenera fræna novella manu.
Sæpe ego correxi sub te censore libellos;
  Sæpe tibi admonitu facta litura meo est:

7. *In geminos versus.*] In duos versus: ponendo in calce hexametri partem nominis tui priorem, scilicet *Tuti:* et alteram in principio pentametri, scilicet *Canus.* *Ita scindere nomen.* Ita nomen tuum diffindere.

9. *Qua syllaba parte moretur.*] Ea parte, qua syllaba producatur.

10. *Arctius adpellem.*] Strictius et brevius nominem, ponendo syllabam brevem, quæ natura produci debet.

18. *Meus ager.*] Meum ingenium.

23. *Tu bonus hortator.*] Ad virtutes capessendas.

24. *Tenera manu.*] Juvenili moderamine. *Fræna novella.* Tyrocinium et lubricum ætatis pullulantis.

26. *Sæpe litura est facta tibi.*] Sæpe etiam tu expunxisti in tuis scriptis aliqua.

Dignam Mæoniis Phæacida condere chartis
Quum te Pierides perdocuere tuæ.
Hic tenor, hæc viridi concordia cœpta juventa
Venit ad albentes illabefacta comas.
Quæ nisi te moveant, duro tibi pectora ferro
Esse, vel invicto clausa adamante putem.
Sed prius huic desint et bellum et frigora terræ,
Invisus nobis quæ duo Pontus habet;
Et tepidus Boreas, et sit præfrigidus Auster;
Et possit fatum mollius esse meum,
Quam tua sint lapso præcordia dura sodali:
Hic cumulus nostris absit, abestque, malis.
Tu modo per Superos, quorum certissimus ille est,
Quo tuus adsidue principe crevit honor;
Effice, constanti profugum pietate tuendo,
Ne sperata meam deserat aura ratem.
Quid mandem, quæras: peream, nisi dicere vix est;
Si modo, qui periit, ille perire potest.
Nec quid agam invenio, nec quid nolimve, velimve;
Nec satis utilitas est mea nota mihi.
Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit,
Et sensus cum re consiliumque fugit.

28. *Quum Deæ Pierides perdocuere.*] Delesti, inquit, et tu quædam meo admonitu in Phæacide tua, quæ erat digna propter sublimitatem comparari versibus Homeri, et scribi in iisdem chartis, in quibus scripsit Homerus opus suum, ex quo magna est Tuticani laus, cujus carmina Homericis carminibus paria fuisse dicit. MICYL.

32. *Invicto clausa adamante putem.*] Libri nonnulli veteres, *invito* et *invecto adamante:* unde fuit quum *inducto adamante* censerem esse reponendum, nunc tamen vulgatam scripturam non esse mutandam opinor, ut adluserit Noster ad Græcam originem adamantis. HEINS. *Invicto* non est movendum; nam vincuntur omnia, quæ vel vitio quodam, vel temporis diuturnitate diminuuntur et pereunt. BURM.

38. *Hic cumulus.*] Magnus cumulus ad miserias meas accederet, si te amicum perderem. PONT.

43. *Nisi dicere vix est.*] Difficile est exponere.

48. *Et sensus cum re consiliumque fugit.*] *Cum spe* scribendum; nam unus Vossii *cum te*, Medonii unus *cum se.* HEINS. Minime mutandum *cum re:* ita enim Terent. Eunuch. II. 11. 9:

Ipse, precor, quæras, qua sim tibi parte juvandus,
Quoque viam facias ad mea vota vado.

EPISTOLA XIII.

CARIO.

O MIHI non dubios inter memorande sodales,
Quique, quod es vere, Care, vocaris, ave.
Unde saluteris, color hic tibi protinus index,
Et structura mei carminis esse potest;
Non quia mirifica est, sed quod nec publica certe;
Qualis enim cunque est, non latet esse meam.
Ipse quoque ut chartæ titulum de fronte revellas,
Quod sit opus, videor dicere posse, tuum.
Quamlibet in multis positus noscere libellis,
Perque observatas inveniere notas.
Produnt auctorem vires, quas Hercule dignas
Novimus, atque illi, quem canis, esse pares.

Ut spes nulla reliqua in te esset tibi,
simul consilium cum re amisisti.

Et ita alii sæpe. Simile illud,

Οὗτος δ' ἀνὴρ ἄριστος ὅστις ἐλπίσιν
Πέποιθεν αἰεὶ, τὸ δ' ἀπορεῖν, ἀνδρὸς
κακοῦ.

Eurip. Her. fur.

3. *Unde saluteris.*] A quo salus ad te mittitur, de more scribentium, in principio hujus epistolæ. *Color hic*] Color chartæ attritæ, et squalentis attrectantium manibus, et ferentium hanc ipsam epistolam e longinquis regionibus. MICYL. Mallem intelligere colorem carminis; qui sensus firmatur versu 13, *mea Musa..proprio deprensa colore.*

5. *Non quia mirifica est.*] Non quia hæc structura est laudabilis et mira. *Sed quod nec publica certe.* Sed quod certe non est talis ut dignam existimem, quæ in publicum prodire debeat. MER. Nugatoria interpretatio: idem enim notat, *nec publica*, quod non plebeiæ et communis venæ, et notæ; ut Petron. c. iii. *sermo non publici saporis;* et Juv. viii. ver. 53:

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena.

8. *Videor posse dicere.*] Videor posse intelligere, qui stylum tuum et carminis structuram cognosco.

11. *Produnt auctorem vires.*] Carminis tui sublimitas manifestat facile tuum scribendi genus. *Quas Hercule*

Et mea Musa potest, proprio deprensa colore,
Insignis vitiis forsitan esse suis.
Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,
Quam pulchra Nireus conspiciendus erat.
Nec te mirari, si sint vitiosa, decebit
Carmina, quæ faciam pæne poeta Getes.
Ah pudet! et Getico scripsi sermone libellum,
Structaque sunt nostris barbara verba modis.
Et placui, gratare mihi, cœpique poetæ
Inter inhumanos nomen habere Getas.
Materiam quæris? laudes de Cæsare dixi:
Adjuta est novitas numine nostra Dei.
Nam patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus; in ætherias numen abîsse domos:
Esse parem virtute patri, qui fræna coactus
Sæpe recusati ceperit imperii:

dignas Novimus. Quas cognovimus esse dignas eo viro, cujus laudes et gesta describis.

13. *Et mea Musa potest.*] Sicut tu cognosceris carminis magnitudine; ita et ego possum cognosci propria qualitate carminis, obnoxii multis vitiis; vel mei luctus indicio.

16. *Quam pulchra Nireus.*] Nireus Charopis filius fuit et Aglaies, ex Syme insula ad bellum Trojanum profectus. Quem omnium pulcherrimum fuisse scribit Homerus, lib. ii. Iliados.

18. *Quæ faciam pæne poeta Getes.*] Quæ ego quasi poeta barbarus compono: nam lingua Getica nunc cœpi carmina componere.

19. *Getico sermone,* &c.] Lingua Scythica.

20. *Sunt structa.*] Sunt composita. *Nostris modis.* Numeris quibus utimur in carminibus Latinis. *Barbara verba.* Verba Getica.

24. *Nostra novitas.*] Nostrum novum scribendi genus: hoc genere sermonis. *Numine Dei.* Numine Cæsaris Augusti. Mer. *Adjuta est,* &c. In hoc novo labore meo fuit mihi numen Cæsaris pro Apolline et Calliope. Pont.

25. *Patris Augusti.*] Augusti Cæsaris, patris patriæ.

26. *Numen.*] Animam Augusti Cæsaris defuncti.

27. *Esse parem virtute patri.*] Docui etiam, virtute non inferiorem esse Tiberium patri Cæsari Augusto. *Qui fræna rogatus.* Qui Tiberius diu summam imperii recusavit, ut docet Tranquillus. *Fræna rogatus. Coactus* præstat cum codice Scaligeri; Suetonius de Tiberio: *Tandem quasi coactus et querens miseram et onerosam imponi sibi servitutem, recepit imperium.* Adeatur etiam Tacitus Annalium i. Heins.

Esse pudicarum te Vestam, Livia, matrum;
Ambiguum nato dignior, anne viro:
Esse duos juvenes, firma adjumenta parentis,
Qui dederint animi pignora certa sui.
Hæc ubi non patria perlegi scripta Camœna,
Venit et ad digitos ultima charta meos;
Et caput, et plenas omnes movere pharetras,
Et longum Getico murmur in ore fuit.
Atque aliquis; scribas hæc quum de Cæsare, dixit,
Cæsaris imperio restituendus eras.
Ille quidem dixit; sed me jam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma sub axe videt.
Carmina nil prosunt: nocuerunt carmina quondam,
Primaque tam miseræ causa fuere fugæ.
At tu per studii communia fœdera sacri,
Per non vile tibi nomen amicitiæ;
Sic capto Latiis Germanicus hoste catenis,
Materiam vestris adferat ingeniis;
Sic valeant pueri, votum commune Deorum,
Quos laus formandos est tibi magna datos;

29. *Esse pudicarum te Vestam, Livia, matrum.*] Hoc est, quam matronæ omnes pudicæ instar Vestæ venerentur: sic *Junonem* Liviam quoque vocavit, lib. iii. Eleg. i. ver. 117. Nihil ergo hoc loco est mutandum. Heins. *Matrum pudicarum.* Quemadmodum virginum Dea est Vesta, sic matronarum Dea est Livia.

31. *Esse duos juvenes.*] Germanicum scilicet Juniorem, filium Drusi privigni Augusti naturalem; et per adoptionem Tiberii quoque: et alterum, Drusum Tiberii filium naturalem. *Firma adjumenta parentis.* Firma præsidia Tiberii patris.

33. *Hæc.*] Has laudes supradictas.

34. *Venit ad meos digitos.*] Meis manibus tractata est recitando: vel ubi perveni ad extremam paginam et finem.

35. *Et caput.*] Quasi laudando opus illud, et adfirmando id fore causam, ut reduceretur in patriam poeta, movere et caput et pharetras: quasi per pharetras et sagittas jurarent et adfirmarent ita fore.

36. *Et longum murmur.*] Et longus de hac re sermo.

45. *Germanicus.*] Germanicus Junior, filius Tiberii per adoptionem. *Latiis catenis.* Italicis, quibus captivi ligabantur.

47. *Sic valeant pueri.*] Sic sint in-

Quanta potes, præbe nostræ momenta saluti,
Quæ nisi mutato nulla futura loco est.

EPISTOLA XIV.

TUTICANO.

Hæc tibi mittuntur, quem sum modo carmine questus
Non aptum numeris nomen habere meis.
In quibus, excepto quod adhuc utcunque valemus,
Nil, te præterea quod juvet, invenies.
Ipsa quoque est invisa salus; suntque ultima vota,
Quolibet ex istis scilicet ire locis.
Nulla mihi cura est, terra quam muter ut ista,
Hac quia, quam video, gratior omnis erit.
In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin
Mittite, præsenti dum careamus humo.
Styx quoque, si quid ea est, bene commutabitur Istro,
Si quid et inferius, quam Styga, mundus habet.
Gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo,
Proxima Marticolis quam loca Naso Getis.

columes pueri Germanici: intelligit autem Neronem, Drusum et Caium Cæsarem.

48. *Quos datos formandos.*] Quibus pueris tuæ disciplinæ commissis, magna laus accessit tibi.

49. *Momenta.*] Hoc est, nostram salutem pro viribus curandam suscipe.

50. *Quæ.*] Scilicet salus. *Nisi mutato loco.* Nisi transferar in exsilium mitius, et magis propinquum Italiæ.

5. *Ultima vota.*] Supremum desiderium meum.

9. Duæ sunt Syrtes apud Leptim oppidum in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura, in regno, quod hodie Tripoli vocatur, a σύρω *traho.* Sinus illi sunt navigantibus periculosissimi. Harles.

13. *Gramina.*] Herbas scil. inutiles.

Talia succensent propter mihi verba Tomitæ,
Iraque carminibus publica mota meis.
Ergo ego cessabo nunquam per carmina lædi;
Plectar et incauto semper ab ingenio?
Ergo ego, ne scribam, digitos incidere cunctor,
Telaque adhuc demens, quæ nocuere, sequor?
Ad veteres scopulos iterum devertor, ad illas,
In quibus offendit naufraga puppis, aquas.
Sed nihil admisi; nulla est mea culpa, Tomitæ,
Quos ego, quum loca sim vestra perosus, amo.
Quilibet excutiat nostri monumenta laboris,
Litera de vobis est mea questa nihil.
Frigus, et incursus omni de parte timendos,
Et quod pulsetur murus ab hoste, queror.
In loca, non homines, verissima crimina dixi:
Culpatis vestrum vos quoque sæpe solum.
Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra,
Ausa est agricolæ Musa docere senis.
At fuerat terra genitus, qui scripsit, in illa;
Intumuit vati nec tamen Ascra suo.
Quis patriam sollerte magis dilexit Ulysse?
Hoc tamen asperitas indice nota loci est.

16. *Ira publica.*] Omnium Tomitarum indignatio.

20. *Tela quæ nocuere.*] Carmina et ingenium.

25. *Excutiat.*] Inquirat. *Nostri monumenta laboris.* Versus nostros.

26. *De vobis.*] De hominibus Tomitanis.

27. *Et incursus omni de parte timendos.*] Et hostilem impetum, cui obnoxia est undique Tomitana civitas, quæ Getarum prædæ obnoxia est.

30. *Vestrum solum.*] Vestram hanc regionem sterilem, et frigori ac bellis obnoxiam.

31. *Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra.*] Versus suspectus. Heins.

33. Ascra, vico in Boeotia, ortus fuit, aut forsan ibi educatus Hesiodus. Pater vero Cuma in Æolide Ascram transtulit domicilium. v. locum in Hesiodi Opp. v. 636. sqq. ubi confer Clericum ad v. 640. Poeta Hesiodi sententiam tantum ad sui excusationem adcommodare, non ad verbum exprimere voluit; quare locum nostrum cur Heinsius in suspectis habeat, nondum pervideo. Harles.

35. *Quis patriam.*] Qui apud Ho-

Non loca, sed mores dictis vexavit amaris
  Scepsius Ausonios, actaque Roma rea est.
Falsa tamen passa est æqua convicia mente,
  Obfuit auctori nec fera lingua suo.
At malus interpres, populi mihi concitat iram,
  Inque novum crimen carmina nostra vocat.
Tam felix utinam, quam pectore candidus, essem!
  Exstat adhuc nemo saucius ore meo.
Adde, quod Illyrica si jam pice nigrior essem,
  Non mordenda mihi turba fidelis erat.
Molliter a vobis mea sors excepta, Tomitæ,
  Tam mites Graios indicat esse viros.
Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo,
  Non potuit nostris lenior esse malis.

merum Ithacam patriam sæpe asperam sterilemque vocat.

37. *Non loca, sed mores dictis.*] Docet Ovidius, Scepsium poetam olim taxasse vitia Romanorum, et non loca, quod magis odiosum fuit: non tamen ille ob eam causam damno aliquo adfectus fuit. Alii non poetam, sed philosophum fuisse adserunt; vide Plin. lib. xxxiv. c. 7. *Scriptis amaris.* Carminis acerbitate, et satyrica reprehensione.

38. *Sextius Ausonios.*] Scribendum *Scepsius*, ut Scaliger etiam vidit et Bersmannus. Metrodorum Scepsium intelligit, qui μισορωμαῖος dictus est. Heins. *Actaque Roma rea est.* Et Roma ab eo accusata fuit.

40. *Auctori suo.*] Ipsi Scepsio, qui ea composuit. *Fera lingua.* Lingua poetæ feri, tam acriter invehendo in Romanos.

41. *At malus interpres.*] At ille qui male interpretatur mea carmina damnantia situm et regionem Tomitanam. *Populi mihi concitat iram.* In odium et indignationem populi Tomitani me adducit.

42. *In novum crimen.*] Non enim solitus fui unquam carmine quemquam offendere.

45. *Pice Illyrica.*] Pice quæ in Illyria nascebatur; eratque nigerrima et laudatissima.

46. *Non erat mordenda mihi.*] Non erat a me reprehendenda. *Turba fidelis.* Tomitani cives, qui me amant et fovent.

47. *Molliter excepta.*] Placide et benigne suscepta. *Mea sors.* Meum infortunium et relegatio.

48. *Graios.*] Hoc est, hos non esse barbaros, sed Græcos, et mores Græcorum servare, unde oriundi sunt. Illi enim Tomon condidere.

49. Teste Plinio Peligni in tres regiones dividebantur: Corfinienses, Superequani et Sulmonenses, ut Ciofanius ad h. l. et Cellar. in notit. orbis Rom. tom i. p. 612. observarunt. Hinc Amor. ii. 16. i. *Pars me Sulmo tenet Peligni tertia ruris.* Harles.

50. *Potuit.*] Pro *potuisset* positum videtur. Cior.

Quem vix incolumi cuique salvoque daretis,
  Is datus a vobis est mihi nuper honor.
Solis adhuc ego sum vestris immunis in oris,
  Exceptis, si qui munera legis habent.
Tempora sacrata mea sunt velata corona,
  Publicus invito quam favor imposuit.
Quam grata est igitur Latonæ Delia tellus,
  Erranti tutum quæ dedit una locum,
Tam mihi cara Tomis; patria quæ sede fugatis
  Tempus ad hoc nobis hospita fida manet.
Dî modo fecissent, placidæ spem posset habere
  Pacis, et a gelido longius axe foret!

54. *Exceptis si qui munera legis habent.*] Exceptis illis, qui legibus consecuti sunt immunitatem, quæ dabatur his, qui Olympia vicissent, et qui aliquod egregium facinus pro patria fecissent. Dicit ergo hic Ovidius nullis legibus, aut meritis se a Tomitanis civibus adsecutum fuisse immunitatem: quæ nemini concessa fuerat in ea urbe, nisi his.

55. *Corona sacrata.*] Corona ex hedera Baccho sacra, qua poetæ elegi coronabantur.

56. *Quam publicus favor.*] Quam coronam favor omnium civium Tomitanorum.

57. *Latonæ*, &c.] Matri Apollinis et Dianæ. *Delia tellus.* Delos insula, quæ est in Mari Ægeo, Apollinis ac Dianæ nativitate cantatissima, poetarum testimonio: ubi Latona eos peperit, Pythone serpente liberata, ut fabulantur poetæ.

58. *Erranti tutum quæ.*] Quum Juno Latonam gravidam cognosceret, immisso contra illam Pythone serpente, per omnem terram prosecuta est. Quæ tandem quum ad litora maris pervenisset, a sorore suscepta fuit, canente Ovidio, lib. vi. Metamorph. 334:

Orantem accepit tunc quum levis insula nabat;

hoc est, Delos, quæ alio nomine *Ortygia* dicitur. *Erranti.* De Latonæ erroribus Hymnos Homeri et Callimachi vide. *Tutum locum.* Locum tutum ad pariendum.

Et pudet, et metuo, semperque eademque precari;
Ne subeant animo tædia justa tuo.
Verum quid faciam? res immoderata cupido est:
Da veniam vitio, mitis amice, meo.
Scribere sæpe aliud cupiens delabor eodem:
Ipsa locum per se litera nostra rogat.
Seu tamen effectus habitura est gratia; seu me
Dura jubet gelido Parca sub axe mori;
Semper inoblita repetam tua munera mente,
Et mea me tellus audiet esse tuum.
Audiet et cœlo posita est quæcunque sub illo,
Transit nostra feros si modo Musa Getas.
Teque meæ causam servatoremque salutis,
Meque tuum libra norit et ære magis.

35. *Habitura est gratia effectus.*] Favor tuus est apud Cæsarem impetraturus quod volo.

38. *Et mea me tellus.*] Præ me feram, et dicam et testabor hic apud barbaros, me tuum esse, obligatum scilicet tibi meritis maximis et innumerabilibus. Pont.

39. *Audiet et cœlo,* &c.] Ovidius hanc grati animi et benevolentiæ formam imitatus est ex illis ornatioribus Virgilii locis, Æneid. i. 607 sqq. vii. 225 sqq.

42. *Minus.*] Sensus est: Me tui mancipii esse norit, quamvis æs et libra mancipationi non adfuerint. *Minus* vero cum ablativo ponere solent Latini pro *præter*. De mancipatione, quæ per æs et libram fiebat, v. Cajum Institt. i. 9. et Ernesti in clave Cicer. sub v. Mancipium. Alii habent *magis*, quod interpretatur Micyllus ἐλλειπτικῶς pro: Norit me magis tuum esse, quam si per æs ac libram emtus sim. Harles.

Quam tua, rus oculis domini, Campania, gratum,
Quæque relicta tibi, Sexte, vel emta tenes,
Tam tuus en ego sum; cujus te munere tristi
Non potes in Ponto dicere habere nihil.
Atque utinam possis, et detur amicius arvum!
Remque tuam ponas in meliore loco!
Quod quoniam in Dîs est, tenta lenire precando
Numina, perpetua quæ pietate colis.
Erroris nam tu, vix est discernere, nostri
Sis argumentum majus, an auxilium.
Nec dubitans oro: sed flumine sæpe secundo
Augetur remis cursus euntis aquæ.

foro.] Quantum etiam domus est tua, quam habes conjunctam foro Augusti Cæsaris.

17. *Quam tua, rus oculis.*] Ordo est: Quam pro quantum, Campania adpositive, rus gratum oculis domini est tua. Per *Campaniam* autem intelligimus rus aliquod quod habebat Pompeius in Campania: fortasse intellexit per *Trinacriam*, rus, aut oppidum aliquod Siciliæ ejusdem Pompeii: similiter per *terram Philippi*, rus in Macedonia. *Oculis domini.* Oculis tuis.

18. *Quæque relicta.*] Et quantum ea sunt tibi a majoribus tuis relicta.

19. *Tam tuus*, &c.] Tam ego Ovidius sum numerandus in tuo ære et censu. *Cujus te.* Cujus tui Sexti Pompeii mœsto dono: nam tuo munere et precibus vivo: quia te agente Augustus me non interfecit, sed tantum in exsilium Ponticum misit. Hoc autem beneficium poeta triste munus adpellat, propterea quod in re tristi et mœsta beneficium est adsecutus. Sed Harlesius: *Tristi Ponto*, h. e. sterili. P. iii. 8. 15. Quum ego me tibi ita dono, dicere non potes, te nihil proprii habere in Ponto horrido. Harles.

20. *Non potes.*] Non potes dicere te nihil possidere in Pontica regione, quum aliquid habeas habendo me.

21. *Ut detur amicius arvum.*] *Et detur* meliores. Heins. An non præstaret etiam *amœnius arvum?* nam de amicitia Getarum gloriatur Elegia præcedenti et alibi: nec inimicum fuisse potest Pompeio arvum: *mitius arvum* tres libri. Burm.

26. *Sis argumentum.*] Ambiguus hic locus est, eoque difficilior quoque, et obscurior: varie enim exponi potest. Vel, ut accipiamus *argumentum* pro certo indicio ac signo, quo quid probatur et convincitur, ceu sunt quæ πίστεις Græcis, et τεκμήρια dicuntur; ut sit sententia: Dubium est, utrum majus auxilium mihi rebusque meis sis, an majus indicium, certiorque probatio ac fides erroris mei: hoc est, quod errore, non scelere peccarim. Vel rursum, ut idem nomen pro materia, et quasi quodam subjecto rei accipiamus, unde postea aliquid exædificatur, aut efficitur. Sive, ut planius dicam, pro opere informato ac delineato. Mic. Prior interpretatio Harlesio probatur.

Quique vel imparibus numeris, Montane, vel æquis
Sufficis, et gemino carmine nomen habes;
Et qui Penelopæ rescribere jussit Ulyssem,
Errantem sævo per duo lustra mari;
Quique suam Trœzena imperfectumque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus;
Ingeniique sui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium duxit in arva senem;
Quique canit domitam Camerinus ab Hercule Trojam;
Quique sua nomen Phyllide Tuscus habet;
Velivolique maris vates, cui credere possis
Carmina cæruleos composuisse Deos;
Quique acies Libycas, Romanaque prælia dixit;
Et Marius, scripti dexter in omne genus;

10. *Et cum subtili,* &c.] Duo fuerunt Prisci poetæ coætanei Ovidii; et ambo Numæ Pompilii, regis Romanorum secundi, vitam carmine scripsere. Mer. Ego hos duos Priscos ignoro; et Numam poetam, non poema, designari puto. Burm.

11. *Quique vel imparibus.*] Julius Montanus poeta gratus fuit Tiberio. *Imparibus numeris.* Versibus elegis. *Vel æquis.* Hexametris. *Sufficis.* Satis es.

12. *Gemino carmine.*] Elego et heroico.

13. *Qui Penelopæ.*] Sabinum poetam designat, qui sub Augusto floruit, et epistolis Ovidii respondit. *Rescribere jussit Ulyssem.* Fecit Sabinus, ut Ulysses uxori Penelopæ rescriberet.

17. *Largus.*] An Valerius Largus accusator Galli poetæ? de quo Dion. liii. pag. 512; et an idem sit, qui sub Claudio consul fuit; ut idem Dion. lx. pag. 671? nescio. Burm.

18. *Ducit in arva.*] *Duxit* nonnulli. Heins. *In arva Gallica.* In Galliam Cisalpinam: et in eum tractum ubi postea Antenor Patavium condidit. *Phrygium senem.* Antenorem Trojanum.

19. *Quique canit Camerinus.*] Camerinus poeta fuit Ovidii tempore, qui apud Latinos Trojanum excidium cecinit.

21. *Velivolique maris vates.*] Hic de P. Terentio Varrone Attacino poeta intelligit, qui transtulit in Latinum libros quatuor Apollonii Rhodii in suum opus de Argonautis. *Cui credere possis,* &c. Magna est hujus poetæ laus; quod tam pulchre Argonautica descripsit, ut Dii ipsi marini, non poeta ille P. Terentius Varro, videantur ea carmina composuisse.

23. *Quique acies Lybicas.*] Merula hunc locum de Ennio, aut Nævio accipiendum putat: cui temporum ratio repugnat. Neque enim Ovidius eos poetas commemorare voluit, qui se multo antiquiores essent, sed qui suis temporibus, eademque secum ætate vixissent.

Trinacriusque suæ Perseidos auctor; et auctor
Tantalidæ reducis Tyndaridosque Lupus;
Et qui Mæoniam Phæacida vertit; et una
Pindaricæ fidicen tu quoque, Rufe, lyræ;
Musaque Turrani, tragicis innixa cothurnis;
Et tua cum socco Musa, Melisse, levis:
Quum Varus Gracchusque darent fera dicta tyrannis;
Callimachi Proculus molle teneret iter;
Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas;
Aptaque venanti Gratius arma daret:

25. *Trinacriusque suæ Perseidos auctor et actor.*] Scripti *Tinacriusque, Tenacriusque, Tænariusque* et similia: nomen haud dubie corruptum: deinde scribendum: *Perseidos auctor, et auctor Tantalidæ reducis;* ut recte nonnulli codices: de actore nugæ sunt. Lupus ille, quisquis est, poema conscripserat de reditu Menelai et Helenæ post captam Trojam. Heins.

27. *Et qui Mæonidæ Phæacida vertit.*] Hic Tuticanus fuit. Mic.

29. *Innixa cothurn.*] Erf. de Thurrano v. Burm. de Melisso, Mæcenatis liberto, ab Augusto bibliothecæ in Octaviæ porticu præfecto, qui Comœdias scripsit Trabeatas (a trabea, veste ducum et equitum,) v. Heinsium. Harles.

31. *Quum Varus.*] Poeta. *Gracchusque darent fera dicta tyrannis.* Quintilius Varus fuit Cremonensis, eques Romanus, cujus meminit Horatius in Odis, et Maro, quum ait, Eclog. ix. ver. 35:

Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna.

Gracchus autem fuit poeta ejusdem temporis, qui eam tragœdiam Thyestis scribebat, quam etiam Varus. Ideo subjungit, *darent fera dicta tyrannis:* hoc est, scriberent in suis tragœdiis verba et jurgia Thyestis in Atreum, et contra.

32. *Callimachi Proculus.*] Proculum poetam etiam celebrem commemorat, qui elegias scripsit: quemadmodum Callimachus, qui Fabii testimonio elegiæ princeps habetur. Cæterum, Proculi cognomine multæ familiæ insignitæ, ita ut, nisi nomen pateat, de eo frustra quæramus. *Molle iter.* Lascivum scribendi genus, quia de amoribus elegias componebat.

33. *Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas.*] Hæc nec Latina sunt, nec satis intelligo quid sibi velint. Hafniensis: *Tityrus æternos caneret qui procreet herbas.* Moreti codex: *Tityron antiquas recubasse referret ad umbras;* ut et liber Petri Servii, nisi quod in eo *aras:* alii aliter. Moreti librum sequor, dum meliora sese offerunt. Heins. *Tityrus antiquas.* Hic per *Tityrum* Maronem designat, adludens ad ejus carmen Bucolicum. *Qui pasceret antiquas herbas.* Qui permaneret in antiquis suis prædiis cum suis capellis.

34. *Aptaque venanti Gratius arma daret.*] Gratius Ovidii temporibus poeta fuit, ut ex hoc loco constat: de venatione scripsit. Cujus carmina una cum Ovidii Halieutico e Gallia in Italiam attulit Sannazarius. Hunc